M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIA

CUM NOTIS

HUGONIS GROTII,

ET

RICHARDI BENTLEII.

Multa sunt condonanda in opere postumo.

In Librum IV. Nota 641.

GLASGUÆ:

Excudebant Andreas et Jacobus Duncan,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHI;

IMPENSIS LONGMAN, HURST, REES, ORME, & BROWN; R. PRIESTLEY; LACKINGTON & SOC.; J. BLACK & FIL.; LAW & WHITTAKER; G. GINGER; BALDWIN, CRADOCK, & JOY; COWIE & SOC.; ET RODWELL & MARTIN; LONDINI.

1816.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIA

CUM NOTIS

HUGONIS GROTII,

ET

RICHARDI BENTLEII.

Multa sunt condonanda in opere postumo.

In Librum IV. Nota 641.

GLASGUÆ:

Excudebant Andreas et Jacobus Duncan,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHI;

IMPENSIS LONGMAN, HURST, REES, ORME, & BROWN; R. PRIESTLEY;
LACKINGTON & SOC.; J. BLACK & FIL.; LAW & WHITTAKER;
G. GINGER; BALDWIN, CRADOCK, & JOY; COWIE & SOC.;
ET RODWELL & MARTIN; LONDINI.

1816.

NOBILISSIMO ET HONORATISSIMO VIRO

GEORGIO MONTAGU,

COMITI DE HALIFAX, &c.

SUMMO

COMMERCII ET COLONIARUM BRITANNICARUM

PRÆFECTO,

NOVAM HANC LUCANI EDITIONEM

NOTIS ATQUE EMENDATIONIBUS

AVI SUI BENTLEII

ELUCIDATAM

OMNI CULTU AC VENERATIONE

DAT DICAT DEDICAT

RICHARDUS CUMBERLAND.

AD LECTOREM.

M. A. Lucani Pharsaliam, cum Notis Hugonis Grotii et suis illustratam emendatamque, cum olim in lucem dare Bentleius secum constituerat, et, ut Editionem suam auctiorem redderet, Nicolai Heinsii in eundem Poëtam Adversaria a Viro docto Petro Burmanno per litteras requisiverit; illico, ut ipsum Burmannum in eodem opere jam diu laborasse sensit, manus retinuit, ne in messem viri amici falcem porrexisse videretur. Inde fit, ut in tres modo priores libros notas absolutas recepimus, cæteris non semper ultimam limam perpessis.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER PRIMUS.

BELLA per Emathios plus quam civilia campos,
Jusque datum sceleri canimus, populumque potentem
In sua victrici conversum viscera dextra;
Cognatasque acies; et, rupto fœdere regni,
Certatum totis concussi viribus orbis
In commune nefas: infestisque obvia signis
Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis.
Quis furor, o cives? quæ tanta licentia ferri,

2. *JUSQUE datum sceleri*] Jus hic figurate pro licentia, quomodo sæpe jus belli apud bonos scriptores. Apertum illud Senecæ epistola xviii. *Jus luxuriæ publicæ datum:* Ipse Lucanus fine lib. ii.

Jus licet in nostros jugulos sibi fecerit ense
Sylla potens Mariusque ferox.

Papinius iii. Thebaidos: *Daret armis jura.* Sensus ferme idem qui infra, ubi belli civilis licentia describitur:

——— semel omnia victor
Jusserat.

De bello quidem civili præcipue, sed et de aliis bellis non male dictum Senecæ hujus poëtæ patruo: *Ex Senatus consultis plebisque scitis sæva exercentur, et publicè jubentur vetita privatim.* Quod Christiane dictum probat Christianus martyr Cyprianus: *Homicidium cum admittunt singuli, crimen est: Virtus vocatur, cum publice geritur.* Grotius.

8. *Quis furor, o cives?*] Codex Colbertinus omnium veterrimus, ad v. octavum, hoc in margine annotat manu antiqua: *Huc usque Seneca: Modo Lucanus.* Isaacus Vossius ad Catullum, p. 284. *In pluribus,* inquit, *Lucani codicibus, dicitur is ex abrupto exorsus suum poëma, addito hoc Scholio,* Hoc versus primos septem Seneca dicitur addidisse, ut quidam volunt, avunculus Lucani. *An hoc verum sit, alii arbitrentur.* Ex abrupto inchoatum poëma, *Quis furor, o cives,* &c. sine

Gentibus invisis Latium præbere cruorem?
Cumque superba foret Babylon spolianda tropæis
Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta;
Bella geri placuit nullos habitura triumphos?
Heu! quantum potuit terræ, pelagique parari
Hoc, quem civiles hauserunt, sanguine, dextræ!
Unde venit Titan, et nox ubi sidera condit,
Quaque dies medius flagrantibus æstuat horis,
Et qua bruma rigens, ac nescia vere remitti,
Adstringit Scythico glacialem frigore pontum:

versibus illis vii. non omnino est verisimile, verum tamen esse potest, versus illos a patruo suo (non avunculo) impetravisse Lucanum, certe vel ipso Lucano dignissimi sunt. Cæterum hoc in veterum commentariis, qui Hieronymi ætate ad Lucanum extabant, memoriæ proditum arbitror: Doctissimus Pater Apologia in Rufinum prima, *Puto*, inquit, *quod puer legeris Aspri in Virgilium et Sallustium commentarios; Vulcatii in orationes Ciceronis; Victorini in Dialogos ejus; et in Terentii Comœdias præceptoris mei Donati, atque in Virgilium; et aliorum in alios, Plautum videlicet, Lucretium, Flaccum, Persium, atque* LUCANUM. In codice Lucani vetusto, 800 fere annorum, qui olim Puteanorum Fratrum nunc Regis Galliarum est, Commentarius habetur perpetuus, eadem qua Textus manu.

Ibidem, *Quæ tanta licentia ferri,*] Citatur hic versus a Prisciano Lib. xvii. p. 1072; ubi in codice insigni Bibliothecæ publicæ Cantabrigiensis, annorum minimum 800, non *Licentia*, ut in exemplaribus Prisciani editis, sed antiqua et prima manu scriptum est,

Quis furor, o cives, quæ tanta *INSANIA* ferri.

Et nescio an hic respexerit Martialis, ix. 70.

Cur nunc, o mores, cur nunc, o tempora, dicis?
Quod tibi non placeat, Mæciliane, quid est?
Nulla ducum feritas, nulla est *insania ferri.*

Ubi *Feritas* de bello Catilinario, *Insania ferri* de hoc ipso Cæsariano dicitur. *Virgil.* Æn. vii. 461.

Sævit amor *ferri*, et scelerata *insania belli.*

Cicero in Pisonem C. 21. *Nisi pœnas patriæ, diisque immortalibus eas quæ gravissimæ sunt* furore *atque* insania *penderet.* Florus iii. 21. de bello Mariano: *Scipione Norbanoque Coss. tertius ille turbo civilis* insaniæ *toto* furore *detonuit:* Ubi itidem ut in Nostro, et *Furorem* et *Insaniam* habes. Sed cum Lucani codices, alilque a me consulti Priscianei, unanimi consensu, *Licentia* præferant, nihil hic mutare ausim.

Ibid. *Quis furor, o cives, quæ tanta licentia ferri*
Gentibus invisis Latium præbere cruorem?
Cumque superba foret Babylon spolianda tropæis
Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta;
Bella geri placuit nullos habitura triumphos?]

Distinctione prava corruperunt nobis sententiam. Recte quidem satis, si grammaticam solam spectes, continuari possunt illa, *Quis furor, quæ tanta licentia, præbere cruorem gentibus?* Sed sententia, quod jam dixi, tali constructione misere jugulatur. Sic enim procedendum erat,

Sub juga jam Seres, jam barbarus isset Araxes,
Et gens si qua jacet nascenti conscia Nilo.
Tunc, si tantus amor belli tibi, Roma, nefandi,
Totum sub Latias leges quum miseris orbem,
In te verte manus: nondum tibi defuit hostis.
At nunc semirutis pendent quod mœnia tectis
Urbibus Italiæ, lapsisque ingentia muris
Saxa jacent; nulloque domus custode tenentur,
Rarus et antiquis habitator in urbibus errat:
Horrida quod dumis, multosque inarata per annos

Quæ licentia, cruorem gentibus præbere; bellaque gerere, *nullos triumphos habitura?* Quorsum igitur aut unde illud *placuit;* non otiosum modo atque iners, sed incommodum atque noxium? At mutata distinctione, commode et belle se habent omnia,

> Quis furor, o cives? quæ tanta licentia ferri?
> Gentibus invisis Latium præbere cruorem,
> Cumque, &c.

placuit præbere cruorem, et bella geri, nullos habitura triumphos? plena clausula est, et interrogatione terminatur.

13. *Heu! quantum potuit terræ pelagique parari*
Hoc, quem civiles hauserunt, sanguine, dextræ!] Sumtum ex Agesilaï dicto, quod apud Xenophontem et Plutarchum legas: *φεῦ τῆς Ἑλλάδος τοσούτους ἄνδρας ἀπολωλεκυίας ὑφ' αὑτῆς ὅσοι ζῶντες ἐδύναντο νικᾶν ὁμοῦ σύμπαντας τοὺς Βαρβάρους μαχόμενοι.* De eodem Agesilao sic Latinus vitarum scriptor: *Tantum abfuit ab insolentia gloriæ, ut commiseratus sit fortunam Græciæ, quod tam multi a se victi vitio adversariorum concidissent. Namque illa multitudine, si sana mens esset, Græciæ supplicium Persas dare potuisse.* Grotius.

16. *Quaque dies medius flagrantibus æstuat horis,*] Qui primi *Horis* hic substituerunt, *medium diem* medium diei tempus accipiebant. atqui, ut alibi passim, partem orbis meridionalem indicat. Repone igitur,

> Quaque dies medius flagrantibus æstuat *AURIS.*

Ovid Metam. ii. 229.

> —— nec tantos sustinet æstus
> Ferventesque auras.

Seneca, Herc. Fur. 235.

> Penetrare jussus solis æstivi plagas,
> Et adusta *medius* regna quæ torret *dies.*

19. —— *Jam barbarus isset Araxes.*] Corrige HYDASPES. Nam Araxes in Armenia, satis prope, at hic designat extrema orbis Terrarum, vii. 188.

> —— Tyriis qui Gadibus hospes
> Adjacet *Armeniumque* bibit Romanus Araxen.

Armenios vero subegit Pompeius, ii. 594.

> Armenios Cilicesque feros Taurosque subegi.

et inter ejus auxiliares numerantur, iii. 245. Petronius.

> Quid tam parva queror? gemino cum consule Magnus
> Ille tremor ponti, Sævi quoque terror Hydaspis
> Et Piratarum Scopulus.

25. *Urbibus Italiæ.*] Non placet *Urbibus;* nam rursus altero ab hinc versu recurrit, Habitator in *urbibus* errat. Ac præterea cum *Tecta, Mœnia,* posuisset, otiose addiderit *Urbibus,* scripsit, opinor, Poëta, FINIBUS Italiæ: Quo vocabulo crescit oratio, totam undique Italiam vastatam indicans, ii. 440.

> —— quod non terat hoste vacantes
> Hesperiæ fines.

30. *Non tu, Pyrrhe ferox,*] Ex Horatio adumbratum:

Hesperia est, desuntque manus poscentibus arvis,
Non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor
Pœnus erit: nulli penitus discindere ferro
Contigit: alta sedent civilis vulnera dextræ.
Quod si non aliam venturo fata Neroni
Invenere viam, magnoque æterna parantur
Regna deis, cœlumque suo servire Tonanti
Non nisi sævorum potuit post bella gigantum:
Jam nihil, o Superi, querimur: scelera ipsa, nefasque
Hac mercede placent: diros Pharsalia campos
Impleat; et Pœni saturentur sanguine manes:
Ultima funesta concurrant prælia Munda.
His, Cæsar, Perusina fames, Mutinæque labores

Quos neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusca Porsenæ manus.

Et quæ sequuntur. Grotius.

30. —— *Nec tantis cladibus auctor*
Pœnus erit:] Ita rectius, quam, *erat.* Loquitur enim tanquam in re præsenti. Grotius.

33. *Quod si non aliam venturo fata Neroni*
Invenere viam,] Subtilis adulationis hoc, cum nondum acres illos spiritus Lucano processus ætatis atque opus adblandiens, forte et privatæ offensæ, indidissent. Nec piguit Plinium hoc imitari Panegyrico ad optimum Principem: *Magnum quidem illud seculo dedecus magnum reipublicæ vulnus impressum est, Imperator et parens humani generis obsessus, captus, inclusus: Ablata mitissimo seni servandorum hominum potestas, ereptumque principi illud in principatu beatissimum, quod nihil cogitur. Si tamen hæc sola erat ratio, quæ te publicæ salutis gubernaculis admoveret, prope est ut exclamem, tanti fuisse.* Adde quæ ibi sequuntur huic loco lucem ferentia. Grotius. Non credo *acres spiritus* Lucano abfuisse, dum hæc scripsit; sed ita necesse erat, faciendum fuit, eandem cantilenam canunt alii Poëtæ, Virgilius, Horatius, Martialis, Statius, Valerius Flaccus, Silius Italicus: Qui prosa scripserunt Paterculus, Valerius Maximus, Plinii duo, ac Quintilianus; decentius qui sub bonis Principibus vixerunt, invidiosius qui sub malis, magis miror audax Nostri ingenium, qui stante domo Cæsarea Pharsaliam hanc scribere ausus est.

38. —— *Diros Pharsalia campos*
Impleat; et Pœni saturentur sanguine manes:] Tolle distinctionem post *impleat,* quippe *sanguine* tam cum hoc jungitur, quam cum *Saturentur,* sed et præterea corrigendum,

—— *DIRO* Pharsalia campos
Impleat et Pœni saturentur sanguine manes.

Eo solo modo sententia continuatur, *Diro sanguine,* hoc est, sanguine humano, vide i. 444.

41. *His, Cæsar, Perusina fames, Mutinæque labores*
Accedant fatis:] Contemplare verborum seriem. *Si* FATA *non aliam invenere viam Neroni, nisi* per Thessaliæ, Africæ, et Hispaniæ clades; *nihil querimur:* Immo his accedant FATIS *Perusium, Mutina,* &c. Nec repetitio placet, nec sententia secum congruit. Prius enim *Fata* illa disponunt res et moderantur; postea res ipsæ sunt *Fata.* Vix dubito, quin Auctor dederit,

Accedant fatis: et, quas premit aspera, classes,
Leucas; et ardenti servilia bella sub Ætna.
Multum Roma tamen debet civilibus armis,
Quod tibi res acta est. Te, cum statione peracta
Astra petes serus, prælati regia cœli
Excipiet gaudente polo: seu sceptra tenere,
Seu te flammigeros Phœbi conscendere currus,
Telluremque, nihil mutato sole timentem,
Igne vago lustrare juvat: tibi numine ab omni
Cedetur: jurisque tui natura relinquet,
Quis deus esse velis; ubi regnum ponere mundi.
Sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe:
Nec polus adversi calidus qua vergitur Austri;

His, Cæsar, Perusina fames, Mutinæque labores
Accedant *DAMNIS*.

Infra v. 106.

Parthica Romanos solverunt *damna* furores.

ii. 226.

——— multoque coitur
Humani generis majora in prælia *damno*.

44. *Multum Roma tamen debet civilibus armis,*
Quod tibi res acta est.] Pergit ad Neronem loqui eique blandiri. Quare nihil vident qui hic putant, *debes* legi posse, quasi ad Romam sermo fit. Grotius.

48. *Seu te flammigeros Phœbi conscendere currus,*] Tangit aut blandiens, aut tacite irridens, insanum Neronis studium aurigandi. Tacitus Annal. xiii. 5. *Nero puerilibus statim annis cantus aut regimen equorum exercere.* Plura annal. xiv. 14. et Suetonius Nerone. Cæterum FLAMMIFEROS ex Editione prima, et codicibus nonnullis reponendum.

49. *Telluremque, nihil mutato sole timentem,*] Culpant hic Poëtam nonnulli, quod *mutato sole* dicat, cum *auriga* tantum mutetur. Sed hos facile refellit Seneca, Hippol. 1090.

Talis per auras non suum agnoscens onus,
Solique falso creditum indignans diem
Phaëthonta *currus* aërio excussit polo.

Ut enim hic, eodem manente curru, *Sol falsus* erat; ita apud nostrum, *Sol mutatus.*

54. *Nec polus adversi calidus qua vergitur Austri;*] Prætuleram *mergitur*, quia finitor circulus poëtis est Oceanus, ac proinde quod inconspicuum est, mergi dicitur. Et sic locutus Germanicus Cæsar Arateis, *pars mersa sub undas Oceani*, de polo Antarctico et ipse loquens: Ut et de eodem Avienus: *Subit altera mersa sub undas Pars Erebum.* Sed video eundem sensum esse posse in recepta lectione. Nam vergi passiva terminatione sic dixere Lucretius, multoque posterior Papinius. Priscianus denique hunc ipsum Lucani locum adducit, ut ostendat Latine sic dici. Graviter autem hic in Sphæram delinquit Lucanus, cum polum Austrinum calidum dicit. Est quidem Auster calidus Arcticum polum spectantibus. At polus Austrinus non minus frigidus Arctico. Addatur hoc cæteris, quæ a Lucano pompatice magis quam ex vero dicta. Grotius. *Ibidem.* Et hic Lucanus male audit, quasi *calidum Austri polum* dicendo in Sphæram deliquisset, Communis omnium Poëtarum causa est. Nemo enim illorum aliter locutus est. Quippe *Polus* apud eos non punctum quoddam et Axis extremum notat; sed modo totum cœlum mo-

Unde tuam videas obliquo sidere Romam.
Ætheris immensi partem si presseris unam,
Sentiet axis onus; librati pondera cœli
Orbe tene medio: pars ætheris illa sereni
Tota vacet, nullæque obstent a Cæsare nubes.
Tunc genus humanum positis sibi consulat armis,
Inque vicem gens omnis amet: pax missa per orbem
Ferrea belligeri compescat limina Jani.
Sed mihi jam numen: nec, si te pectore vates
Accipiam, Cirrhæa velim secreta moventem

do quamlibet cœli pro diversa Epitheti ratione partem. *Polus* igitur *Austri calidus* zonam torridam, et quod ultra est hic indicat, ut contra, *Arctoo orbe* plagam septentrionalem. Nam si *Polum* stricte sumseris, jam nullo modo, ne *obliquo quidam sidere*, Roma ex eo conspici potest. Duplex igitur, ex Grotii sententia, non simplex fuisset Lucani peccatum. Sed salva res est: Illud insuper notandum, VERGITUR legendum non MERGITUR cum Prisciani fide p. 798. tum omnium fere codicum præsertim vetustiorum, iidem cum Prisciano AVERSI exhibent, utrumque postulat ipsa sententia; Qua, inquit, a summo seu medio cœlo Polus indeclive *vergitur*, versus Austrum ab oculis nostris *aversum*.

56. *Ætheris immensi partem si presseris unam,*
Sentiet axis onus.] Itane vero? Si *unam quamvis* cœli partem presserit, Axis onere laborabit? Quid attinet igitur consilium dare, ut *medio orbe* considat servetque eo pacto æquilibritatem? Nam et illa parte, quæ *una* est, onus sentietur. Repone,

Ætheris immensi partem si presseris *IMAM*.

Causam hic prioris consilii reddit, ut nec in *Arctoo* nec *Australi* cœlo sedem sibi legere velit; quorum utrumvis comparatione medii cœli *Imum* hic vocatur: Et ut ex Mechanica notum indicat, quo longius a Centro sive fulcro onus recedat, eo magis sentiri et plus ponderare. Infra iv. 106. de utriusque poli regione,

Sic mundi pars *IMA* jacet, quam zona nivalis
Perpetuæque premunt hiemes.

Porro etiam codex Meadianus IMAM habet, inter lineas pro varia lectione UNAM.

58. —— *Pars ætheris illa sereni*
Tota vacet, nullæque obstent a Cæsare nubes.] *Pars illa*, medius orbis est, medius Zodiacus. Quid ergo? An semper ibi *Æther serenus* conspicitur? Non profecto magis, quam alibi usquam. Quid porro est *vacet*, sic absolute positum? Cui rei, vel a qua re vacabit? Corrige,

—— Pars Ætheris illa *SERENO*
Tota vacet.

ix. 69.

Itque super Libyen, nullo quæ consita cultu
Sideribus Phœboque *vacat*.

Precatur itaque, ut pars illa, Nerone ibi considente, fiat semper serena: Non dicit, quod vulgata lectio ponit falsissimum, jam nunc semper serenam esse.

61. —— *Pax missa per orbem,*
Ferrea belligeri compescat limina Jani.] Recte *Pax* missa, ut loquitur ipse Janus apud Nasonem Fast. i. 121.

Cum libuit *Pacem* placidis *emittere* tectis,
Libera perpetuas ambulat illa vias.

Quale vero illud est, BELLIGERI *Jani?* Nempe aperto Jano, bellum est, clauso, Pax. Cur igitur magis *Belliger*, quam *Pacifer* dicendus? Neque quisquam aliu

Sollicitare Deum, Bacchumque avertere Nysa.
Tu satis ad dandas Romana in carmina vires.

Fert animus caussas tantarum expromere rerum:
Immensumque aperitur opus, quid in arma furentem
Impulerit populum, quid pacem excusserit orbi.
Invida fatorum series, summisque negatum
Stare diu; nimioque graves sub pondere lapsus,
Nec se Roma ferens. sic, cum compage soluta
Secula tot mundi suprema coëgerit hora,

Poëtarum hoc Epitheto Janum donat. Repone,

Ferrea *CLAVIGERI* compescat limina Jani.

Ovid. ibid. v. 99.

Ille tenens dextra *baculum clavemque* sinistra.

Hæc scilicet Jani insignia erant, *Baculus* et *Clavis*, non Hasta, Ensis, Lorica, Clipeus; quali habitu erant Mars et Pallas, *belliger* uterque Ovid. Fasti. 253.

Nil mihi cum bello: pacem postesque tuebar:
Et *clavem* ostendens, hæc, ait, arma gero.

Denique, v. 228. de eodem.

CLAVIGERUM verbis alloquor ipse deum.

Porro in hac voce, non tamen a *Clave* sed a *Clava* ducta, peccant Librarii apud Senecam Herc. Fur. 528.

Alcmena genitus bella per omnia
Monstris exagitet *Cœliferam manum*.

Atqui non *manu*, sed cervice et humero, cœlum tulit. scripsit Auctor,

Monstris exagitet *CLAVIGERAM* manum.

63. —— *Nec, si te pectore vates Accipiam,*] Repone ex utroque Colbertino, Pulmanni uno, et Servio ad Æn. i. 12. ACCIPIO. Firmat clare Priscianus p. 1143. *Lucanus in* i. *Nec si te pectore vates Accipio, Cirrhæa velim secreta moventem Sollicitare deum. Indicativo enim usus (Accipio) comprobat hoc fieri; et* Velim *subjunxit promittens cum hoc sit, posse minime egere Apolline.* Crediderim quoque, ob emphasin, sic ab Auctore profectum,

——— Nec te si pectore vates.

Non *si te*. Mox quoque reponendum est, *Bacchum VE*, pro *Bacchum QUE*. Ac denique, ex omnibus ubique codicibus et Editionibus priscis,

Tu satis ad *vires* Romana in carmina *dandas*:

Non ut Editi recentiores inverso ordine, *dandas vires*.

68. —— *Quid in arma furentem Impulerit populum,*] Lego RUENTEM. Hæc duo passim a Librariis permutantur: Sic i. 254. *Cimbrumque ruentem* vidimus; ubi veterrimi et plurimi codices habent *Furentem*. iii. 37. Major in arma *ruit*. Ideo autem hic præfero *Ruentem*, quod adjunctum ei sit *Impulerit*. Tacitus Hist. ii. 63. *Sabinus, in alieno discrimine sibi pavens, ne allevasse videretur, IMPULIT RUENTEM.*

74. —— *Omnia mistis Sidera sideribus concurrent. ignea pontum Astra petent:*] Sic quidem codices, quod sciam, universi. Sed inepta prorsus sententia est, et ipsa secum pugnat. Si enim *omnia sidera concurrent*, et supervacuum est addidisse *sideribus*, et absurdum. Recte quidem apud alios legis, *arma armis concurrere, montibus montes*, sed ibi scilicet intelligis *alios aliis* concurrere. Atqui si *omnia* Sidera concurrunt; quibus, quæso, *aliis si-*

Antiquum repetens iterum chaos; omnia mistis
Sidera sideribus concurrent. ignea pontum
Astra petent: tellus extendere littora nolet,
Excutietque fretum: fratri contraria Phœbe
Ibit, et obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poscet sibi: totaque discors
Machina divulsi turbabit fœdera mundi.
In se magna ruunt. lætis hunc numina rebus
Crescendi posuere modum. nec gentibus ullis
Commodat in populum, terræ, pelagique potentem,
Invidiam Fortuna suam. Tu causa malorum

deribus concurrere possunt? Crescit adhuc absurdum, cum addit *mistis sideribus:* Quippe si *omnia* jam *concurrerunt*, quænam adhuc restant Sidera, quæ misceantur. Effugisset hæc omnia, si sic dixisset,

> ——— omnia mistis
> Sidera *Seminibus* concurrent.

Hoc est, *Particulis.* ut Claud. Proserp. 249.

> ——— veterem qua lege tumultum
> Discrevit Natura parens, et *semina* jussis
> Discessere locis.

Jam vero illud vide quod continuo sequitur, *Ignea pontum Astra petent.* Quid aliud sunt *Astra*, quam *Sidera?* Ergo eadem Sidera et inter se concurrent, et pontum petent, non pudet vanitatis? Sane Seneca Patruus, Consol. ad Marciam sub ipsum finem: *Cum tempus*, ait, *advenerit, quo se mundus renovaturus extinguat; viribus ipsa se suis cædent, et* SIDERA SIDERIBUS INCURRENT, Recte quidem hoc, *alia* scilicet *aliis* incurrent, adde huc *omnia;* adde *mistis;* et ex sana oratione, vitiosissimam facies. Et quidem suspicio est, ex his ipsis Patrui locis interpolatum esse Nostrum. Quippe dempto hoc emblemate, tam loco sua sententia constat, quam versui suus numerus.

> Antiquum repetens iterum Chaos: ignea pontum
> Astra petent.

Plane ut Patruus in Thyeste, v. 850. nempe sub mundi finem,

> Aries præceps ibit in undas.

et 867.

> Monstraque numquam perfusa mari
> Merget condens omnia Gurges.

Ubi pro *Monstra*, legendum PLAUSTRA. Quod si ægre quis tulerit versum totum explodi, is, si libet, SEMINIBUS legat, ut supra: Et mox *Ignea pontum* ÆTHRA PETET. *Æthra* idem quod *Æther*.

76. —— *Tellus extendere littora nolet, Excutietque fretum:*] *Extendere litora*, sensu ni fallor, eodem, quo *fines, agri, rura* dicuntur extendi. Quid igitur sibi vult NOLET *extendere?* Et tamen *Excutiet fretum.* Hæc ἀσύστατα sunt, neque una conjungi possunt. Freto enim excusso necessario extenditur litus; ut rursus, litore extenso, necesse est ut excutiatur fretum. Repone,

> —— Tellus extendere litora *QUÆRET*
> Excutietque fretum.

Cupiet, conabitur, enitetur ampliare fines suos, mari expulso. Noster iv. 429.

> Jamque relabenti *crescebant litora ponto.*

et ix.

> ——— A syrtibus undas
> Egit, et illato confregit litore pontum.

Plinius, Epist. vi. 20. *Mare in se resorberi, et tremore terræ quasi repelli videbatur: Certe processerat litus, multa animalia maris in siccis arenis detinebat.* Vi-

Facta tribus dominis communis Roma, nec unquam
In turbam missi feralia fœdera regni:
O male concordes, nimiaque cupidine cæci,
Quid miscere juvat vires, orbemque tenere
In medio? dum terra fretum, terramque levabit
Aër, et longi volvent Titana labores,
Noxque diem cœlo totidem per signa sequetur;
Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit. nec gentibus ullis
Credite; nec longe fatorum exempla petantur:
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

des, cum fretum excutitur, litus inferri, *crescere, procedere,* sive extendi: Contra in diluvio maris, trahi, cogi, vel plane tolli.

81. *In se magna ruunt.*] Seneca: *Ut nihil extra lacessat aut quatiat, in se ipsa Fortuna ruit.* Grotius.

85. —— *Nec unquam*
In turbam missi feralia fœdera regni:] Peiraredus amicus meus vir elegantis ingenii sensum meliorem facit scribendo, *felicia.* Grotius. *Ibidem.* Certe Peiraredi conjectura, FELICIA, meliorem efficit sensum, quam quod nullum omnino habet, FERALIA. *Nec unquam feralia,* perinde est, ac *semper fausta,* non tamen ex toto satisfacit *Felicia.* Prætulerim, DURANTIA *fœdera, durātia, duralia, feralia;* is progressus erroris. Noster 98.

Temporis angusti *mansit* concordia discors.

et viii. 218.

——Si *fœdera* nobis
Prisca manent.

88. ——— *Orbemque tenere*
In medio?] Explicat Plutarchus in Bruto, de factione simili loquens, Κίνναι καὶ Μάριοι καὶ Κάρβωνες ἆθλον ἐν μέσῳ καὶ λείαν προθέμενοι τὴν πατρίδα: *Cinnas,* ait, *et Marios, et Carbones patriam suam* IN MEDIO *proposuisse pro præmio et præda.*

89. ——— *Dum terra fretum, terramque levabit*
Aër,] Vir summus Julius Scaliger in præclaro suo de Poëtica libro sic locum hunc sugillat: *Si terra,* inquit, *sustinet mare, eadem ratione sustinebit aërem, non autem ab aëre sustinebitur.* Aliud agebat, cum hæc scriberet: Tota enim terra cum mari ab aëre sustinetur. Ovidius, Met. i. 11.

Nec circumfuso pendebat in aëre tellus,
Ponderibus librata suis.

Omnis Poëtarum Chorus hoc prædicat, ut et Philosophorum veterum.

93. ——— *Nec gentibus ullis*
Credite; nec longe fatorum exempla petantur:] Atqui versu abhinc decimo jam habuimus, et eadem versus clausula,

——— Nec gentibus ullis
Commodat:

An fortasse scripsit Auctor, *nec* FASTIBUS *ullis Credite?* Horat. Serm. iii. 3. 112.

Tempora si *fastosque* velis evolvere mundi.

Noster x. 187.

Nec meus Eudoxi vincetur *fastibus* annus.

96. *Nec pretium tanti tellus, pontusque furoris*
Tunc erat: exiguum dominos commisit asylum.] Valde placuit Papinio hoc ἐννόημα. Inde enim illud desumsit, nihilo deterius:

Et nondum crasso laquearia fulva metallo,
Montibus aut alte Graiis suffulta nitebant
Atria, congestos satis explicitura clientes.
Non impacatis regum advigilantia somnis
Pila, ne alterna ferri statione gementes
Excubiæ, nec cura mero committere gemmas,

Nec pretium tanti tellus, pontusque furoris
Tunc erat: exiguum dominos commisit asylum.

Temporis angusti mansit concordia discors,
Paxque fuit non sponte ducum. nam sola futuri
Crassus erat belli medius mora. Qualiter undas
Qui secat, et geminum gracilis mare separat Isthmos,
Nec patitur conferre fretum: si terra recedat,
Ionium Ægæo frangat mare: sic, ubi sæva
Arma ducum dirimens, miserando funere Crassus
Assyrias Latio maculavit sanguine Carras,

Atque aurum violare cibis: Sed nuda potestas
Armavit fratres; pugna est de paupere regno.

Vide et quæ sequuntur sane egregia. Grotius.

98. *Temporis angusti mansit concordia discors,*] Ab Horatio petitum. i. Epist. xii. 19.

Quid velit et possit rerum *concordia discors.*

Vel Ovid. Metam. i. 433.

—— vapor humidus omnes
Res creat, et *discors concordia* fœtibus apta est.

Quod tamen illi de rebus naturalibus usurparunt, Noster solita elegantia ad civiles transtulit.

100. *Crassus erat belli medius mora.*] Flutarchus Pompeio: Κράσσος ἐν Πάρθοις ἀπολωλὼς ἠγγέλλετο. καὶ τοῦτο κώλυμα ὂν μέγα τοῦ συμπεσεῖν τὸν ἐμφύλιον πόλεμον ἐκποδὼν ἐγεγόνει. Grotius. Seneca Lucani hujus avus Suasoria ii. *Latro*, ait, *in hac Suasoria illam dixit sententiam, si nihil aliud, erimus certe* BELLI MORA. *Postea memini Abronum Silonem recitare carmen, in quo agnovimus sensum Latronis in hoc versu,*

Ite triumphantes, *BELLI MORA* concidit Hector.

Hæc Seneca: Postea a pluribus usurpatum est, ab ipsius quoque filio ac a nepote ut hic vides. Seneca in Troasi 124. de Hectore;

—— Columen patriæ, *mora fatorum,*

Agamem. 211.

Non sola Danais Hector, et *bello mora.*

Incertus Auctor in Phœniss. 458.

—— media se opponit parens
Proinde bellum tollite, aut *belli moram.*

Iterum, —— *Qualiter undas*
Qui secat, et geminum gracilis mare separat Isthmos,
Nec patitur conferre fretum: si terra recedat,
Ionium Ægæo frangat mare:]

Id rectius quam *franget.* Est enim δυνητικὸν ut loquuntur Græci. Grotius. Aut dormitabat hic bonus Lucanus, aut fœda passus est Librariorum vulnera. Qualia enim sunt ista? Isthmos *secat undas*, tum quod idem prorsus est, *separat mare:* Mox variato tantum vocabulo, *conferre fretum;* et deinde crambe quartum repetita, *frangat mare.* Restat tamen aliud his omnibus pejus: Si terra, inquit, *recedat*, quid tum? vel *Terra*, vel *Isthmos* (ea sola verborum constructio est) *frangat Ionium mare Ægæo.* Ergo terra, etiam postquam ablata est, frangat aliquid? Quid hic agendum est? melius profecto esset a loco tam ulceroso manum abstinere: Sed vide tamen hæc, dum meliora quis extundat:

——— Qualiter *UNA*
DISSECAT et geminum gracilis mare separat Isthmos,

Parthica Romanos solverunt damna furores.
Plus illa vobis acie, quam creditis, actum est,
Arsacidæ: bellum victis civile dedistis.
Dividitur ferro regnum: populique potentis,
Quæ mare, quæ terras, quæ totum possidet orbem,
Non cepit fortuna duos. nam pignora juncti
Sanguinis, et diro ferales omine tedas
Abstulit ad manes, Parcarum, Julia, sæva
Intercepta manu. quod si tibi fata dedissent
Majores in luce moras, tu sola furentem
Inde virum poteras, atque hinc retinere parentem;

Nec patitur conferre *GRADUM:* si terra recedat,
Ionium Ægæo frangat mare.

103. ——— *Sic, ubi sæva*
Arma ducum dirimens, miserando funere Crassus
Assyrias Latio maculavit sanguine Carras,] Hunc locum in memoria habuit Silius Italicus, cum diceret ii. 6.

Patricio Cremeræ maculavit sanguine ripas.

et iterum xii. 17.

Mæonios Italo sceleravit sanguine fluctus.

Sed priorem versum, *Arma ducum dirimens, miserando funere Crassus,* in spisso mendo cubare non dubito. Quo enim modo accipis? *Crassus funere maculavit Carras sanguine?* Non agnosco nostrum tam inficetum. An, ut constructionis ratio et usus postulat, *Dirimens arma funere?* Atqui et funere caruit Crassus, et *morte* sua (si istam *funus* hic significat) non *diremit* arma ducum, sed commisit. Piget hic tentare aliquid, sed ne nihil agamus, sic mecum lege.

Arma ducum dirimens *MEDIO DISCRIMINE* Crassus.

Discrimine, sive spatio, intervallo, *dirimens medio,* ut noster; iv. 18.

——— Medius dirimit tentoria gurges.

109. ——— *Populique potentis,*
Quæ mare, quæ terras, quæ totum possidet orbem,
Non cepit fortuna duos.]

——— *MUNDIQUE PATENTIS*
Non cepit *MENSURA* duos.

ut x. 450.

Hic cui Romani spatium non sufficit orbis.

111. ——— *Nam pignora juncti*
Sanguinis, et diro ferales omine tedas
Abstulit ad manes, Parcarum, Julia, sæva
Intercepta manu, quod si tibi fata dedissent] Recte quidem *Abstulit,* modo cum reliqua oratione congrueret; ut ix. 125.

——— Romanaque Magnus ad umbras
Abstulit.

Verum cum continuo subjungatur, *Quod si* TIBI; consentaneum est, ut *Julia* persona secunda, non ut jam fertur tertia, efferatur. Repono,

ABSTRAHIS ad manes.

Tecum abstrahis: Pompeii natum, Cæsaris nepotem: nam ipsa ex puerperio obiit et paucos dies infans ei supervixit.

115. ——— *Tu sola furentem*
Inde virum poteras, atque hinc retinere parentem;] Sine dubio legendum FURENTES, præsertim cum Pompeium cui ubique favet necessario includat, illud *Furentem,* Cæsarem non ita: Seneca, Epist. xiv. *Cato, qui furentium principum armis medius intervenit: qui aliis Pom-*

Armatasque manus excusso jungere ferro,
Ut generos soceris mediæ junxere Sabinæ.
Morte tua discussa fides, bellumque movere
Permissum est ducibus: stimulos dedit æmula virtus.
Tu nova ne veteres obscurent acta triumphos,
Et victis cedat piratica laurea Gallis,
Magne, times: te jam series, ususque laborum
Erigit, impatiensque loci fortuna secundi.
Nec quenquam jam ferre potest, Cæsarve priorem,
Pompeiusve parem. quis justius induit arma,

peium offendentibus, aliis Cæsarem, simul lacessit duos.

119. *Morte tua discussa fides, bellumque movere*
Permissum est ducibus:] Sic et Velleius: *Cum medium jam ex invidia potentiæ male cohærentis inter Cn. Pompeium et C. Cæsarem concordiæ pignus, Julia uxor Magni decessit.* Annæus Florus multum hujus Annæi æmulator: *Crassi morte apud Parthos, et morte Juliæ Cæsaris filiæ, quæ nupta Pompeio, generi socerique concordiam matrimonii fœdere tenebat, statim æmulatio erupit.* Plutarchus; ὡς τὴν ἐν εἰρήνῃ καὶ ὁμονοίᾳ τἆλλα νοσοῦσαν τὴν πολιτείαν φυλασσούσης οἰκειότητος λελυμένης. Grotius. Altero abhinc versiculo dederat *Excusso ferro;* et ingrate nunc ingeritur *Discussa fides.* Restituo,

Morte tua *DISCISSA* fides.

Notum illud Catonis apud Ciceronem. *Dissuendas magis esse amicitias, quam discindendas.* Sane non temere dictum invenies *Discutere* nisi de rebus noxiis et molestis.

122. *Et victis cedat piratica laurea Gallis,*] Hinc sumsit Claudianus i. Eutrop. 502.

——————*Piratica* Magnum
Erigit, illustrat servilis *laurea* Crassum.

Quin et illud *Erigit* ex Nostro:

——— Te jam series, ususque laborum
Erigit.

123. ——— *Te jam series, ususque laborum*
Erigit,] Vide seriem orationis: *Tu,* Pompei, *times ne* &c. *te series laborum erigit.* Et *Tu,* et *te* ex sermonis Latini indole ad solum Pompeium spectare debent. Scripsit Auctor,

Magne times, *HUNC* jam series ususque laborum.

Error ex compendiosa scriptura natus, *te,* $\overline{hc}$. Claudianus ii. Proserp. 131.

Te quoque flebilibus mœrens Hyacinthe, figuris
Narcissumque metunt; nunc inclita germina veris,
Præstantes olim pueros: *TU* natus Amyclis,
HUNC Helicon genuit: *TE* disci perculit error,
HUNC fontis decepit amor: *TE* fronte retusa
Delius, *HUNC* fracta Cephissus arundine luget.

124. ——— *Impatiensque loci fortuna secundi.*] Sumsit hinc illud Papinius:

——— Jurisque secundi
Ambitus impatiens. *Grotius.*

125. *Nec quenquam jam ferre potest, Cæsarve priorem,*
Pompeiusve parem.] Sallustius dixerat de Pompeio: *Nam particeps dominationis neque fuit quisquam: Neque si pati potuisset orbis terrarum bello concussus foret.* Velleius: *Neque Pompeius, ut primum ad rempublicam aggressus est, quenquam omnino parem tulit: Et in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat.* Idem de eodem: *Civis in toga, (nisi ubi vereretur ne quem haberet parem) modestissimus, amicitiarum tenax, in offensis exorabilis, in reconciliata gratia fidelissimus, in accipienda satisfactione facilli-*

Scire nefas: magno se judice quisque tuetur:
Victrix causa Deis placuit, sed victa Catoni.
Nec coïere pares: alter vergentibus annis
In senium, longoque togæ tranquillior usu
Dedidicit jam pace ducem: famæque petitor
Multa dare in vulgus: totus popularibus auris
Impelli, plausuque sui gaudere theatri:
Nec reparare novas vires, multumque priori
Credere fortunæ. stat magni nominis umbra.
Qualis frugifero quercus sublimis in agro

mus, potentia sua nunquam aut raro ad impotentiam usus, pene omnium vitiorum expers, nisi numeraretur inter maxima, in civitate libera dominaque gentium indignari, cum omnes cives jure haberet pares, quenquam æqualem dignitate conspicere. Nec abit hinc Plutarchus de hoc ipso Pompeio: *οὐδὲ ἐβούλετο δοκεῖν ἀπιστεῖν, ἀλλ' ὑπερορᾷν μᾶλλον καὶ καταφρονεῖν.* Alibi tamen is ipse Pompeio æquior cum de Cæsare primum, deinde de Pompeio sic loquitur: *ἀπελείπετο τῷ μὲν ὑπὲρ τοῦ γενέσθαι μέγιστον τὸν ὄντα καταλύειν, τῷ δὲ ἵνα μὴ πάθη τοῦτο προαναιρεῖν ὃν ἐδεδοίκει.* Hinc non abit diversus Dion: *Πομπήϊος μὲν οὐδενὸς ἀνθρώπων δεύτερος, Καῖσαρ δὲ καὶ πρῶτος πάντων εἶναι ἐπεθύμει.* Et nota lector, primos illos duos, unde testimonia attuli, fuisse Cæsarianos: Credo et Lucanum, cum hæc scriberet, mutavit enim inter scribendum, ut jam monui. Nec tamen Pompeium ego culpa omni absolverim, non magis quam M. Tullius, ubi libere ad amicos scribit: Aut Cratippus, qui in Lesbo insula Pompeio de divina providentia ob casum Pharsalicum dubitanti, respondit interrogando, quem sponsorem haberent homines, Pompeium, si pro eo cecidisset alea belli, melius ea fuisse usurum? Et ille quidem cunctanter ut Peripateticus. Absolutius et stoica firmitate Cato apud hunc ipsum Lucanum de Pompeio:

——— nec, si fortuna favebit,
Hunc quoque totius sibi jus promittere mundi
Non bene compertum est. *Grotius.*

127. —— *Magno se judice quisque tuetur:*] Me quidem judice, non *Quisque* dedit auctor, sed UTERQUE: Et quod solemne est Librariis, ideo mutarunt, ut generalem sententiam conficerent. Scio *quisque* de *duobus* dictum semel iterumve inveniri Ovid. Heroid. xix. de Hero et Leandro:

Atque ita *quisque* suas iterum redeamus ad urbes.

Sed et hic, credo, scripsit *uterque;* quod facili errore Librarios fefellit, *quisque, uterque,* demptis scilicet apicibus. Loca quæ e Prosa adducuntur, non moror. Martialis i. 6.

Quæ majora putas miracula, summus *utrique*
Auctor adest: hæc sunt Cæsaris.

131. *Dedidicit jam pace ducem:*] Satis rara locutio; sed a Patruo habuit. Troasi, v. 883. Helena ad Polyxenam.

Depone vultus squalidos, festos cape,
Dedisce captam.

135. ——— *Stat magni nominis umbra.*] Hinc sumsit auctor incertus tragœdiæ Octaviæ, quæ nunc ut Senecæ fertur, v. 70.

Nunc in luctus servata meos
MAGNI resto *NOMINIS UMBRA.*

137. *Exuvias veteres populi,*] Rectius Colbertinus veterrimus, Bersmanni unus, et Regiorum alter,

Exuvias *VETERIS* populi.

Plus enim est, *Exuvias veteris ac defuncti populi,* quam *veteres exuvias* populi adhuc fortasse viventis. Statius Thebaid. vi. 67.

Exuvias veteres populi, sacrataque gestans
Dona ducum: nec jam validis radicibus hærens,
Pondere fixa suo est: nudosque per aëra ramos
Effundens, trunco, non frondibus, efficit umbram:
At quamvis primo nutet casura sub Euro,
Tot circum silvæ firmo se robore tollant,
Sola tamen colitur. Sed non in Cæsare tantum
Nomen erat, nec fama ducis: sed nescia virtus
Stare loco: solusque pudor non vincere bello.

Arma etiam *veterum exuvias* circumdat *avorum.*

141. *At quamvis primo nutet casura sub Euro,*] Multo id melius quam *Et.* Grotius. Codices plerique cum editionibus primis SED *quamvis,* Colbertinus veterrimus cum Harleiano paucisque aliis Et *quamvis.* Accedo. non enim opponuntur hæc præcedentibus, sed consentiunt: *Fixa est suo pondere et trunco umbram efficit*, ET *quamvis ad ventum nutet, sola tamen colitur.*

145. ——— *Solusque pudor non vincere bello.*] Jugularunt sententiam Librarii, dum quod non intelligunt, mutant. Restituo,

—— Solusque pudor non *VINCERE LENTE.*

Bello hic inertissimum est, verum quamvis mortalium, etiam ignavos, pudeat *vinci bello;* at Cæsarem etiam *vicisse* puduit, si lente ac tarde. Noster vii. 73.

——— Merito Pompeium *VINCERE LENTE,*
Gentibus indignum est a transcurrente subactis.

Et iii. 51. de Cæsare.

—— Nec vincere tanti,
Ut bellum differret, erat.

Sumsit hinc Silius, xiv. 127. de Marcello.

Instabat ductor, cui *TARDE VINCERE* Graias
Par erat, ac vinci.

Porro ideo sustulerunt LENTE, quia illud NON caliginem iis offudit: Crediderunt sic dici oportere, *Solus pudor, vincere lente;* non cum negativa particula, *non vincere,* sed fefellit eos acumen suum. Seneca patruus Hippolyto, v. 140.

Honesta primum est velle, nec labi via:
Pudor est secundus, *nosse* peccandi modum.

Ubi *Honesta,* ex Nic. Heinsii emendatione assumsi; vides, ut apud hunc *Pudor est, nosse modum;* non, *ignorare modum;* Ita apud Nostrum, *Pudor est, non lente vincere,* non, quod vulgo dicerent, *lente vincere.* *Solus* igitur *Pudor,* perinde fere est ac *sola cura,* sola cautio, studium, virtus. Omnia nunc apte cohærent, non stare loco, *non lente vincere,* incredibili erat Cæsar celeritate.

146. *Acer, et indomitus; quo spes, quoque ira vocasset,*
Ferre manum, et numquam temerando parcere ferro:] Leve primo erratum tolle, in quo solemniter peccant Librarii, *Que,* pro *Ve* passim substituentes,

—— Quo spes, quoVE ira vocasset,

Male codex Bersmanni *Tulisset.* Silius xii. de Hannibale,

Flectebat rabiem, quo *præda VEL ira vocasset.*

Aliud enim adhuc restat, interioris curæ. Quid enim est *Parcere temerando* FERRO? *Temerare ferro* aliquid, satis notum: Ipsum ferrum temerari sive violari nunc primum didici. Ovid. Metam. viii. 742.

Dicitur et lucos *ferro temerasse* vetustos.

Horat. Serm. ii. 3.

Non Pyladen *ferro violare* aususve sororem.

Acer, et indomitus; quo spes, quoque ira vocasset,
Ferre manum, et nunquam temerando parcere ferro:
Successus urgere suos: instare favori
Numinis: impellens quicquid sibi summa petenti
Obstaret: gaudensque viam fecisse ruina.
Qualiter expressum ventis per nubila fulmen
Ætheris impulsi sonitu, mundique fragore
Emicuit, rupitque diem, populosque paventes
Terruit, obliqua præstinguens lumina flamma:

Facile crediderim, sic ab Authoris manu profectum,

Et nunquam temerando parcere *JURI.*

Dum mores hominis, ac ingenium, et characterem depingit Noster, ipsius Cæsaris verba vel Historica fide huc ducit. Suetonius Cæsare c. 30. *Quidem putant captum imperii consuetudine, usum occasione rapiendæ dominationis: Quid existimasse videtur et Cicero, scribens De officiis tertio libro, semper Cæsarem in ore habuisse Euripidis versus, quos sic ipse convertit;*

Nam si VIOLANDUM est JUS, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Cicero ipse iii. 21. *Ipse autem socer in ore semper Græcos versus de Phœnissis habebat; quos dicam ut potero, incondite fortasse, sed tamen ut res possit intelligi, Nam si violandum, &c.* Versus adhuc restant in ea fabula Euripidis,

Εἰ χρὴ γὰρ ἀδικεῖν, τῆς τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν. τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Satine jam compertum est, ad hoc ipsum respexisse Lucanum? Neque enim monito opus est *Temerare jus* et *Violare jus*, unum idemque esse. Noster de Cæsare, i. 225.

Hic, ait, hic pacem TEMERATAQUE JURA
relinquo.

Tacitus Annal. i. 40. *Cur gravidam conjugem inter furentes et omnis humani juris violatores haberet?* Silius xi. 160.

Itis, ait, cives, violanda ad Jura parentum.

Seneca Medea 614.

Exitu diro *temerata* ponti *jura* piavit.

Tacitus Hist. iii. 80. *Sacrum etiam inter exteras gentes* jus, *civilis rabies usque in exitium* temerasset.

148. *Successus urgere suos:*] Hinc cepit illud Claudianus i. Stil. v. 2.

——— Successusque novos successibus *urgent.*

Ut recte dedit Heinsius, non ut antea, *augent.* Contra, ex Patruo sumsit Noster quod mox sequitur,

Gaudensque viam fecisse ruina.

Nam ille in Herc. Fur. 67.

Nec in astra læta veniet, ut Bacchus, via;
Iter ruina quæret.

153. *Emicuit, rupitque diem, populosque paventes*
Terruit, obliqua præstinguens lumina flamma:

In sua templa furit:] Primus omnium Pulmannus ex unico Codice, PRÆSTINGUENS in textum recepit: Hunc secutus est Bersmannus; et deinceps Grotianas Editiones commaculavit inficeta lectio. Quid enim? an quoties fulmen erumpit, *præstinguit* populis oculos, et excœcat genus humanum? Omnes nostri codices vel PRÆSTRINGENS vel quod idem est, PERSTRINGENS; posterius adsciscunt, Colbertini duo, et Lactantius ad Statium. Cæterum si filum orationis sequaris, facile deprehendes, Conjunctionem hinc abesse; *Qualiter*, ait, *fulmen emicuit rupitque diem, populosque terruit,*

In sua templa furit: nullaque exire vetante
Materia, magnamque cadens, magnamque revertens
Dat stragem late, sparsosque recolligit ignes.
Hæ ducibus causæ suberant: sed publica belli
Semina, quæ populos semper mersere potentes.
Namque ut opes nimias mundo fortuna subacto
Intulit, et rebus mores cessere secundis,
Prædaque et hostiles luxum suasere rapinæ:

in regna sua furit. Deest, inquam, connexio, vel, Fulmen QUOD *emicuit*, sive CUM *emicuit*, furit in sua templa; vel, Fulmen *emicuit*, ET *furit* in sua templa. Ne inusta maneat hæc macula, sic refingo,

———— per nubila fulmen
UT MICUIT, rupitque diem, populosque paventes
Terruit, obliqua PRÆSTRINGENS lumina flamma:
In sua templa furit.

Ut micuit, Cum primum micuit, Postquam micuit, Seneca Agam. 495.

Et nube dirum fulmen elisa *micat*.

Silius xvii. 252.

Hinc rupti reboare poli, atque hinc crebra *MICARE*
Fulmina.

Livius 40, 58. Cum ingenti fragore cœli *tonitribus et fulguribus præstringentibus aciem oculorum, sed fulmina etiam sic undique* micabant *ut peti viderentur corpora.* Cæterum in hoc tota comparationis vis et venus est; quod ut Fulmen in *sua* templa, ita Cæsar in *suam* civitatem ac patriam furebat.

155. ——— *Nullaque exire vetante
Materia, magnamque cadens, magnamque revertens
Dat stragem late,*] Geminatur, ut vides, QUE; quod non est moris apud Nostrum, inter *Cadens* ac *Revertens*, non est plena sed obscurior oppositio. Repone, si literarum ductus sequi velis, VADENS, si sententiæ ductum,

——— nullaque exire vetante
Materia, magnam *VENIENS* magnamque revertens ———

Plin. Hist. ii. 55. *Nec tam adventus fulminum spectatur, quam* reditus. Et mox, *Itaque plurimum refert, unde* venerint *fulmina, et quo* concesserint. Denique, *Cum a prima cœli parte* venerint, *et in eandem* concesserint, *summa felicitas* portenditur. Vides hic adventum, reditum, venire, concedere, eodem Antitheto, quo Noster,

Magnam, *veniens*, magnamque *revertens*.

165. —— *Fœcunda virorum Paupertas fugitur;*] Palladas:

Μισοῦνται πενίην μητέρα σωφροσύνης. Grotius.

Nihil ad hunc locum facit Palladæ versiculus.—*Odio habent paupertatem matrem temperantiæ*, frugalitatis, pudicitiæ; Alia res agitur. Paupertas publica ideo fecunda virorum (sic enim Priscianus legit p. 1165.) hic dicitur, quod pauper populus numerosam sobolem creet, dives vero et luxuriosus exiguam. Seneca Epist. 87. *His interrogationibus suasuri aut dissuasuri sumus? His effecturi*, ut populus Romanus paupertatem, fundamentum, et causam imperii sui, *requirat ac laudet? Divitias autem suas timeat?* Livius vii. 25. *Undique non urbana tantum, sed etiam agresti juventute decem legiones scriptæ dicuntur, quaternum millium et ducenorum peditum, equitumque trecenorum quem nunc novum exercitum, si qua externa vis ingruat, hæ vires populi Romani, quas vix terrarum capit orbis, contractæ in unum, haud facile efficiant: Adeo in quæ laboramus sola crevimus, DIVITIAS LUXURIAMQUE.*

Non auro, tectisve modus: mensasque priores
Aspernata fames: cultus gestare decoros
Vix nuribus, rapuere mares: fœcunda virorum
Paupertas fugitur; totoque accersitur orbe,
Quo gens quæque perit. tunc longos jungere fines
Agrorum, et quondam duro sulcata Camilli
Vomere, et antiquos Curiorum passa ligones
Longa sub ignotis extendere rura colonis.
Non erat is populus, quem pax tranquilla juvaret,

Cæterum ex hoc loco copias suas auxit Silius, de luxu Campano xiii. 352.

> Egeritur præda, *et victus* alimenta superbi,
> Queisque bonis *periere*, virum de corpore *vestes*
> Femineæ, *mensæque alia tellure* petitæ.

In quibus illa Nostri elucent,

> ——— mensasque priores
> Aspernata fames, *cultus*, gestare decoros
> Vix nuribus, rapuere mares.———
> ——— totoque accersitur orbe,
> Quo gens quæque *perit.*

Atque hinc in alio Silii loco de iisdem Campanis xi. 41.

> ——— madefacta veneno
> Assyrio *manibus* vestis, medioque dierum
> Regales epulæ, &c.

Fred. Gronovii emendatio confirmatur, Quem enim non offendat illud *Manibus?* Alii alia tentaverunt, sed ille felicissime. MARIBUS, ut supra, *Virum* de corpore vestes femineæ, et, Cultus gestare decoros vix nuribus, rapuere *mares.* Seneca Nat. Quæst. vii. 31. Muliebres munditias antecessimus: Colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri sumimus. Idem in Hyppol. 206.

> Tunc illa magnæ dira fortunæ comes
> Subit libido; non placent suetæ dapes,
> Non tecta sani moris, aut *vilis cibus.*

Mendum hic grandius agnovere Gruterus et Gronovius. Quorsum enim *Cibus* post *Dapes?* Hic timidiuscule tendat, HUMILIS, aut VILIS TORUS. Sed *humilia* et *vilia* in ampla fortuna jure ac merito non placent, unde sic refingo,

> Non tecta sani moris, aut *CULTUS PRIOR.*

Cum semel in textum admisissent aut *Ullos* aut *Vilis,* necessario quærendum erat nomen Substantivum.

167. ——— *Tunc longos jungere fines Agrorum,*] Mox tertio abhinc versu rursus habebimus,

> Longa sub ignotis extendere rura colonis.

Ergo hic repone,

> Tunc *LATOS* jungere fines.

Seneca Epist. 90. *Licet in provinciarum spatium rura dilatet, et possessionem vocet per suam longam peregrinationem; nulla nos finium propagatio eo reducet, unde discessimus.* Et de Ira i. *Et sub singulis villicis* LATIORES *habet* FINES, *quam quos consules sortiebantur.* Inde *Latifundia* dicta. Plin. Hist. viii. 7. *Verum confitentibus Latifundia perdidere Italiam.* Cæterum in verbis istis *sub ignotis colonis,* duplex sui sæculi reprehensio est; quod rura, quæ olim ipsi domini colebant, nunc colonis elocentur; eisque etiam ignotis; quippe, ut Columella i. 7. Si prædium locandum fuerit, *is patris-familias felicissimus fundus est, qui* colonos indigenas *habeat, et tamquam in paterna possessione natos jam inde a cunabulis longa familiaritate retineat.*

168. ———*Et quondam duro sulcata Camilli Vomere,*] Omnis quidem *Vomer* per se durus est, ut Virg. Georg. iii. 515.

> Ecce autem *duro* sub *vomere* taurus.

Numquid tamen vomer Camilli durior

C

Quem sua libertas immotis pasceret armis.
Inde iræ faciles, et, quod suasisset egestas,
Vile nefas: magnumque decus, ferroque petendum,
Plus patria potuisse sua: mensuraque juris
Vis erat: hinc leges, et plebiscita coactæ;
Et cum Consulibus turbantes jura Tribuni:
Hinc rapti pretio fasces, sectorque favoris
Ipse sui populus; letalisque ambitus urbi;
Annua venali referens certamina Campo:

erat vomeribus sæculo Pompeii factis? Scripsit Auctor.

——— Et quondam *DURI* sulcata Camilli
Vomere.———

Major agricolæ laus, quod Ipse durus est, quam quod vomer. *Duri Catonis.* Virg. Georg. i. 160.

Dicendum et quæ sint *duris agrestibus* arma.

Passim venit *Durus*, pro patiente, laborioso, paucis contento.

172. *Quem sua libertas immotis pasceret armis.*] Immo restitue,

Quem sua libertas immotis pasceret *ARVIS.*

Nempe id quod ante questus est, v. 28.

Horrida quod dumis multosque inarata per annos
Hesperia est, desuntque manus poscentibus *arvis.*

Populus in urbe sedebat otiosus, ludisque occupatus, agris interim neglectis. Livius iv. 12. *Cœpere a fame mala, seu adversus annus frugibus fuit, seu dulcedine concionum et urbis, deserto agrorum Cultu.* Virg. Georg. i. 123.

——— pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem
Movit agros.

Seneca de Benef. iv. 14. *Beneficium damus arbustis? quæ colimus, ne siccitate, aut IMMOTI et neglecti SOLI duritia laborent.*

176. —— *Hinc leges, et plebiscita coactæ;*] Sic quidem Editiones et major pars codicum *Plebiscita:* Quod et adsciscit Priscianus, p. 1100. *Diversa*, inquit, *Genera similiter construuntur, ut Lucanus in i. Hinc leges et plebiscita coactæ.* Pace tamen magni Magistri, plus placet altera lectio, quam Codex Puteaneus tresque ex nostris alii præferunt,

Hinc leges et *PLEBIS SCITA* coactæ.

Scita plebis coactæ, casu patrio; non ut ille, *leges coactæ.* Seneca Epist. 95. *Ex Senatus consultis Plebisque scitis sæva exercentur, vetita privatim.* Livius iii. 67. *Vidimus auxilium tribunicium, provocationem ad populum, scita plebis injuncta patribus.* Valer. Max. ix. 7. *Sed quis ferat militem* scita plebis *exitio legati corrigentem?*

177. *Et cum Consulibus turbantes jura Tribuni:*] *Turbare* quidem *jura.* Livius vii. 6. *Deletum cum duce exercitum documento fuisse, ne deinde* turbato *gentium* jure *comitia haberentur.* Sic et *turbare leges.* Sed nihilominus *jura* ista ex loco hoc exturbanda sunt, quia altero abhinc versu præcesserat JURIS. Reponendum.

Et cum Consulibus turbantes *ROSTRA* Tribuni.

Noster iv. 799. de Curione Trib. Pleb.

Quid nunc *ROSTRA* tibi prosunt *TURBATA*, *forumque?*

Plin. Hist. xvi. 5. *Postquam vero Tribuniciis seditionibus Rostra calcari ac pollui cœpere.* Sic *Turbare comitia, fora, conciones.*

178. *Hinc rapti pretio fasces,*] Omnes Codices paulo vetustiores, cum Editione Romana mutato vocum ordine,

Hinc rapti *FASCES PRETIO*, sectorque favoris.

Hinc usura vorax, avidumque in tempore fœnus,
Et concussa fides; et multis utile bellum.

Jam gelidas Cæsar cursu superaverat Alpes;
Ingentesque animo motus, bellumque futurum
Ceperat. ut ventum est parvi Rubiconis ad undas,
Ingens visa duci patriæ trepidantis imago,
Clara per obscuram vultu mœstissima noctem,
Turrigero canos effundens vertice crines,

Qui omnino sequendi sunt, Versus enim grandior pleniorque sic incedit.

181. —— *Avidumque in tempore fœnus,*] Colbertinus secundus, Harleianus, et Cod. Coll. Trin. cum uno Pulmanni, *in* TEMPORA, quod doctius et speciosius est. Seneca Troad. 485.

> ——— in luctus suos
> Rex non avarus.

Silius x. 340.

> ——— avidasque ad futile votum
> Spes juvenis frœnare parat.

184. *Ingentesque animo motus,*] Ita scripti editique INGENTES. Quod tamen falsi arguit damnatque repetita vox illa versu abhinc altero,

> *INGENS* visa duci patriæ trepidantis imago.

Ex his alterutrum mendosum esse jam constat: Posterius vero recte se habere fidem facit, Claud. i. Eutrop. 390. de eadem Romæ imagine,

> Dimovit nebulam, juvenique apparuit *INGENS*;
> Tum sic orsa loqui.

Prius ergo hinc removendum est, cujus loco restituo.

> *SURGENTESque* animo motus, bellumque futurum,
> Ceperat.

Surgentes, incipientes, nascentes, orientes; ut mox *futurum.* Noster vi. 322. de hoc ipso rerum statu:

> Hesperiam potui, *MOTU SURGENTE*, tenere.

Æn. iv. 43.

> Quid *bella* Tyro *surgentia* dicam?

Cæterum in colo sequenti hic ordo est, *Imago patriæ visa adstare et loqui* (verba) *permixta gemitu.* Æn. iii. 150.

> ————— Penates,
> ——— *visi* ante oculos adstare jacentis
> In somnis multo manifesti lumine.

Ubi vides, quid *clara* apud Nostrum velit. Silius i. 631.

> —— præsens adstare Sagunti
> Ante oculos visa est extrema precantis *imago*.

Gemitu permixta (Verba scilicet,) ut Silius xviii. 84.

> Sic Latius permixta minis, et cassa movebat
> Ductor.

Ubi SET *Cassa*, quod est SED, reponendum, S. litera absorpta in *Minis:* Quod passim fit in Membranis vetustioribus.

188. ——— *Effundens vertice crines, Cæsarie lacera,*] Cave suspiceris mendum hic subesse, quod post *crines* addit *Cæsariem:* Sic enim et alibi, viii. 680. de Pompeio,

> ——— hirta *coma*, et generosa fronte decora
> Cæsaries.

et Silius.

> ——— flavam qui ponere victor
> *Cæsariem crinemque* tibi, Gradive, vovebat.

et vi. 426. de Regulo.

> ——— horrida cano
> Vertice descendens ingentia colla tegebat
> *Cæsaries*, frontique *coma* squalente sedebat
> Terribilis decor.

et denique viii. 561. de Scipione Africano,

> Martia frons, facilesque *comæ*, nec pone retroque
> Cæsaries brevior.

Cæsarie lacera, nudisque adstare lacertis,
Et gemitu permista loqui: Quo tenditis ultra?
Quo fertis mea signa, viri? si jure venitis,
Si cives: hucusque licet. Tunc perculit horror
Membra ducis, riguere comæ, gressumque coërcens
Languor in extrema tenuit vestigia ripa.
Mox ait: O magnæ qui mœnia prospicis urbis
Tarpeia de rupe tonans, Phrygiique penates
Gentis Juleæ, et rapti secreta Quirini,
Et residens celsa Latialis Juppiter Alba,
Vestalesque foci, summique o numinis instar,
Roma, fave cœptis: non te furialibus armis
Persequor: en adsum victor terraque, marique

In Hypercritico suo Julius Scaliger, ubi de Lucano censuram agit, *Dubitandum*, inquit, *an pure loquatur, qui Veneris comam, Cæsariem appellat, id quod fecit Claudianus; sic et Lucanus in primo.* Lucani locus, quem notat, hic est; Claudiani, de Nupt. Honorii 99.

Cæsariem tunc forte Venus subnixa corusco
Fingebat solio.

Nempe Magistri sanxerunt, Cæsariem non nisi de viris dici. At, opinor, utrosque absolvet Scaligeri deus Virgilius, ejusdem si quod est criminis reus. Georg. iv. 336.

Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque,
Cæsariem effusæ nitidam per candida colla.

198. *Et residens celsa Latialis Juppiter Alba,*] Colbertinus veterrimus, LATIARIS, et sic infra *535.* idem codex,

——— percussit *LATIARE* caput.

Neque aliter meliores codices apud Livium et alios. Forte etiam corrigendum, *Latiari Juppiter.* Nam Plinio est Juppiter *Latiarius*, et Græcis semper λατιάριος. Cicero pro Milone c. 31. *Tuque ex edito tuo monte* Latiaris *sancte* Juppiter. Codex vetustissimus apud Gruterum *Latiari.*

199. —— *Summique o numinis instar, Roma,*] Hinc Martialis, vii. 11.

Perque tuas aures, magni mihi numinis instar.

et Silius xiii. 623.

—— o magni mihi numinis instar,
Cara parens.

205 —— *Sic cum squalentibus arvis Æstiferæ Libyes,*] Illud *Cum* quod ex uno codice primus admisit Bersmannus, onerat impeditque sententiam; Manuscripti fere omnes cum Romana ac Veneta, SICUT, repone ex codice Regio et Bersmanni altero,

SIC IN squalentibus arvis

206. —— *Viso Leo comminus hoste Subsedit dubius,*] Cur vero *Subsedit* tempore præterito? Quasi hic unius cujusdam leonis mos esset, et non natura omnium? Repone, SUBSIDIT. Silius v. 309. de leone ex Nostro mutuatus;

Haud secus e specula præceps delatus opaca,
SUBSIDENS campo submissos contrahit artus.

Vides hic *contrahit*, et in Virgil. Æn. xii. 6.

——— *Movet* arma leo:

Ergo et hic *subsidit*, non *subsedit.*

208. *Mox ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ,*] Pulcherrimam sane descriptionem unius vocabuli vitio dehonestavit. Cui enim placeat illud, SÆVÆ *caudæ?* Præsertim cum in se leo, non in hostem,

Cæsar, ubique tuus, (liceat modo) nunc quo miles.
Ille erit ille nocens, qui me tibi fecerit hostem.
Inde moras solvit belli, tumidumque per amnem
Signa movet propere. sic cum squalentibus arvis
Æstiferæ Libyes viso Leo comminus hoste
Subsedit dubius, totam dum colligit iram;
Mox ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ,
Erexitque jubam, et vasto grave murmur hiatu
Infremuit: tum torta levis si lancea Mauri
Hæreat, aut latum subeant venabula pectus,
Per ferrum tanti securus vulneris exit.

Fonte cadit modico, parvisque impellitur undis

flagello caudæ utatur. Plinius Hist. viii. 19. de Leonibus: *In principio iracundiæ, terra verberatur cauda: Incremento, terga ceu quodam incitamento flagellantur.* Leo quidem sævus, et verbera etiam sæva; sed *caudam sævam*, nisi in Scorpio vel ejusmodi alio vix auribus propitiis accipias. Seneca patruus in Œdip. 95. de Sphynge,

> Cumque e superna rupe, jam prædæ imminens
> Aptaret alas verbere, et caudam movens
> Sævi leonis more, conciperet minas,
> Carmen poposci.

Sic dederunt viri summi Jos. Scaliger et Fred. Gronovius. Sed ut condonem eis, *verbere alas aptare;* quis ferat illud tam languidum, in *sævi* leonis ira *moveri* tantum caudam? Veterrimi Senecæ codices *caudæ* habent: Tu vero memento, *movens* dempto apice in priscis Membranis scribi, *moves*. Lege,

> Aptaret alas; verbere et caudæ *GRAVES*,
> Sævi leonis more, conciperet minas.

Vides, opinor, Nostrum *verbere caudæ* ex patrui penu accepisse, sed utinam pro *sævæ*, aliud quoddam Epitheton nobis dedisset. Homerus de leonibus, Οὐρῇσι μακρῇσι, caudis longis.

211. —— *Aut latum subeant venabula pectus,*] Martialis viii. 55. de leone, ex hoc ipso loco desumtum,

> Grandia quam decuit *LATUM VENABULA PECTUS.*

213. —— *Parvisque impellitur undis Puniceus Rubicon,*] Scio quid sit undas impellere, vel ex Georg. iv. 505.

> Hoc geritur Zephyris primum *impellentibus* undas.

Venti scilicet impellunt undas. At quid hoc est, quod *Rubicon suis undis impellitur?* Ergone fluvius diversum quiddam est ab aquis suis? Quid quod istæ *parvæ undæ* sunt ipsa glacie frigidiores? Quis sic locutus est? Huc accedat, quod decem versiculorum spatio ter eadem voce linea clauditur, *Impellitur undis, Auxerat undas, Fluminis undas.* Sine dubio flagitia Librariorum hæc sunt, non incuria Auctoris. Quid si ille sic scripserit?

> Fonte *FLUIT* modico, *PARVAQUE IGNOBILIS URNA,*
> Puniceus Rubicon, cum fervida canduit æstas.

Certe cum Puniceum dicit, quasi nomen a *Rubore* ductum sit, videtur Personam Fluvio dare, ut alii passim; Æn. vii. 64.

> Cœruleus Tibris, cœlo gratissimus amnis.

Ibid. vii. 792.

> Cælataque amnem fundens pater Inachus *urna.*
> —— et Rhenus projecta torpuit *urna.*
> —— et aurata Pactolus inhorruit *urna.*

Puniceus Rubicon, cum fervida canduit æstas:
Perque imas serpit valles, et Gallica certus
Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis.
Tunc vires præbebat hyems, atque auxerat undas
Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu,
Et madidis Euri resolutæ flatibus Alpes.
Primus in obliquum sonipes opponitur amnem,
Excepturus aquas. molli tum cætera rumpit
Turba vado fracti faciles jam fluminis undas.

Jam vero *Ignobilis* adeo apposite, ut nihil magis.

217. —— *Atque auxerat undas*
Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu,] Sic omnino legendum, non *hauserat*, quod esset, ad se traxerat. Causas enim explicat, cur Rubicon solito esset aquosior, longos imbres, et nives Alpinas. Grotius. Val. Flaccus ii. 56.

Puraque nec gravido surgebat Cynthia cornû.

Tertia luna, quæ sit quærunt Interpretes: Noxne tertia sit ab interlunio, an tres noctes continuæ. Ita Plinius quidem, Rei rusticæ scriptores, aliique, *Luna tertia, quarta, septima, decima quinta*, &c. de singulis noctibus dicunt. At quia *jam* addit Noster, omnino intelligendum, et tertiam, et secundam, primamque Lunam pluviales fuisse.

222. *Turba vado fracti faciles jam fluminis undas.*] Codices nostri universi cum Romana et Veneta, alio et faciliore ponunt ordine.

Turba vado *faciles jam fracti* fluminis undas.

Sed, ut jam dictum, illud UNDAS, ter intra paucas lineas repetitur, idque in eadem sede, ac fine versus, merito lectorem offendat. Quin etiam, *molli vado*, et *faciles undas*, quam prope ad Tautologiam accedunt? Vix dubitare possum, quin sic a Poëta editum sit.

—— molli tum cætera rumpit
Turba vado faciles jam fracti fluminis *IRAS*.

Horat. ii. Carm. 12.

—————— aut *FACILI SÆVITIA* negat
Quæ poscente magis gaudeat eripi.

Noster i. 173. licet sensu diverso,

Inde *IRÆ FACILES*; et quod suasisset egestas,
Vile nefas.

Juvat etiam illud *Fracti*: Nam *Iram frangere*, et *fracta rabies*, passim occurrunt.

231. *Vicinumque minax invadit Ariminum, ut ignes*
Solis lucifero fugiebant astra relicto.] Pro *et* posuimus *ut*, connectendæ concinnius sententiæ. Neque tamen refrager, si quis et hanc voculam ejiciat, scribatque Græca terminatione *Ariminon*, ut infra *Auximon*, et *Rhegion* apud Ovidium. Grotius. ET habent codices universi: UT ex conjectura adscivit Grotius: Quæ tamen rejicienda est, si magis placet ARIMINON. Mihi certe unice placet, ut ii. 466.

Varus, ut admotæ pulsarunt Auximon alæ.

Quæ coactus Poëta fecit, ut evitaret scabram illam et ingratam Syllabæ elisionem. *Rhegion* vero Ovidii non omnino huc facit, nam Urbs Græca erat, et Græco nomine efferenda: Stephanus, Ῥηγίον, πόλις Ἑλληνίς. Sic igitur locum constituit Grotius:

Vicinumque minax invadit Ariminon, ignes
Solis lucifero fugiebant astra relicto.

Nollem factum: Nam præterquam quod arena sine calce sunt, et necessario requiritur Conjunctio; etiam aliud obstat, quod a nullo doctus, ipse vero animum

Cæsar ut adversam superato gurgite ripam
Attigit, Hesperiæ vetitis et constitit arvis,
Hic, ait, hic, pacem, temerataque jura relinquo;
Te, Fortuna, sequor: procul hinc jam fœdera sunto.
Credidimus fatis, utendum est judice bello.
Sic fatus, noctis tenebris rapit agmina ductor
Impiger, et torto Balearis verbere fundæ
Ocyor, et missa Parthi post terga sagitta:
Vicinumque minax invadit Ariminum, ut ignes

advertens jam tecum communicabo. In versu heroico, raro admodum fit distinctio plenior pausa, vel clausula, in pede quinto: Sed ubicumque illud fit, tum quia in legendo vox ob coli finem deprimitur et ἐν θέσει est, ea erigenda est in priore syllaba pedis sexti; idque ex arcana Musices ratione, quam qui aurem habet, admonitus a me, facile deprehendet. Hanc ejus syllabæ elevationem ut consequantur Poëtæ, conficiunt sextum pedem ex duobus Monosyllabis, eo enim pacto vox in quinto pede demissior, in sexto necessario extollitur. Vide modo hæc Virgiliana. Ecl. vii. 35.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: àt tu, &c.

Æn. iii. 695.

Occultas egisse vias subter mare; quì nunc, &c.

xii. 526.

Æneas Turnusque ruunt per prælia: nùnc, nunc, &c.

v. 372.

Victorem Buten immani corpore; quì se, &c.

624.

Traxerit ad letum patriæ sub mœnibus: ò gens, &c.

713.

Huic trade amissis superant qui navibus; èt quos, &c.

Et Lucani ista, vi. 700.

Persephone, nostræque Hecates pars ultima, per quam, &c.

Vides hic vocem Monosyllabi virtute extolli: Quod eo justius fit, cum Monosyllabon repetitum est, et majorem inde Emphasin adipiscitur, ut in his Maronis; Ecl. v. 83.

Nec percussa sonant fluctu tam litora; nèc quæ, &c.

vi. 39.

Incipiant silvæ *cum* primum surgere; cùmque, &c.

Geor. i. 80.

Ne saturare fimo pingui pudeat sola; nève, &c.

223.

Debita *quam* sulcis committas semina; quàmque, &c.

Atque hac repetiti verbi potestate, non nunquam et dissyllabon pedem ultimum obtinet; ut Noster vii. 350.

Ipsi tela regent per viscera Cæsaris, ipsi
Romanas sancire volent hoc sanguine leges.

Virgilius, v. 633.

Nullane jam Trojæ dicentur mœnia? nùsquam
Hectoreos amnes Xanthum et Simoënta videbo?

Hic enim *nulla* et *nusquam* repetitionis vim obtinent, sensu non syllabis convenientia. Non dicam tibi, ad has leges Poëtas cæteros, numerorum studiosos, accommodare se: Ipse tibi credes, cum rem cognoveris. Quid ergo? An in hoc versiculo,

Vicinumque minax invadit Ariminon, ignes, &c.

Emphaseos vim ullam aut vocis elevandæ jus illud *Ignes* sibi arroget? Minime

Solis lucifero fugiebant astra relicto.
Jamque dies primos belli visura tumultus
Exoritur: seu sponte deum, seu turbidus Auster
Impulerat, mœstam tenuerunt nubila lucem.
Constitit ut capto jussus deponere miles
Signa foro, stridor lituum, clangorque tubarum
Non pia concinuit cum rauco classica cornu.
Rupta quies populi, stratisque excita juventus
Diripiunt sacris affixa penatibus arma,
Quæ pax longa dabat: nuda jam crate fluentes

vero: Neque stare potest ob eandem causam sagacissimi Rutgersii conjectura in Luc. i. 74.

> Antiquum *REPETENS* iterum chaos omnia: mixtis
> Sidera sideribus concurrent.

Equidem crediderim *ignes* illos *Solis*, Explicationis gratia, inter lineas ingestos mox versum ipsum ambussisse; quem sic refingo,

> Vicinumque minax invadit Ariminon: *ET JAM*
> *CÆTERA* lucifero fugiebant astra relicto.

Et jam, recepta phrasis in temporis notatione: Virgil. Æn. iv. 584.

> *ET JAM* prima novo spargebat lumine terras.

Poterat quis, proprius ad Librariorum fidem, *Et jam Solem lucifero*, &c.

237. *Signa foro, stridor lituum,*] Repono, ET *stridor*, ordo enim et Orationis series sic procedit: *Postquam miles in foro constitit*, ET *tubæ classica concinuit, rupta est populo quies.*

238. *Non pia concinuit cum rauco classica cornu.*] *Pium*, et *non pium bellum* quid sit didicisse videor: Lucret. v. 382.

> Denique tantopere inter se cum maxima mundi
> Pugnent membra, pio nequaquam concita bello.

Et *justum piumque bellum* lege apud Livium, Suetonium, et alios. Sed quoniam bellum pium recte dicitur, an idcirco et *pia classica?* Quare autem tam languide et clementer Noster, *non pia;* potius quam impia? An ut Cæsari parceret? Sane: et notus est nimii erga illum favoris. Propertius quidem, versus gratia, sic loquitur, iii. 11. 55.

> Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
> Nutrit in hospitio *non*, Polydore, *pio*.

Nempe *Impio* metri ratio repudiavit: At Nostro quæ necessitas aut verecundia? Quin nequaquam hic agitur de causa ac jure armorum: Hoc tantum; quomodo Ariminenses cives somno excussi sunt, id factum tubarum fremitu et Gallorum hostium metu: Viso autem Cæsare signisque Romanis, muti facti sunt illico. Repone igitur,

> *MARTIA* concinuit cum rauco classica cornu

Error ex scripturæ compendio.

239. *Rupta quies populi, stratisque excita juventus*] Colbertinus secundus, cum Bersmanni Pulmannique uno et altero, POPULIS: Melius profecto quam *populi:* Non placent tamen binæ voces sibilantes, *populis, stratis*, et Ariminenses unus erant populus, lege igitur,

> Rupta quies *POPULO.*

Statius Theb. ii. 125.

> *Illi rupta quies:* attollit membra toroque
> Erigitur.

Silius iii. 1.

> Postquam *rupta* quies *Tyriis.*

242. ——*Curvataque cuspide pila,*]

Invadunt clypeos, curvataque cuspide pila,
Et scabros nigræ morsu rubiginis enses.
Ut notæ fulsere aquilæ, Romanaque signa,
Et celsus medio conspectus in agmine Cæsar,
Diriguere metu, gelidos pavor alligat artus,
Et tacito mutos volvunt sub pectore questus,
O male vicinis hæc mœnia condita Gallis!
O tristi damnata loco! pax alta per omnes,
Et tranquilla quies populos: nos præda furentum,
Primaque castra sumus. melius, Fortuna, dedisses

Cuspis quidem pili curvari potest; pila ipsa non ideo *cuspide curvari* dicentur. Reponendum,

Invadunt clypeos, *TRUNCATAQUE* cuspide pila.

Virgil. xi. 9.

Aptat rorantes sanguine cristas
Telaque trunca viri.

Ovid. Metam. ii. 200.

Vulnera curvata meditantem cuspide vidit.

Statius x. 337.

Nunc tibi crudus honor, *trunca arma*, cruorque virorum.

Justin. vi. 8. *Nam sicuti telo, si primam aciem* præfregeris, *reliquo ferro vim nocendi sustuleris.*

246. —— *Gelidos pavor alligat artus,*] Multi codices, *Gelidus*, cum Romana: Alii, sed pauciores, *Occupat artus.* Ut Virgilius vii. 446.

At Juveni oranti *subitus* tremor *occupat artus.*

Sed Noster multo libentius patruum imitatur, quam Maronem. Œdip. 181.

—— piger ignavos
Alligat artus languor.

Herc. Fur. 1079.

Sopor indomitos *alliget artus.*

247. *Et tacito mutos volvunt sub pectore questus.*] Cave, ne pro *mutos*, *mœstos*, quod sæpe dicitur, substituas, offensus propinqua duorum Epithetorum significatione. Seneca patruus, Her. Fur. 301.

—— tibi *MUTA* fide
Longas Eleusin *TACITA* jactabit faces.

et 536.

Et *MUTIS TACITUM* litoribus mare.

251. — *Melius, Fortuna, dedisses Orbe sub Eoo sedem,*] Ferri potest FORTUNA; nam et hæc sedes distribuit: Virgil. viii. 333.

Me pulsum patria pelagique extrema sequentem
Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum
His posuere locis.

Verum hoc interest, quod hic de unius Exulis Evandri fortuna agitur, apud Nostrum de urbis et *mœniorum* situ ac loci Natura. Sed si hac oratione *Fortuna* compellatur, qui factum est, ut quinto abhinc versu iterum de eadem et tamquam absente querantur? *Quoties Romam Fortuna lacessit. Hac iter est bellis:* Hoc certe ferri non potest. Quare Codicis Regii prioris lectionem amplectimur, quam vel sine ejus authoritate veram et certam præstare possis.

—— melius, *NATURA*, dedisses.

Natura et *Fortuna* non raro a Librariis permutantur. Queruntur ergo de *Natura*, contra ac illi infra ix. 855.

—— nil, Africa, de te,
Nil de te, Natura, queror.

Cæterum in his quæ sequuntur,

Orbe sub Eoo sedem, gelidaque sub Arcto,
Errantesque domos, Latii quam claustra tueri.
Nos primi Senonum motus, Cimbrumque ruentem
Vidimus, et Martem Libyes, cursumque furoris
Teutonici. quoties Romam fortuna lacessit,
Hac iter est bellis. gemitu sic quisque latenti,
Non ausus timuisse palam: vox nulla dolori
Credita: sed quantum, volucres cum bruma coërcet,
Rura silent, mediusque jacet sine murmure pontus,

> Orbe sub Eoo sedem, gelidaque sub Arcto,
> Errantesque domos.

Reponendum est, *Gelida VE*, *Errantes-VE*, non enim in omnibus illis *simul*, sed in una aliqua ex illis sedibus constitui possent.

254. —— *Cimbrumque ruentem*
Vidimus, et Martem Libyes,] Veterrimi plurimique Codices cum Editione Veneta, FURENTEM. Negligenter; cum versu proximo videre esset, *cursumque* FURORIS. Cæterum cum *Ruentem* Cimbrum, *Furorem* Teutonicum asperis et atrocibus verbis, cur sodes, in medio ardore, tam humane honesteque *Martem* Libyes appellat? Vix dubito, quin sic dederit Lucanus,

> Nos primi Senonum motus, Cimbrumque ruentem
> Vidimus, et *RABIEM* Libyes, cursumque furoris
> Teutonici.

Vides nunc sententiam similem sui rectoque talo incedere, *Motus, Ruinam; Rabiem, Furorem;* quæ in medio alioqui conatu deficit et precumbit. Florus ii. 18. *In ultimam* rabiem furoremque *conversi.* Et 19. *Quasi per* rabiem et furorem et nefas *semet ipse laceravit.* Æneid. viii. 327.

> Et *belli rabies*, et amor successit habendi.

Rabies Libyæ, ut ii. 535.

> *GALLICA* per gelidas *RABIES* effunditur Alpes.

261. *Tanta quies. Noctis gelidas lux solverat umbras:*] Multa hic arguenda veniunt; nam turbas hic concitat illud NOCTIS. Quippe ambiguo peccat oratio; sic enim promptum est distinguere, *Tanta quies noctis. Gelidas,* &c. Non hoc in se admisisset Lucanus: Neque enim olim, ut nunc, punctis et virgulis commata et cola discernebant. Saltem, quod facillimum erat, sic verba collocasset,

> Tanta quies. Gelidas noctis lux solverat umbras.

Bersmanni codex, Tanta quies *populis.* Sed sic a poëta datum.

> Tanta quies. *NONDUM* gelidas lux solverat umbras;
> Ecce faces bello.

Quod ex historia verum: Nam περὶ ἡμέρας Ariminum cepit, et statim luce orta hoc gestum est. Vide, ut decenter et apte inferatur *Ecce,* in re scilicet subita et inopinata. Virgil. xii. 650.

> *VIX*, ea fatus erat; medios volat *ECCE* per hostes
> Vectus equo spumante Sages.

Sublato autem illo *Noctis,* integra manet eademque sententia: Ut ii. 326.

> Interea Phœbo *gelidas pellente tenebras*
> Pulsatæ sonuere fores.

Statius Theb. x. 385. ex hoc ipso loco:

> *NECDUM* totas *LUX SOLVERAT umbras*
> Nescio quid visu dubium.

Valerius Flaccus v. 607.

> Prius humentem *LUX SOLVERAT UMBRAM.*

Facilis autem erat lapsus Nodu, *Noctis.*

Tanta quies. Noctis gelidas lux solverat umbras:
Ecce faces belli, dubiæque in prælia menti
Urgentes addunt stimulos, cunctasque pudoris
Rumpunt fata moras: justos Fortuna laborat
Esse ducis motus, et causas invenit armis.
Expulit ancipiti discordes urbe Tribunos
Victo jure minax jactatis curia Gracchis.
Hos jam mota ducis, vicinaque signa petentes
Audax venali comitatur Curio lingua:

262. *Ecce faces belli,*] Dissentiant licet libri omnes, reponendum censeo, *Ecce faces* BELLO: Quippe hæc est verborum series, *Ecce fata addunt faces bello, et stimulos menti.* Faces *addere, adjicere, admovere*, trita et tralatitia sunt. Tacit. Hist. i. 24. *Flagrantibus jam militum animis velut faces addiderat.*

262. —— *Dubiæque in prælia menti Urgentes addunt stimulos,*] Satis quidem commode *Urgentes:* Melius tamen, URENTES addunt stimulos: Præsertim cum antea dixerat *Faces.* Silius xvi. 514.

> Unus erat super, et metæ proprioribus ægros
> *Urebat* finis *stimulis.*

264. —— *Justos Fortuna laborat Esse ducis motus, et causas invenit armis.*] *Motus ducis,* ut supra 184.

> Surgentes animo *motus*, bellumque futurum.

et duodecimo abhinc versu,

> Nos primi Senonum *motus*———
> Vidimus.

Sed vide an Lucano hoc conveniat; perpetuo Cæsaris insectatori ut fateatur id Fortunam laborare, *justos motus*, justam esse causam, Justum piumque bellum suscipi. Quid quod ea ipsa qua defenditur causa, jure displiceat *Motus;* quia toties inculcatur, præsertim cum tertio mox versu sequatur,

> Hos jam *mota Ducis*, vicinaque signa petentes.

enimvero non nimis belle; duorum versuum intervallo, repetuntur ista *Ducis motus*, et *Mota Ducis*. In tanta horum Librariorum ignavia, licetne veniam sperare, si sic mutaverimus?

> —— justos Fortuna laborat
> Esse duci *QUESTUS*, et causas invenit armis.

jure, nempe, vel Lucano confitente, *questurus erat* Cæsar, Tribunos suarum partium e Senatu pulsos et civitate exactos. Cæsar infra, 318.

> Quid jam rura *querar* totum suppressa per orbem.

et ii. 441.

> Effundunt *justas* in numina sæva *querelas*.

Silius xvi. 409.

> Atlanti senio invalidi, sed *justa querentis*.

Quanto autem minus est justos esse *questus*, quam *motus?* Illud concedat vel Pompeianus quivis; hoc nemo earum partium, minime omnium Noster. Silius ex hoc loco, xv. 643.

> ——— Fortuna laborat
> Adversis documenta dare.

Et hinc vide, ut Fortuna fere consequatur, quicquid laboret: Et causas sane armis Cæsarianis invenit; an igitur et *justos motus?* Renuet, opinor, negabitque Lucanus. Causas invenit armis: Ut Cicero Philip. ii. 22. *Tu M. Antoni, princeps C. Cæsari, omnia perturbare cupienti,* CAUSAM *belli contra patriam inferendi dedisti. Quid enim aliud ille dicebat, quam* CAUSAM *dementissimi sui concilii et facti afferebat nisi quod intercessio neglecta, jus tribunicium sublatum, circumscriptus a Senatu esset Antonius?*

267. *Victo jure minax jactatis curia Gracchis.*] Tenue nimis hoc, *jactatis*, cum

Vox quondam populi, libertatemque tueri
Ausus, et armatos plebi miscere potentes.
Utque ducem varias volventem pectore curas
Conspexit: Dum voce tuæ potuere juvari,
Cæsar, ait, partes, quamvis nolente Senatu
Traximus imperium, tunc cum mihi Rostra tenere
Jus erat, et dubios in te transferre Quirites.
Sed postquam leges bello siluere coactæ,
Pellimur e patriis laribus, patimurque volentes
Exilium: tua nos faciat victoria cives.
Dum trepidant nullo firmatæ robore partes,
Tolle moras: semper nocuit differre paratis.
Par labor atque metus pretio majore petuntur.

trucidati fuerint uterque, itaque Peiraredus levi mutatione scribit *mactatis*. Grotius. Peiraredus *Mactati*, quia Tib. et Caius Gracchi olim trucidati sunt: Contra acutissimus Frid. Gronovius Observ. iv. 4. magno studio defendit *Jactatis;* quia Gracchi *in Tiberim tracti sunt*. At quod ostendendum erat, quis sodes usquam sic locutus est, *Jactatus in Tiberim?* Mihi quidem viri egregii frustra ac velut in somniis videntur laborare. Non enim ipsos illos Gracchos Noster intelligit, sed vivos, qui tum plebem agitabant, illorum similes, factiosos Tribunos: Sic *Catones, Nerones, Catilinæ*, vocitati sunt, qui eos æmulabantur. *Jactatos* ergo hic accipe, ut passim, conviciis minisque jactatos, laceratos, exagitatos.

271.——*Et armatos plebi miscere potentes.*] Curio, inquit, cum Tribunus plebis esset, *vox populi* erat, recte: Quia is Magistratus populi erat. Sed et *libertatem tueri ausus est;* populi nempe contra Senatus Tyrannidem. Quid vero illud quod sequitur, Armatos potentes plebi miscere? Laudat in his versibus sine dubio Curionem: An igitur hoc laudis est, armatum Senatum plebi collidere? Neque vero optimates *plebi miscentur*, nisi cum aut humiles et demissi sunt, aut læti ac festi: Claudianus Nupt. Honor. 198.

Laxet terribiles majestas regia fastus,
Et sociam *plebem* non indignata *potestas*,
Confundat turbæ proceres.

Quorsum igitur ARMATOS *potentes?* Armati certe non miscentur plebi, nisi in mutua cæde. Sed ecce, ut opinor, veram Auctoris manum,

Ausus, et *ATRATOS* plebi miscere potentes.

Notum est, Tribunos plebis Senatori alicui præpotenti ac prægravi quotannis fere diem dicere ad populum, et in capitis discrimen trahere. Quod ubi factum est, ille reus continuo vestem mutare, pro candida, sordidatus atratusque prodire plebi se miscere, circumire tribus, orare ac prensare singulos ut suffragiis isti suis opitularentur. Fortis vero et intrepidi Tribuni erat, sic diem potentibus dicere; quare recte habet AUSUS. Suetonius Nerone 47. *Varia agitavit, Parthosne an Galbam supplex peteret, an* ATRATUS *in publicam prodiret, proque rostris quanta maxima posset miseratione veniam præteritorum precaretur.* Tacitus Ann. ii. 29. *Libo veste mutata, circumire domos.* Livius ii. 54. *Hoc anno rei ad populum Furius et Manlius circumeunt sordidati, non* PLEBEM *magis, quam Juniores Patrum.* Sed obvia sunt loca, quæ accumulare cujusvis est.

279.—— *Tua nos faciat victoria cives.*] Quanto aptius est quod libri fere omnes

Bellantem geminis tenuit te Gallia lustris,
Pars quota terrarum. facili si prælia pauca
Gesseris eventu, tibi Roma subegerit orbem.
Nunc neque te longi remeantem pompa triumphi
Excipit, aut sacras poscunt Capitolia laurus:
Livor edax tibi cuncta negat: gentesque subactas
Vix impune feres: socerum depellere regno
Decretum est genero. partiri non potes orbem:
Solus habere potes. Sic postquam fatus, et ipsi
In bellum prono tantum tamen addidit iræ,
Accenditque ducem, quantum clamore juvatur
Eleus sonipes, quamvis jam carcere clauso
Immineat foribus, pronusque repagula laxet.

cum Romana et Veneta exhibent, FACIET? Illud timide optat victoriam; hoc promittit et spondet, ut jam nunc certam et facilem.

280. *Dum trepidant nullo firmatæ robore partes,*] Paulo ante *Partes* Cæsaris habuimus, v. 274.

——— Dum voce *tua* potuere juvari,
Cæsar, ait, *partes.*

Quænam ergo sunt hæc? non enim narrat. At satis constare dices, quia *nullo robore firmatæ.* Non tali ope indiget Lucanus; scripsit enim,

Dum trepidant nullo *FIRMATI* robore *PATRES.*

Senatus quippe solus Cæsari hostis: Ille tum trepidabat, et paulo post cum duce suo et Consulibus urbem deseruit. Sic mox 365.

Degenerem patiere togam, regnumque Senatus.

282. *Par labor atque metus pretio majore petuntur.*] Minime obscurus aut difficilis est Noster; nisi ubi Librarii caliginem offuderunt, ut in his verbis: quid obsecro est, *Labor et metus petuntur?* Esto, ut *Labor* honeste peti possit: At *Metus* qua dulcedine quempiam sic allicit, ut petatur? Sensit vitium qui TENENTUR substituebat, infeliciter: Restituo sententiam, auctoris elegantia dignam,

Par labor atque metus pretio majore *MEREBUNT.*

At nimis, inquies, a literis aberrat: Haud ita longe, si apicibus solitis compendio scribas: Hæ solæ enim literæ restabunt in linea; *Petunt, Mebunt.*

291. —— *Sic postquam fatus, et ipsi In bellum prono*] Redit iterum illud PRONUS versu abhinc tertio, *Pronusque* repagula laxet, repone igitur,

In bellum *PROMTO.*

Sæpe in hoc vocabulo peccarunt Librarii: Quod suis locis ostendemus. Aliquando tamen rectum tenuerunt omnes; ut de ipso Cæsare vii. 244.

Illa quoque in ferrum rabies *promtissima.*

et v. 320.

——— *Promtumque* ad vulnera pectus.'

Iterum:——*Tantum tamen addidit iræ, Accenditque ducem, quantum*] Contemplare paulisper seriem vocabulorum: *Tantum addidit iræ etiam illi,* duci scilicet, *in bellum promto, Accenditque ducem.* Quisnam obsecro, hic *dux* est alter ab *illo? Iram Cæsari addidit,* et *accendit ducem.* Aufer hoc tam puerile: Sic enim ab auctore profectum credo.

——— sic fatus, et illi
In bellum *PROMTO TANTAM* tamen addidit iræ
Accenditque *FACEM,* quantum clamore juvatur
Eleus Sonipes.

Ubi ordo est, *Tantam adjicit accenditque iræ facem et illi* (per se) *in bellum promto.* Primo loci labes eis debetur, qui

Convocat armatos extemplo ad signa maniplos:
Utque satis trepidum turba coëunte tumultum
Composuit vultu, dextraque silentia jussit:
Bellorum o socii, qui mille pericula Martis
Mecum, ait, experti, decimo jam vincitis anno.
Hoc cruor Arctois meruit diffusus in arvis,
Vulneraque, et mortes, hyemesque sub Alpibus actæ?
Non secus ingenti bellorum Roma tumultu
Concutitur, quam si Pœnus transcenderet Alpes
Annibal. implentur valido tirone cohortes:
In classem cadit omne nemus: terraque marique

TANTUM reposuerunt, ideo quia sequebatur *Quantum:* Hoc semel admisso, pronum erat in reliquis peccare, sed fefellit eos sua regula: Quippe recte dicitur, *Tantam facem*, quantum juvatur. Noster supra 260.

Tanta quies *quantum* rura silent.

Virgil. Æn. vi. 578.

——— tum Tartarus ipse
Bis patet in præceps *tantum*, tenditque sub umbras,
Quantus ad ætherium Cœli *suspectus* Olympum.

299. *Bellorum o socii, qui mille pericula Martis*] *Martis*, ut opinor id ipsum est quod *Belli*. Hoccine ergo placet, *O socii Bellorum, qui mille pericula belli mecum experti estis?* An ideo *socii bellorum*, ut intelligatur vocatos fuisse eos commilitones? Cæsar enim, Suetonio teste, *non milites eos pro concione, sed blandiore vocabulo Commilitones appellabat.* Atqui sub ipsa Pharsaliæ pugna, cum blanditiis vel maxime opus erat, Milites appellat, vii. 25. certe si morem compellandi milites per exempla exquirimus, supervacuum est *Bellorum:* Noster ii. 483.

Socii, decurrite, dixit.———

et vi. 164.

Vicimus o socii ———

Virgilius.

O socii, neque enim ignari sumus ———

Sed obvia sunt loca. Memini equidem legisse, apud Livium puto, *socios bellorum*, de Copiis socialibus et auxiliaribus dictum, qui tamen sensus Lucani huic loco minime convenit. Quid igitur fiet? Evicimusne, an non, sine damno sententiæ facile abesse posse *Bellorum?* Sensum eundem plerumque esse, si *socii* tantum vocentur? Nullos in allocutione militum intelligi *socios*, nisi militiæ et periculorum? Nec adhuc tamen quod gravissimum est diximus; nempe quarto abhinc versu rediit *Bellorum*. Non præstabo equidem, quod substituturus sum, revera Lucani esse: Satis erit si Lucano non indignum videbitur.

HOC ERAT, o socii, qui mille pericula Martis
Mecum, ait, experti, decimo jam vincitis anno?
HOC cruor Arctois meruit diffusus in arvis?

Pronuntiasse dicitur Cæsar, *voce acuta*, ardenti motu gestuque; neque dubites quin voci et motui verba ipsa dicentis convenirent et congruerent, inde in apologia, *Gracchi impetum, Cæsaris calorem* prædicat Apuleius. Præterea iratus et inflammatus hic loquitur, Lucano testante. Quid ergo aptius, quam ab interrogatione et repetitione exordiri, *Hoc erat. Hoc cruor?* Ita alii frequenter, et plerumque, ut hic, in principio orationis. Ovid. Met. xi. 694. Val. Flacc. i. 627. et viii. 160. Seneca Troad. 729. Cæsar ipse profligatis Pharsalia hostibus, HOC *voluerunt, tantis rebus gestis, condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petissem.* Sed modus esto; nescio quomodo, quod initio meum esse putaveram, incipit Lucani ipsius esse.

Jussus Cæsar agi. quid? si mihi signa jacerent
Marte sub adverso, ruerentque in terga feroces
Gallorum populi? nunc, cum Fortuna secundis
Mecum rebus agat, Superique ad summa vocantes,
Tentamur. veniat longa dux pace solutus
Milite cum subito, partesque in bella togatæ,
Marcellusque loquax, et nomina vana Catones.
Scilicet extremi Pompeium, emtique clientes
Continuo per tot satiabunt tempora regno?
Ille reget currus nondum patientibus annis?
Ille semel raptos nunquam dimittet honores?

302. *Vulneraque, et mortes, hiemesque sub Alpibus actæ?*] Agnosco sane ut legitime dictum *sub Alpibus*, memor istius Horatiani,

> Videre Rhætis bella sub Alpibus
> Drusum gerentem.

Sed dubitare liceat, an bona fide Lucanum exscripserint Librarii: Primo, ex Historia falsum hoc est; neque enim per decem illas hiemes unquam *sub Alpibus*, Hiberna horum militum erant. Sane illis tam beatis esse non licuit, ut in fertilissimis illis et amœnissimis regionibus hiemarent, tantum abest, ut hoc inopiæ et tolerantiæ exemplum hic fieret. Dederat Auctor, ni fallor.

> Hiemes sub *PELLIBUS* actæ.

Latinus Pacatus in Panegyrico Theod. *Summatim illud tuum attingam cum patre divino castrense collegium,* ACTAS SUB PELLIBUS HIEMES, *æstates inter bella sudatas,* &c. Tacitus Ann. xiv. 38. *Contractus omnis exercitus* SUB PELLIBUS, *quamvis hieme sæva adeo, ut obducta glacie nisi effossa humus tentoriis locum non præberet.* Claudian. i. Stil. v. 122.

> ——— *QUOTIES SUB PELLIBUS EGIT*
> Edonas hiemes, et tardi flabra Bootæ
> Sub dio Rhipæa tulit!

Quintilianus Declam. iii. pro Milite. Nemo nostrum recusat itinerum laborem, nec injustum super arma fascem, nec æstivi solis ardorem, nec SUB PELLIBUS ACTAM HIEMEM. Vulcatius in Avidio Cassio c. 6. jussitque eos hiemem sub pellibus agere, nisi corrigerent suos mores. Sed et alterum verbum hic mutandum Censeo. Vulneraque et MORTES, bella sane oratio: *Hoc meruit*, o socii, diffusus cruor, et vulnera, ac mortes? Nimirum isti socii, quos nunc Arimini alloquitur, *mortui* ac Cæsi jam erant in Galliis. Non pluribus agam; sed postliminio educam.

> Hoc cruor Arctois meruit diffusus in oris
> Vulneraque, et *TOTIENS* hiemes sub *PELLIBUS* actæ?

Totiens quia decimo jam anno sub Cæsare militabant.

307. —— *Quid? si mihi signa jacerent*] Tolle interrogationis notam; et repone,

> *QUOD* si mihi signa jacerent, &c.

Est aposiopesis irato conveniens. Subauditur autem, *impune auferrent*, aut, *caute et circumspecte egisse viderentur:* NUNC vero, dementium et furiosorum est. Porro v. 311. illud *Tentamur* eo interrogandi signo donandum est, quod priore loco abstulimus.

310. —— *Superique ad summa vocantes,*] Suetonius Jul. 32. Eamus, inquit, quo Deorum ostenta et inimicorum iniquitas vocat.

313. —— *Et nomina vana Catones.*] Id est Cato et ei similes. Male qui aut *Catonis* aut *Catonum* scripsere. Grotius.

316. *Ille reget currus nondum patientibus annis?*] Regere currus non Trium-

Quid jam rura querar totum suppressa per orbem,
Ac jussam servire famem? quis castra timenti
Nescit mista foro? gladii cum triste minantes
Judicium insolita trepidum cinxere corona,
Atque auso medias perrumpere milite leges
Pompeiana reum clauserunt signa Milonem?
Nunc quoque ne lassum teneat privata senectus,
Bella nefanda parat suetus civilibus armis,

phatoris est, nisi fallor, sed Aurigæ, expressit Auctor indignantis vehementiam,

ILLEN' aget currus?

Sic viii. 810. de re eadem,

Et Currus, quos egit eques.

318. *Quid jam rura querar totum suppressa per orbem,*] Non *amplius* erat quod dicebat Clodius, sed plane idem, verum antea corrigendus locus est, quam explicandus, non enim intelligo, quibus viribus artibusve RURA *supprimere* possit Pompeius. Caritas annonæ tum erat, *frumenti* inopia. Hoc erat quod supprimebatur: Non rura ipsa, non magis quam sol aut dies. Cicero ad Atticum v. 21. *Perfeci, ut qui* FRUMENTUM COMPRESSERANT, *magnum numerum populis pollicerentur.* Restitue igitur suam Auctori sententiam,

Quid jam *FARRA* querar totum suppressa per orbem.

Farra frumentum sunt; ea comprimebantur, abscondebantur; jussis et corruptis ad id mercatoribus, ut annonam accenderent. *Farra* etiam in RURA transierunt, apud Horatium. Carm. iv. 5. ubi vide si vacat, quæ adnotavimus.

319. *Ac jussam servire famem?*] Amplius erat quod dicebat Clodius, non propter famem scriptam esse legem, sed ut lex scriberetur factam famem. Vide Plutarchum Pompeio. Grotius Miror equidem tam conspicuum mendum tam diu fallere ac latere potuisse, *de servitute* Famis nihil unquam audivisse memini; de sævitia multum et sæpe. Repone,

Ac jussam *SÆVIRE* famem.

Jussam, astutia scilicet et autoritate Pompeii. Noster iv. 24.

SÆVA fames aderat.

Et vi. 108. Prudentius ii. contra Symmachum, v. 909. utramque conjecturam *farra* et *sævire*, tam clare agnoscit et confirmat, ut ad hunc ipsum locum respexisse videatur.

Ultima legati defleta dolore querela est,
Palladiis quod *FARRA* focis, vel quod stipis ipsis
Virginibus, castisque choris alimenta *negentur:*
Hinc ait et steriles frugescere rarius agros,
Et tristem *SÆVIRE FAMEM; TOTUMQUE PER ORBEM*
Mortales pallere inopes, ac panis egenos.

320. —— *Gladii cum triste minantes*] *Minantes gladios*, si soli venirent, facile ferrem; ut Claudianus Nupt. Honor. 192.

—— gladiosque tegat vagina minaces.

Sed cum addit TRISTE, tum sordere incipit MINANTES; requiritur enim participium Deponens, ut Magistri loquuntur, et intransitivum, lege igitur,

Gladii cum triste *MICANTES.*

Statius Theb. iv. 154.

Quibus haud amenta nec enses
TRISTE MICANT.

322. *Atque auso medias perrumpere milite leges*] *Leges perrumpere*, nihil aliud est, quam *perstringere, violare*, Quorsum igitur *Medias?* An sanus aliquis dixerit *Medias* leges violare, temerare?

Et docilis Syllam scelerum vicisse magistrum.
Utque feræ tigres numquam posuere furorem,
Quas nemore Hyrcano, matrum dum lustra sequuntur,
Altus cæsorum pavit cruor armentorum;
Sic et Syllanum solito tibi lambere ferrum
Durat, Magne, sitis: nullus semel ore receptus
Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.
Quem tamen inveniet tam longa potentia finem?

Repone ex Colbertino veterrimo, cum altero Collegii Trinitatis, et Meadiano,

Atque auso medias *INRUMPERE* milite leges.

Eleganter dictum, *Irrumpere medias leges*, hoc est, medium Forum, Rostra, ubi leges scilicet ferebantur: Atque hoc in causa Milonis ex Historia certum. Noster infra v. 470.

Irrupitque animos populo.

et v. 127.

Cogitque fores irrumpere templi.

326. *Et docilis Syllam scelerum vicisse magistrum.*] A Sertorio sumtum hoc dictum, qui Pompeium appellabat Syllæ discipulum. Docet Plutarchus. Grotius.

327. *Utque feræ tigres numquam posuere furorem,*] In proletario quidem poëta ferrem hoc; minime vero in Nostro. Feræ tigres, inertissimum ubivis epitheton; hic præsertim, ubi de cicuratis et mansuefactis agit, deinde si *feræ* sunt; quid miri si *furorem non ponunt?* Priore verbo id præoccupat et anticipat, quod in sequentibus dicendum erat, attende ad literarum ductus, et hanc Poëtæ ipsius manum agnosce:

Ut *VETEREM* tigres numquam posuere furorem.

veterem furorem vocat, innatum, ingenitum, insitum, quem nulla mansuefactio penitus potest extinguere. Quarundam ferarum catuli (Seneca Pater Controv. xxix.) *cum rabie nascuntur.* Seneca Thyeste 807.

Pectore fesso renovat *veteres*
Saucius *iras.*

Hippol. 355.

Veteres cedunt ignibus *iræ.*

Medea 394.

Se vincet: *iræ* novimus *veteris* notas.

Sic ibi corrigendum, non ut Scripti editique habent, *veteres notas.* Ovid. Meta. xiv. 495.

Talibus invitam Venerem Pleuronius Agmon
Instimulat verbis, *veteremque* resuscitat *iram.*

Ubi lege,

Talibus *INRITANS* Venerem, &c.

331. ——— *Nullus semel ore receptus Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces,*] Quicquid dicat acutissimus Gronovius ad Statii Sylvas iii. 3. ubi *nullus sanguis* interpretatur *Nunquam* sanguis, omnino incongruum illud, *Nullus sanguis;* cum sententia sit, *nullas fauces* mansuescere. Melius igitur a prima manu Harleianus, *nullo semel ore.* Imitatus est hunc locum Claudianus ii. Ruf.

Rufinus (neque enim *patiuntur* sæva quietem
Crimina, *pollutæque* negant arescere *fauces.*)

Ubi Codex apud Heinsium, MANSUESCERE.

333. *Quem tamen inveniet,*] Videtur Auctor sic dedisse,

Quem *TANDEM* inveniet tam longa potentia finem?

Convenit imprimis indignanti et stomachanti: Quousque *tandem* Catalina? Et cum Finem dicit, quid aliud quærit nisi ut Tandem aliquando?

Quis scelerum modus est? ex hoc jam te, improbe, regno
Ille tuus saltem doceat discedere Sylla.
Post Cilicasne vagos, et lassi Pontica regis
Prælia, barbarico vix consummata veneno,
Ultima Pompeio dabitur provincia, Cæsar;
Quod non, victrices aquilas deponere jussus,
Paruerim? mihi si merces erepta laborum est,
His saltem longi, non me duce, præmia belli
Reddantur: miles sub quolibet iste triumphet.
Conferet exanguis quo se post bella senectus?
Quæ sedes erit emeritis? quæ rura dabuntur,
Quæ noster veteranus aret? quæ mœnia fessis?

334. *Quis scelerum modus est?*] Legitime quidem dictum; ut Seneca Thyeste, 1057.

—— *sceleris est aliquis modus?*
Sceleri modus debetur, ubi *facis* scelus,
Non ubi *reponis*.

Sic lego, non ut libri habent, *facias* et *reponas*; flagitante illud versus ipsius majestate. Sed profecto nimis hic inclementer et calumniose SCELERUM, de *longa* enim *potentia*, de *regno continuo* queritur, non de *sceleribus*, quæ nulla Pompeio admissa sunt, utinam dixisset,

Quis *JURIS* modus est?

Juris idem hic erit ac *Potentiæ*, *Potestatis*, Noster vii. 265.

—— Gentes ut *jus* habeatis in omnes.

ix. 191.

Nosse *modum Juris*.

Pene oblitus eram, quod unice hic valet, scelerum septimo abhinc versu jam præcessisse.

335. —— *Doceat discedere Sylla.*] Sic quidem Romana et Veneta cum Editionibus cæteris. At nostri vetustiores codices, Colb. sec. Putean. Harl. multo melius DESCENDERE. *Discedere* enim *regno* est Fugere, Exulare, sed *Regno descendere*, est Civem agere, ad privatam conditionem redire. Atque hoc postulat sententia. Statius Theb. ii. 397.

Fortunam exuere, et lætum *DESCENDERE REGNO*.

Seneca de Clementia c. xii. *DESCENDERIT licet* Dictatura *SYLLA, et se togæ reddiderit*.

341. *His saltem longi, non me duce, præmia belli Reddantur:*] Vera hæc lectio, male vulgata *cum duce*. Accipiat miles præmia vel alio imperatore, cui convenit quod sequitur: *Sub quolibet*. Grotius. Pace viri magni, sana est vulgata lectio.

349. —— *Nec numina desunt.*] Melius manuscriptus nobilissimorum fratrum Puteanorum, *deerunt*. Est enim sperantis. Mutarunt quibus insolita ista Synalæphe. Grotius.

354. —— *Pietas, patriique penates Quamquam cæde feras mentes, animosque tumentes Frangunt;*] Tacitus Ann. xiv. 4. de Nerone matrem occisuro: *Sive explenda simulatione, seu perituræ matris supremus aspectus* quamvis ferum *animum retinebat*. Et Hist. i. 44. *Recordatio majestatis in Galba* quamvis immitem *animum imagine tristi confuderat*. Ovid. Metam. viii. de Althæa Meleagrum filium extinctura.

An melius fient piratæ, Magne, coloni?
Tollite jampridem victricia, tollite signa:
Viribus utendum est, quas fecimus. arma tenenti
Omnia dat, qui justa negat: nec numina desunt.
Nam neque præda meis, neque regnum quæritur armis:
Detrahimus dominos urbi servire paratæ.
Dixerat: at dubium non claro murmure vulgus
Secum incerta fremit: pietas, patriique penates
Quamquam cæde feras mentes, animosque tumentes
Frangunt; sed diro ferri revocantur amore,
Ductorisque metu. Summi tum munera pili
Lælius, emeritique gerens insignia doni,

> Nunc *animum* pietas maternaque nomina *frangunt.*

Vides partes hujus periodi satis confirmari; cum tota tamen vitiosa sit: *Et se impediat verbis, lassas aures onerantibus. Frangunt,* ait, *mentes quamvis feras cæde tumentesque animos.* Qua obsecro cæde? Si totius militiæ vult, dicendum erat *cædibus.* Qualis deinde cauda trahitur, *animosque tumentes,* ut in unum colon hæc concludantur? Non agnosco hic genium indolemque Lucani, in tam tetris ulceribus urendo et secando medecinam tentemus. Vide ergo ista:

> —— Pietas, patriique penates
> *PERSTRINXERE* feras mentes, animosque tumentes
> Frangunt.

Exclamas fortasse de immani dissimilitudine literarum: Sed in compendiosa Membranarum scriptura proprius accedent, *qqcede pstnxere.* Virg. ix. 294.

> Atque animum patriæ STRINXIT PIETATIS imago.

356. *Summi tum munera pili*
Lælius, emeritique gerens insignia doni,
Servati civis referentem præmia quercum;]

Joannes Saresberiensis, aliquot hinc versus citans, *Lælius,* inquit, *qui et ab aliis Lentulus appellatur.* Quinam illi alii sint, nescio: Nostri omnes codices *Lælius:* Neque flocci interest, cum ficta, puto, a poëta persona sit. Sed verba ipsa expendamus, SUMMI PILI cur dixerit, demiror; cum alii omnes *PRIMUM pilum* appellant. Martialis. i. 94.

> Ara duplex *PRIMI* testatur *MUNERA PILI.*

Illud vero non miror modo, sed redarguo et vitupero: *Gerens,* ait, *insignia* DONI *emeriti, quercum referentem* PRÆMIA. Coronam civicam intelligit; sed cur bis idem dicitur? Quo distat *donum* a *præmio?* Neque placet *emeritum* donum, pro *meritum,* contra morem hujus, qui id verbum sæpius usurpat. Quid te multis detineam?

> ———Emeritique gerens insignia *CONI,*
> Servati civis referentem præmia quercum.

Qui Civica donati erant, coronam querceam in *galeæ cono* gestabant: Ut ceteræ gentes laurum, vel aliam frondem, vel vittam. Statius Theb. vii. 351.

> Omnibus immixtas *cono super* aspice lauros.

Ubi malim *intextas.* Valer. Flacc. i. 186.

> Palla imos ferit alba pedes, vittataque frontem
> Cassis, et in summo laurus Peneia *cono.*

Recte autem *emerito cono,* quem per omnia stipendia gesserat, Qui jam opera

Servati civis referentem præmia quercum;
Si licet, exclamat, Romani maxime rector
Nominis, et fas est veras expromere voces;
Quod tam lenta tuas tenuit patientia vires
Conquerimur. deeratne tibi fiducia nostri?
Dum movet hic calidus spirantia corpora sanguis,
Et dum pila valent fortes torquere lacerti,
Degenerem patiere togam, regnumque Senatus?
Usque adeo miserum est civili vincere bello?
Duc age per Scythiæ populos, per inhospita Syrtis
Littora, per calidas Libyæ sitientis arenas.
Hæc manus, ut victum post terga relinqueret orbem,
Oceani tumidas remo compescuit undas:
Fregit et Arctoo spumantem vortice Rhenum.

functus, ad templi alicujus postes figendus erat.

363. *Dum movet hic calidus spirantia corpora sanguis,*] Ex Empedoclis sententia, quam et Virgilius sequitur:

——— et vitam multo cum sanguine fudit

Et alibi:

Una eademque via sanguisque animusque sequuntur. *Grotius.*

Putean. Cod. cum cæteris omnibus vetustis et Editione Veneta exhibent,

Dum movet *HÆC* calidus, &c.

Ut Virg. *Hos artus.* Nempe *artus* et *corpora* digito monstrari possunt, ut recte addas *Hos, Hæc;* *Sanguis,* nisi fusus, minime; neque addere possis, *Hic.*

367. *Duc age per Scythiæ populos,*] Cum dicat LITORA *Syrtis,* et *Libyæ* ARENAS; liquido affirmare possis, non POPULOS Scythiæ ab auctore profectum; sed CAMPOS. *Campi, litora, arenæ,* pulchra in uno genere variatio. *Populi* vero non magis alienum hic quam ineptum: Neque enim Scythæ pagatim vel oppidatim habitabant, ut *per populos* ducerentur hostes. Nota sunt apud Scriptores *Scytharum deserta* et Solitudines, *αἱ Σκυθῶν ἐρημίαι.* Cæterum sæpe apud Librarios hæc duo permutantur, per notariorum compendia, *pplos,* capos.

369. *Hæc manus, ut victum post terga relinqueret orbem,*] Itane cito corruptus et contaminatus est Lucanus; ut nullæ jam a mille annis membranæ veram lectionem exhibeant? Nam vix dubitandum est quin scripsit Auctor,

Hæc manus, ut *TUTUM* post terga relinqueret orbem.

Noster iv. 353.

Securumque orbis patimur *post terga relicti.*

371. *Fregit et Arctoo spumantem vortice Rhenum.*] *Verticem* ubique habent Membranæ, non *vorticem:* Etiam cum de fluvio agitur. Hoc posito, quid quæso erit *Arctous vertex,* nisi polus septentrionalis? At hic de verticibus Rheni loquitur; qui ad Oceanum Britannicum priore versu comparatus, non est Arctous: Et si esset, stulte tamen ejus vertices Arctoi dicerentur, libenter legerim,

Fregit et *IRATO* spumantem, &c.

Tam literis propinquum, quam sensu aptissimum: Cum autem *Fregit* præcedat;

Jussa sequi tam posse mihi, quam velle necesse est.
Nec civis meus est, in quem tua classica Cæsar
Audiero. per signa decem felicia castris,
Perque tuos juro quocumque ex hoste triumphos;
Pectore si fratris gladium, juguloque parentis
Condere me jubeas, plenæque in viscera partu
Conjugis, invita peragam tamen omnia dextra.
Si spoliare Deos, ignemque immittere templis,
Numina miscebit castrensis flamma Monetæ:
Castra super Thusci si ponere Tybridis undas,
Hesperios audax veniam metator in agros.
Tu quoscumque voles in planum effundere muros,
His aries actus disperget saxa lacertis:
Illa licet, penitus tolli quam jusseris urbem,

eo aptius sequitur *Iratum*; quia *Frangere iram, rabiem, minas*, sæpe occurrunt.

372. *Jussa sequi tam posse mihi, quam velle necesse est.*] Sic omnes Libri, sed jactatio sane gloriabunda est, et plusquam militaris. An quicquid vult continuo potest? Valer. Max. de Polycratis Samii felicitate: *Vota nuncupabantur, simul et solvebantur: VELLE ac POSSE in æquo positum erat.* Hic vero Lælius Polycratem illum longe exsuperat; non solum enim potest quodcumque vult, sed *necessario* potest. Hanc fraudem et caliginem sententiæ parit loquendi modus, Senecarum domui pene peculiaris: Perinde enim est, ac si alius diceret, mutato ordine,

> Jussa sequi *quam* posse mihi, *tam* velle necesse est:

Potestatem meam voluntas exæquat; quicquid possum, si jubes, pro amore tui necesse est ut faciam. Prudentius Hymno viii. ad sensum Lucani eleganter:

> ——— neque nos severus
> Terror impellit: sua quemque *cogit*
> *Velle potestas.*

Seneca de Clemen. i. 3. *Illius demum principis magnitudo stabilis fundataque est; quem omnes TAM supra se esse, QUAM pro se sciunt:* Hoc est, *Quam* supra se, *Tam* pro se. Hunc idiotismum dudum observarunt viri summi Petrus Faber, in semestribus, et Frid. Gronovius ad Thyesten 207.

> Quod facta domini cogitur populus sui
> *Tam* ferre *quam* laudare.

Hoc est, quod excepto Florentino, cæteri habent, *Quam* ferre, *tam* laudare.

380. *Numina miscebit castrensis flamma Monetæ:*] Cave ne cum interpretibus, *ædem Junonis Monetæ* hic intelligas, scribe *monetæ* et sic accipe: Si jubeas Templa spoliare; deorum statuæ aureæ, argenteæ, rapientur, et in *castrensi moneta* (seu officina ubi cuduntur nummi) conflabuntur et miscebuntur; ut inde pecunia fiat. Excerpta Controv. Senecæ, iv. 4. Pro republica plerumque templa nudantur, et in usum stipendii conflantur. Statius Silv. iii. 3. 107.

> Quæ divum in vultus igni formanda liquescat
> Massa; quid Ausoniæ scriptum *crepet igne monetæ.*

Ubi animadverte, IGNI et IGNE, nimium invenuste: Reponendum puto, *SIGNIS formanda.*

Roma sit. His cunctæ simul assensere cohortes,
Elatasque alte, quæcumque ad bella vocaret,
Promisere manus. it tantus ad æthera clamor,
Quantus, piniferi Boreas cum Thracius Ossæ
Rupibus incubuit, curvato robore pressæ
Fit sonus, aut rursus redeuntis in æthera silvæ.
Cæsar ut acceptum tam prono milite bellum,
Fataque ferre videt, ne quo languore moretur
Fortunam, sparsas per Gallia rura cohortes
Evocat, et Romam motis petit undique signis.
Deseruere cava tentoria fixa Lemano,
Castraque quæ Vogesi curvam super ardua rupem,
Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.
Hi vada liquerunt Isaræ, qui gurgite ductus
Per tam multa suo, famæ majoris in amnem
Lapsus, ad æquoreas nomen non pertulit undas.
Solvuntur flavi longa statione Rutheni:
Mitis Atax Latias gaudet non ferre carinas,

387. *Elatasque alte, quæcunque ad bella vocaret,*
Promisere manus.] χειροτονία militaris. Grotius.

391. —— *Redeuntis in æthera silvæ.*] Atqui versu abhinc tertio jam habuimus ÆTHERA, et quidem in eadem sede versus. Quare hic legendum est,

—— Redeuntis in *AERA* silvæ.

395. *Evocat, et Romam motis petit undique signis.*] Falsum hoc est, jam tum Cæsarem, cum ex Gallia copias evocaret, Romam petisse. Immo vero, exspectabat et operiebatur, dum copiæ ad se convenirent, et ridiculus sane Lucanus, qui, si *jam* undique mota ex Arimino Romam petunt, plus sexaginta versus postea insumit, ut singula Galliarum castra et Hiberna recenseat. Sed scripsit Auctor, verborum quoque ordine mutato,

Evocat, *UT* motis Romam *PETAT* undique signis.

397. *Castraque quæ Vogesi curvam super ardua rupem,*] Non *ripam*, Mons enim Vogesus, et in monte castra. Vide Tacitum Historiarum primo. Rupem autem pro monte dicere frequens poëtis. Grotius. Et hic et apud Cæsarem *Vosegus* non Vogesus scribendum esse multis ostendit in Germania sua ii. 39. doctissimus Cluverius.

402. *Solvuntur flavi longa statione Rutheni:*] Post quintum versum iterum recurrit STATIONE, Quod vitium ut evitetur; hic, opinor, ab auctore erat.

Solvuntur flavi longa *OBSIDIONE* Rutheni.

Longa sane militum *statio* non nimis commode, quæ non nisi in diem disponi solebat, at *longa Obsidio* plane ex more. *Obsidionem* autem non stricte hic accipe, sed quo Cicero ait sensu, *obsidione rempublicam liberare;* hoc est metu hostium.

404. *Finis et Hesperiæ promoto limite Varus:*] Ita legendum, pro *milite*, quod ex conjectura monueramus, firmat is quem dixi manuscriptus Puteanorum. Muta-

Finis et Hesperiæ promoto limite Varus:
Quaque sub Herculeo sacratus nomine portus
Urget rupe cava pelagus: non Corus in illum
Jus habet, aut Zephyrus: solus sua littora turbat
Circius, et tuta prohibet statione Monœci.
Quaque jacet littus dubium, quod terra, fretumque
Vendicat alternis vicibus, cum funditur ingens
Oceanus, vel cum refugis se fluctibus aufert.
Ventus ab extremo pelagus sic axe volutet,
Destituatque ferens: an sidere mota secundo
Tethyos unda vagæ lunaribus æstuet horis:
Flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas,
Erigat Oceanum, fluctusque ad sidera tollat,
Quærite, quos agitat mundi labor: at mihi semper
Tu, quæcumque moves tam crebros causa meatus,
Ut superi voluere, late. Tunc rura Nemossi
Qui tenet, et ripas Aturi, qua littore curvo
Molliter admissum claudit Tarbellicus æquor,

tio eadem sæpe occurrit in Frontini libris. Rem sic esse docet Strabo initio libri quinti. Grotius.

405. *Quaque sub Herculeo sacratus nomine portus,*] Colbertinus ii, Puteaneus, Harleianus, Cantabrigiensis, NUMINE, recte sine dubio; cum *sacratus* dicit. Statius Silv. ii. 24. de Surrento.

——— gaudet gemino *sub numine* portus
Hic servat terras, hic sævis fluctibus obstat.

Gemino, hoc est, Herculis, et Neptuni.

409. *Quaque jacet littus dubium, quod terra, fretumque,*] Cave hic de Belgarum oris interpreteris, ut Commentatores faciunt. Designat hic Auctor, *Sabata*, *vada Sabatorum*, *vada Sabatia*, vel simpliciter *vada*, hodie *Savona*, portus in mari Ligustico: Ut recte Cluverius.

416.—— *Fluctusque ad sidera tollat,*] Colbertinus uterque cum aliis duobus, DUCAT.

419. —— *Tunc rura Nemossi*
Qui tenet,] *Nemossi* est ex conjectura Micylli, quod procul ab his de quibus hic agit regionibus distat, Turnebus NANETIS, Libri omnes vetustiores, NEMETIS. Nescio quid sit, sed præstat ignotum nomen, quam falsum ponere. *Nemetes*, qui in Belgica cis Rhenum incolebant, Ptolemæo, secunda brevi, τῶν νημιτῶν. Et in Gallia *Augustonemetum*; et in Hispania *Nemetobriga* oppidum, et populi *Nemetani*.

420. —— *Et ripas Aturi, qua littore curvo*
Molliter admissum claudit Tarbellicus æquor,] *Ancon* emendat magnus Scaliger. Grotius. Nimis breviter Vir magnus: Nam emendationis Scaligeranæ partem omittit; qua præterita nullus in altera sensus est. Scaliger Auson. Lect. i. 5. sic locum corrigit,

——— et ripas Atyri, *QUEM* litore curvo
Molliter admissum claudit Tarbellicus *ANCON*.

Multo vero facilius est, hanc conjecturam convellere, quam substituere meliorem.

Signa movet, gaudetque amoto Santonus hoste:
Et Biturix, longisque leves Suessones in armis:
Optimus excusso Leucus Rhemusque lacerto,
Optima gens flexis in gyrum Sequana frænis:
Et docilis rector rostrati Belga covini:
Arvernique ausi Latio se fingere fratres,
Sanguine ab Iliaco populi; nimiumque rebellis
Nervius, et cæsi pollutus sanguine Cottæ:
Et qui te laxis imitantur Sarmata braccis
Vangiones: Batavique truces, quos ære recurvo
Stridentes acuere tubæ: qua Cinga pererrat
Gurgite: qua Rhodanus raptum velocibus undis

Quippe *Ancon*, pro *sinu litoris curvi* Latinis auribus vox inaudita est, Neque vero apud Græcos *ἄγκων sinum* incurvi litoris notat; sed, quod contrarium est, *cubitum* et prominentiam litoris ibi se inflectentis. Verum esto, si vult, *sinus:* Qualis deinde sententia est? *Sinus litore curvo claudit fluvium molliter admissum.* Mira vero res; si *claudit* fluvium, quod ipsius *ostium* et est, et appellatur. Noli dubitare, quin *Æquor* vera lectio sit, neque sollicitanda; vel ex ii. 615.

Adriacas flexis *claudit* quæ cornibus undas,
Nec tamen hoc patulis *immissum* faucibus *Æquor.*

et iii. 279.

Oceanusque negat solas se admittere Gades.

423. —— *Suessones in armis:*] Notus Galliæ populus, Suessiones Cæsari. Vestigia vocis manuscripti præferunt *Sexones*, vulgo *Axones*, male. Grotius.

426. *Et docilis rector rostrati Belga covini:* Omnes omnino habent *Monstrati.* Nimirum hoc vult Poëta, Covinum a Britannis vel Gallis primo esse inventum, et inde Belgis traditum, Fallitur ergo Wilhelmus Brito, cum dicit,

Belga covinorum, Lucano teste, repertor.

428. *Sanguine ab Iliaco populi;*] Quod de *Arvernis* Noster, id alii scriptores quotquot hodie extant de *Æduis* eorum vicinis narrant. Panegyricus ad Constantinum: *Quænam gens toto orbe terrarum in amore Romani nominis* Æduis *se postulet anteponi; qui primi omnium plurimis Senatusconsultis* fratres populi Romani *appellati sunt?* Vide vero an corrigendum sit,

Sanguine ab Iliaco POPULOS.

si *populos* legis, hoc dicet; Arvernos *finxisse* se a Trojanis ortos, et idcirco, fratres se P. R. dicere ausos: Si *populi;* vere quidem Trojanorum eos sanguinem fuisse; sed inde ausos se *fingere* Romanorum fratres. Atqui, si das eos ab Ilio descendisse, nihil quicquam fingebant se *fratres* appellando: nisi negaverint Romani se quoque sobolem esse Trojanorum.

432. —— *Qua Cinga pererrat Gurgite:*] Nullus in his regionibus Cinga fluvius a quoquam alio memoratur. Neque recte dicas *pererrat* absolute, sine nomine casus accusativi sequente, non hoc nihil erat, loci vitium indicavisse, tacentibus aliis. Quid si emendavero? Lege,

QUOS SULGA pererrat Gurgite.

Quos concinne repetitum ex versu priore;

—— *Quos* ære recurvo
Stridens acuere tubæ: quos, &c.

In mare fert Ararim: qua montibus ardua summis
Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas:
Pictones immunes subigunt sua rura: nec ultra
Instabiles Turonas circumsita castra coërcent.
In nebulis, Meduana, tuis marcere perosus
Andus, jam placida Ligeris recreatur ab unda.
Inclyta Cæsareis Genabos dissolvitur alis.
Tu quoque lætatus converti prælia, Trevir:
Et nunc, tonse Ligur, quondam per colla decora
Crinibus effusis toti prælate Comatæ:
Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus;

Sulgæ nomen Straboni jam debemus, hodie *la Sorgue* dicitur: is in Rhodanum incidit, supra Avenionem. Et infra, vides ut apposite, cum Rhodano et Arari *Sulga* jungitur; quippe omnium trium undæ una miscentur.

434. —— *Qua montibus ardua summis Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas:*] Credat alius, non ego, tam jejunum et putidum fuisse Nostrum ut *Montibus* et *Rupe* in eodem colo poneret. Sic potius scripsisse credo.

—— Qua *NUBIBUS* ardua summis.

Qui montes excelsos habitant, iidem in *nubibus* habitant; nam et montes ipsi *Nubiferi* vocitantur.

436. *Pictones immunes,*] Quinque hos versus manuscripti omnes non habent, itaque omnino adducor ut adjectitios credam. Grotius. Non modo *omnes Manuscripti non habent* sed ex tot, quot usus sum, ne unus quidem habet, nec Editiones principes.

437. *Turonas*] Ita posuimus ex manuscripto quo usus Canterus, in quo *Turonos*. quanquam non nescio apud Tacitum legi *Turonios*. Sed *Turones* semper Cæsar, quem secutus, puto, Lucanus. Ejusdem manuscripti fide hunc versum illi, *In nebulis,* præposuimus, aliquo nunc sensu, qui nullus alias. Grotius.

439. *Andus,*] Malim *Andis;* nam plurale est *Andes* apud Cæsarem. Grotius.

440. *Genabos*] Eadem urbs quæ Genabum aliis, ut facile genera mutantur in peregrinis vocibus. ita autem rescripsimus pro *Menabos*. Grotius.

442. —— *Quondam per colla decora Crinibus effusis*] Solus ex nostris Puteaneus DECORA, cæteri cum Editione Veneta, DECORE. Laudat hos versus Priscianus p. 716. ubi de nominativo *Ligus* et *Ligur* agit. Cæterum Scaliger in Hypercritico: *versus,* inquit, *plebeius: Crinibus effusis toti prælate Comatæ.* Nihil addit cur plebeius haberi debeat, neque ego divinare possum.

444. *Et quibus immitis placatur*] Tribus his versibus designantur *Vates,* qui sacrificia procurabant; ut sequentibus *Bardi* et *Druidæ*. Diodorus Siculus lib. v. sunt, inquit, apud Celtas, Ποιηταὶ μελῶν οὓς Βάρδους ὀνομάζουσι; sunt philosophi et theologi, οὓς Δρυΐδας ὀνομάζουσι; sunt et Μάντεις, οἱ διὰ τῆς ἱερείων θυσίας τὰ μέλλοντα προλέγουσι. Strabo similiter lib. iv. τρία φῦλα τῶν τιμωμένων διαφερόντως ἐστι. Βάρδοι τε καὶ Οὐάτεις καὶ Δρυΐδαι. Amm. Marcellinus xv. Apud Gallos viguere studia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos, Vates, et Druidas. Mirum vero cum diserte nominet Lucanus *Bar-*

Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.
Vos quoque qui fortes animas, belloque peremtas
Laudibus in longum, vates, dimittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina, Bardi.
Et vos Barbaricos ritus, moremque sinistrum
Sacrorum, Druidæ, positis repetistis ab armis.
Solis nosse deos, et cœli numina vobis,
Aut solis nescire datum: Nemora alta remotis

dos et *Druidas;* quod non et tertium genus *Vates* suo nomine appellaverit: Atqui id, opinor, fecit, si sua poëtæ scriptura restituatur.

> Et quibus immitis placatur sanguine diro
> *TEUT VATES,* horrensque feris altaribus Esus.

Celtarum enim Deus summus non *Teutates* vocabatur, sed *Teut* vel Theuth; unde *Teutones* dicti sunt; ut fuse ostendit in Germania sua Cluverius, cujus correctio est *Vates. Sanguine diro,* idem est ac *sanguine* humano, sic enim, quod jure mireris, loqui solent poëtæ. *Sphinx,* apud Statium Theb. ii. 507.

> —— Concretis *infando sanguine* plumis
> Reliquias amplexa virum.

et vi. 350.

> ——Crudelibus ambo
> Exuviis *diroque* imbuti *sanguine* currus.

et x. 306.

> Proturbat mensas *dirus liquor;* undique manant
> Sanguine permixti latices.

452. *Solis nosse deos, et cœli numina vobis,*
Aut solis nescire datum:] Sententiam vides argutam, et blanda quadam sua suavitate mentibus obrepentem: Sed numquid illud advertis, *Deos* et cœli numina?

> Δὶς ταυτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰσχύλος.

Quo enim differunt, *Dei,* et *Numina cœli?* non difficile est veram emendationem elicere ex versibus mox sequentibus, ubi per partes explicat, quod hic ait semel ac universe. In his præcipuum est, *Animas immortales esse,* et *statim a corporis unius morte, transire in aliud.* Atqui hoc non *numen* cœli est, sed donum, munus, beneficium. Scribe ergo,

> Solis nosse deos et cœli *MUNERA* vobis.

Claudian. i. Stilich. 227.

> —— Lucosque vetusta
> Religione truces, et robora Numinis instar.
> Barbarici.

Jam vero vides quomodo *Deos,* et *cœli Numina,* soli Druidæ intelligant. *Deos,* nemora et lucus; *deorum munera,* animas immortales et vitam mox redituram.

453. —— *Nemora alta remotis*
Incolitis lucis.] Dixerat, Druidas aut solos scire deorum naturam; aut solos ignorare; nempe quod diversam ab aliis hominibus de Diis haberent opinionem. Quid vero ad istam opinionem facit, si Druidæ *incolant nemora ac lucos?* quæritur, quid *colant* non quid *incolant:* Adde etiam, quod falsum sit, eos Elysiorum Manium instar, lucis opacis habitasse. Repono

> —— Nemora alta, *REMOTOS*
> *VOS COLITIS LUCOS.*——

Cæsar Gall. vi. 13. *Druides certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, considunt in loco consecrato:* huc omnes undique qui controversias habent, conveniunt. Ubi emendandum est, in *luco* consecrato.

Incolitis lucis. Vobis auctoribus, umbræ
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt: Regit idem spiritus artus
Orbe alio: longæ (canitis si cognita) vitæ
Mors media est. certe populi, quos despicit Arctos,
Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus, haud urget leti metus. inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces

456. —— *Regit idem spiritus artus Orbe alio:*] Citat Servius ad Georgicon 1. aitque congruere cum philosophis, qui recedentes hinc animas illic alia corpora aiunt sortiri. Grotius.

460. —— *Inde ruendi In ferrum mens prona viris,*] Obvium quidem est, *promta* substituere pro *prona: Promta* enim audaciæ est; *Prona* desperationis et tedii vitæ. Hæc duo sæpe commutantur, ut et alibi notavimus. Tacitus Annal. iv. 46. *Esse Thracibus ferrum et juventutem, et promtum libertati, aut ad mortem animum.* Et ibid. 47. *Sugambram cohortem promtam ad pericula.* Idem Agric. vi. *Proconsul in omnem aviditatem PRONUS.* Unde licet certo dignoscere utriusque vim et sensum: *Promtus* ad pericula externa, *Pronus* ad affectus animi internos. *Promtus* in vulnera, bella, *Pronus* in iracundiam, libidinem &c. ubivis invenies. Sed *Pronus* aut *Promtus* RUENDI in arma, ferrum &c. nisi hic, nusquam: aufer hinc *Ruendi,* plena sine eo sententia est. non præstabo Lucanum scripsisse,

—— Inde *PROFECTO*
In ferrum mens *PROMTA* viris.

Sed cum Colbertinus veterrimus a prima manu habet RUENDO, ne te nimium terreat literarum diversitas, sic enim scribuntur compendiose ruedo pfecto: ct autem et d sæpe mutuo fallunt. Quod si verbo accedis, sententiam præstabo: Causis enim ante narratis, cum effectum, ut hic subjungunt, sæpe hac voce *Profecto* utuntur, Seneca avus Controv. ii. *Conversata es diutius inter humano Sanguine delibutos:* INDE EST PROFECTO, *quod potes hominem occidere.* Noster ix. 477.

—— —— Delapsaque cœlo
Arma timent gentes: hominumque erepta lacertis
A superis demissa putant: Sic illa *PROFECTO*
Sacrifico cecidere Numæ.

et v. 351.

Hic numquam vult esse meus: Sunt ista *PROFECTO*
Curæ castra deis.

Ovid. Metam. viii. 73.

Di facerent, sine patre forem: Sibi quisque *PROFECTO*
Fit deus.

461. *Animæque capaces Mortis:*] Nostri libri omnes ANIMÆ, ut Silius xi. 170.

Novi dis *ANIMAS* simili et pectora magnis
Numquam angusta malis: *CAPIUNT* (mihi credite) Cannas
Et Thrasymena vada et Paulli memorabile letum.

Neque enim ibi mutaveris in ANIMOS, quia versu proximo habebas *magni animi.* Reponendum tamen in Nostro,

ANIMIQUE capaces
Mortis.

Neque vero receptæ lectioni Silius patrocinatur. Non Animæ ibi *capiunt Cannas,* sed *Pectora:* quod sententia ipsa

Mortis: et ignavum rediture parcere vitæ.
Et vos crinigeros bellis arcere Caÿcos
Oppositi, petitis Romam, Rhenique feroces
Deseritis ripas, et apertum gentibus orbem.
Cæsar, ut immensæ collecto robore vires
Audendi majora fidem fecere, per omnem

monstrat: non ANGUSTA malis pectora, quippe quæ CAPIUNT Cannas et Thrasymena. ANIMI, ut Noster iv. 506.

> Et morti faciles animos.

et vi. 417.

> ——— proprius jam fata moveri
> Degeneres trepidant animi.

Virgil. Æn. ix. 205.

> Est hic, est animus lucis contemptor.

Seneca Œdip.

> Anime, quid mortem times?

et Herc. Fur. 412.

> Animo ruinas quod capis magno tuas.

462. —— *Ignavum rediture parcere vitæ.*] Appianus Celtico. Γερμανοὶ θανάτου καταφρονηταὶ δι' ἐλπίδα ἀναβιώσεως. Grotius.

463. *Et vos crinigeros bellis arcere Caÿcos*
Oppositi, petitis Romam,] In veteribus libris *Caÿcos, Caÿchos, Caiichos:* et sic variant Claudiani codices. Græci fere Καΰχοι, quod Latinis literis Caÿchi. Sed vide nunc ingenium spiritumque Lucani; quam nihil triviale dederit nec communis monetæ. *Vos,* Romani milites, *oppositi arcere Caÿchos bellis.* Cui non hæc satis faciebant? Sed excute sententiam, et solitam Nostri venam minime hic agnosces. *Unde* enim vel *quibus* arcere? Æneid. i. 31. *Arcebat longe Latio.* At in nostro deest quicquid est, quo Caÿchi arceantur. legendum igitur nisi nos fallit conjectura,

> Et vos crinigeros *BELGIS* arcere Caÿcos.

Cis Rhenum habitabant populi qui in Gallia communi nomine Belgæ appellati sunt, tunc hi sub Romanorum imperio tutelaque erant: hos gens fera et nondum subacta Caÿchi, repentinis latrociniis, opprimebant, ad illos igitur Belgis arcendos cohortes aliquot ad ripam dispositæ. Claudian. Stilich. 223. de Rheni pace.

> ——— Geminasque viator
> Cum videat ripas, quæ sit Romana requirat:
> Ut jam trans fluvium non indignante *CAYCHO*
> Pascat *BELGA* pecus.

Plane a Lucano hoc habuit; quem sic legebat, ut nos correximus.

464. —— *Rhenique feroces*
Deseritis ripas, et apertum gentibus orbem.] Lege *ferocis,* ride enim illas *feroces ripas:* Sic iv. 138.

> —— fluviique ferocis
> Incrementa timens.

Quid vero illud ORBEM? An totus orbis undique apertus, quia ripa Rheni deserebatur? Immo totum versum sic ab auctore profectum credo,

> ——— Rhenique *FEROCIS*
> Deseritis ripas, et apertum gentibus *AMNEM.*

Noster viii. 424.

> —— Vel Arctoum Dacis Rhenique catervis
> Imperii nudare latus.

Claudian. Bello Get. de Rheno.

> Ut nec præsidiis *nudato limite* tentet
> Expositum calcare solum; nec transeat amnem
> Incustoditam metuens contingere *ripam.*

466. *Cæsar, ut immensæ collecto robore vires*
Audendi majora fidem fecere per omnem
Spargitur Italiam, vicinaque mœnia complet.] Falsum hoc ex Historia,

Spargitur Italiam; vicinaque mœnia complet.
Vana quoque ad veros accessit fama timores,
Irrupitque animos populi, clademque futuram
Intulit, et velox properantis nuntia belli
Innumeras solvit falsa in præconia linguas.
Est qui, tauriferis ubi se Mevania campis

Cæsarem, ut primum vires collegerat, *per omnem Italiam sparsum fuisse:* Pugnat etiam cum sequentibus: Quomodo enim vana fama, non vera, erat; circa *Mevaniam* et fluvium *Narem alas ejus discurrere*, si jam *omnem Italiam* occupaverat? Quid, quod non nisi libro ii. 439. &c. signa demum movet Cæsar, et propinqua loca possidet, Auximum, Nuceriam, Asculum, Corfinium. Quomodo igitur jam nunc *per omnem* it *Italiam?* Quale porro Sermonis genus, quam non feliciter audax, *Cæsar spargitur per omnem Italiam? vires*, voluit, *copiæque sparguntur*, at putabam ipsum, Actæonis aut Pentheos instar, per frustra fuisse sparsum. Versus, opinor, proximus nobis opituletur,

Vana quoque ad veros accessit fama timores.

Cum enim QUOQUE legis et ACCESSIT, nonne illico subolet, aliquid de *non falso rumore*, de *fama non vana* necessario ante dictum fuisse? certe; et hoc potest fidem facere, sic a manu Auctoris sententiam profectam esse.

TERROR, ut immensæ collecto robore vires
Audendi majora fidem fecere, per omnem
Spargitur Italiam, *ROMANAQUE* mœnia complet.

Rumor Spargitur, non ipse Cæsar. Tacitus Annal. iv. 24. *Disperso rumore.* Hist. ii. 96. *Falsos rumores dispersos.* Æn. vii. 144.

Deditur hic Subito Trojana per agmina rumor.

Silius. iv. 1.

Fama per Ausoniæ turbatas *spargitur* urbes.

Rumor etiam, non *Cæsar, complet mœnia.* Æn. xi. 140.

Et jam *Fama* volans, tanti prænuntia luctus,
Evandrum, Evandrique domos et *mœnia complet.*

470. —— *Clademque futuram*
Intulit, et velox,] *Velox nuntia* est ipsa *Fama.* friget ergo sententia et bis idem dicit, nisi reponas,

Intulit *UT* velox.

Ut postquam, ut primum.

473. *Est qui, tauriferis ubi se Mevania campis,*
Explicat,] Mevaniæ tauri veteribus nobilitati sunt. Silius vi. 647.

Et sedet ingentem pascens Mevania taurum
Dona Jovi.

Quid autem? an ut Campi *herbiferi, turiferi, frugiferi, pomiferi*, qui scilicet ea *ferant;* sic et Tauriferi dicentur, qui tauros *pascant?* Nusquam, præterquam hic, hoc veri reperies. de Milone quidem Crotoniata *Taurifer* facile ferrem, sed de *campis* dictum sane nollem, ne iidem et tauros ferant, et tauris pabula. Eliciant aliquid, quibus datum est: neque sinant hanc labem Lucano insidere. Silius viii. 458.

——— Lætis Mevania pratis.

An hic corrigendum?

Est qui. *GRAMINEIS* ubi se Mevania campis.

Iterum Silius vi. 217.

Cornea *gramineum* persultans ungula *campum.*

Virgil. v. 287.

——— Tendit *gramineum* in *campum.*

Ovid. Amor. iii. 5.

Area *gramineo* suberat viridissima *Prato.*

Explicat, audaces ruere in certamina turmas
Afferat, et qua Nar Tyberino illabitur amni
Barbaricas sævi discurrere Cæsaris alas:
Ipsum omnes aquilas, collataque signa ferentem,
Agmine non uno, densisque incedere castris.
Nec, qualem meminere, vident: majorque, ferusque
Mentibus occurrit, victoque immanior hoste.
Hunc inter Rhenum populos Alpesque jacentes,
Finibus Arctoïs, patriaque a sede revulsos
Pone sequi, jussamque feris a gentibus Urbem,
Romano spectante, rapi. sic quisque pavendo
Dat vires famæ: nulloque auctore malorum,
Quæ finxere, timent. nec solum vulgus inani

477. *Ipsum omnes aquilas collataque signa ferentem,*] *Collata signa, Collata acies*; cum pugna scilicet et prælium committitur. Nihil frequentius occurrit, Æn. xi. 517.

Tu Tyrrhenam aciem *collatis* excipe *signis*.

Neque vero *collata in unum locum signa* intelligas; quippe agmine *non uno* incedebat. Placet quod Codex Trinitatis pro varia lectione affert, COGNATAQUE *signa*, *Cognata aquilis signa*, quæ aquilas comitabantur. Una enim in singulis legionibus *Aquila*, cætera ibi vexilla *Signa* dicebantur. Inde passim reperies, *Aquilas et Signa* Silius x. 392.

Non Aquilæ, non Signa viris.

478. *Agmine non uno, densisque incedere castris.*] Quænam sunt illa *densa Castra?* vel quis sic locutus est? an *densa*, erant arta Castra, et non laxa; an frequentia, et parum inter se distantia? Utrumvis hic ineptum. Illud vero absurdum, *Castris incedere:* credideram sane solitos eos *castris considere:* Semper quidem *agmine incedebant*, nunc denso et conferto, nunc laxo et effuso. Livius x. 14. *Uterque Consul populabundus effuso agmine incedit.* Sed inauditum est, neque natura patitur quemquam castris *incessisse.* Quærendum igitur aliquod verbum, quod ad *agmen* pertineat, vel in impedimentis sit. Cæsar Bel. Gal. ii. 19. *Consuetudine sua Cæsar sex legiones expeditas ducebat, post eas totius exercitus impedimenta collocabat: inde duæ legiones totum agmen claudebant:* Hirtius Gall. viii. 8. *Agminis ordinem ita constituit ut legio* vii. iix. ix. *ante omnia iret impedimenta, deinde omnium impedimentorum agmen cogeret legio* xi. Scripsit ergo Poëta, ut opinor,

Agmine non uno, densisque incedere *CARRIS*.

Carrus, vehiculum Gallicum ad impedimenta portanda. Quid ergo aptius dici potuit, quam Cæsarem e Gallia post annos decem et cum Gallicis auxiliis venientem *densis carris incedere?* Hirtius viii. 4. Magna multitudo carrorum *etiam expeditos sequi Gallos consuevit*. Cæsar i. 24. *Helvetii cum omnibus suis carris secuti, impedimenta in unum locum contulerunt.* Quin et in Cæsareis impedimentis *Carri*. Bell. Civil i. 51. *Venerunt ad Cæsarem Equites ex Gallia, cum multis* carris *magnisque impedimentis, ut fert Gallica consuetudo.*

479. —— *Majorque, ferusque Mentibus occurrit,*] Harleianus cum aliis recentioribus FEROXQUE, Placet et per se, et quoniam versu mox quarto habemus *Feris e gentibus*.

Percussum terrore pavet: sed curia, et ipsi
Sedibus exiliere Patres, invisaque belli
Consulibus fugiens mandat decreta Senatus.
Tum quæ tuta petant, et quæ metuenda relinquant,
Incerti, quo quemque fugæ tulit impetus, urgent
Præcipitem populum, serieque hærentia longa
Agmina prorumpunt. credas aut tecta nefandas
Corripuisse faces, aut jam quatiente ruina
Nutantes pendere domos. sic turba per urbem
Præcipiti lymphata gradu, velut, unica rebus
Spes foret afflictis patrios excedere muros,
Inconsulta ruit. qualis cum turbidus Auster
Reppulit a Libycis immensum Syrtibus æquor,

481. *Hunc inter Rhenum populos Alpesque jacentes,*] Colbertinus prior *Nunc* cum Editione Veneta; cæteri omnes cum Romana *Tunc*, id est, insuper, præterea: *Alpem*, concinnius hic quam *Alpes*, Priscianus p. 757. *Alpis*, ait, *singulariter invenitur a Poëtis prolatum, et in* EM *terminans accusativum* ALPEM. *Lucanus in* I. *Tunc inter Rhenum populos Alpemque jacentes.* Sic alibi iii. 299. *Nubiferam Alpem*, et i. 688. *Alpis nubiferæ colles.* Juvenalis x. 152. *Opposuit natura Alpemque nivemque.*

488. —— *Invisaque belli*
Consulibus fugiens mandat decreta Senatus.] Cur sodes *invisa*, quæ sponte et priores decreverunt, Cæsare conditiones ferente? Scripsit Auctor,

—— *INJUSSAQUE* belli
Consulibus fugiens mandat decreta Senatus.

Hoc est, Senatus præ metu aufugiens, non ipse jussit bellum, sed mandavit Consulibus jubendum: Noster v. 21.

Cunctaque *jussuri* primum hoc decernite Patres.

Claudian. i. Stilich. 324.

Hoc quoque non parva fas est cum laude relinqui,
Quod non ante fretis exercitus adstitit ultor,
Ordine quam prisco *censeret bella Senatus.*
Neglectum Stilicho per tot jam sæcula morem
Rettulit, *ut ducibus mandarent prælia Patres.*

491. —— *Urgent*
Præcipitem populum,] Quale vero illud, *urgent præcipitem populum?* quippe inter urgentes illos *Vulgus* est, v. 486. et *Turba*, v. 495. Ergo vulgus et turba urgent populum. Placetne hoc? an pro populum legamus CURSUM? Cæterum *Agmina prorumpunt*, casu recto, accipiendum, sed rectius casu patrio; modo sic corrigas.

—— serieque hærentia longa
Agmina *PERRUMPUNT.*

Noster iii. 116. in re simili.

—— Rapit gressus, et Cæsaris *agmina rumpens.*

496. *Præcipiti lymphata gradu,*] Quarto abhinc versu habuimus, *Præcipitem populum*, atque utrobique in eadem sede versus. Reponimus igitur.

ANCIPITI lymphata gradu.

Valer. Flaccus. iii. 46.

—— Deus ancipitem lymphaverat urbem.

Proprium est lymphatorum, ultro citro, horsum istorsum, incerto gradu ire. *Feror huc illuc ut plena deo.*

498. —— *Qualis cum turbidus Auster*
Reppulit a Libycis immensum Syrtibus æquor,] Quomodo autem hoc æquor præ aliis *immensum?* Homero, si vis, condones ejusmodi epitheta: Lucanus talem

Fractaque veliferi sonuerunt pondera mali,
Desilit in fluctus deserta puppe magister,
Navitaque, et nondum sparsa compage carinæ,
Naufragium sibi quisque facit: sic urbe relicta
In bellum fugitur. nullum jam languidus ævo
Evaluit revocare parens, conjuxve maritum
Fletibus, aut patrii, dubiæ dum vota salutis
Conciperent, tenuere Lares: nec limine quisquam
Hæsit, et extremo tunc forsitan urbis amatæ
Plenus abit visu: ruit irrevocabile vulgus.
O faciles dare summa Deos, eademque tueri
Difficiles! urbem populis, victisque frequentem

sine laude veniam aspernatur, ille sine dubio scripsit,

Reppulit a Libycis *INVERSUM* Syrtibus æquor.

Non vagum hoc verbum erit, sed loco cognatum: ideo *inversum*, quia ab Austro pulsum et ab imis sedibus erectum. Horat. Epod. x.

Niger rudentes Eurus, *INVERSO MARI*
Fractosque remos differat.

503. —— *Sic urbe relicta*
In bellum fugitur.] Supra 495. habuimus, *sic turba* per URBEM *Inconsulta ruit*, et mox infra 508. habebimus, URBIS *amatæ Plenus abit visu.* quis ferat tertium hic inculcatam URBEM? quid si legamus,

—— Sic *PACE* relicta
In bellum fugitur.

Vides antithesin ubique Nostro captatam. *Pace* autem eadem qua *Urbe* sententia. quippe illic tuta pax, ii. 348. Martia uxor ad Catonem,

Da mihi castra sequi; cur tuta in *pace* relinquar?

Hoc est, in URBE, cui *Castra* illic opponuntur.

504. —— *Nullum jam languidus ævo*
Evaluit revocare parens, Conjuxve maritum
Fletibus, aut Patrii, dubiæ dum vota salutis
Conciperent, tenuere Lares:] Tam a prava distinctione, quam a mendosis vocabulis laborat hic locus. difficilis sane emendatu. Colbertinus prior SALUTI; secundus SALUTIS, sed puncto supra infraque posito, quod signum delendo est. Idem et Puteaneus, et Codex Trinitatis CONCIPERET, hoc solum Librariis debebimus; reliqua divinanda sunt. Faciamus ergo periculum, non tam apicibus literarum adhærentes, quanquam et istud; quam caventes ne quid tanta Poëtæ fama indignum exsculpamus; vide igitur hæc,

—— *NON NATUM* languidus ævo
Evaluit revocare parens, conjunxve maritum;
RITIBUS aut *PATRIIS* dubiæ dum vota *SALUTI*
CONCIPERET, tenuere *LARES.*

NON NATUM dedimus pro recepto *nullum jam:* quo enim referendum erat *Nullum?* Parens *nullum maritum* flevit? an *nullum* mortalium? Quorsum igitur *Parens?* Sed ipse jam illepidum illud vides. porro RITIBUS PATRIIS non nimis a vulgato abscedunt FLETIBUS PATRII, sensu autem percommodo; notissimum est, peregre euntes redeuntesve Lares domesticos salutare solitos; nunc vota nuncupasse, nunc solvisse. *Ritibus patriis:* Cicero de legibus ii. 8. *Ritus familiæ patrumque servanto.* et paulo post, ex *patriis ritibus optima colunto.* SALUTI autem potius quam *Salutis*, ut v. 450.

Gentibus, et generis, coëat si turba, capacem
Humani, facilem venturo Cæsare prædam
Ignavæ liquere manus. cum pressus ab hoste
Clauditur externis miles Romanus in oris,
Effugit exiguo nocturna pericula vallo:
Et subitus rapti munimine cespitis agger
Præbet securos intra tentoria somnos.
Tu tantum audito bellorum murmure, Roma,
Desereris; nox una tuis non credita muris.
Danda tamen venia est tantorum danda pavorum:
Pompeio fugiente timent. tum ne qua futuri
Spes saltem trepidas mentes levet, addita fati

——— Nova *VOTA TIMORI*
Sunt inventa novo.

CONCIPERET autem, *Natus* scilicet vel *Maritus*. compara jam hæc cum vulgatis; illud modo observans, et loco non suo positum esse *τὸ Fletibus*, et sententiam destituere, cur enim *fletibus* solis agebant *Conjuges*, velut mutæ et elingues? Quod si illæ *fletibus;* cur silet, qua suadela *parentes* utebantur?

509. —— *Ruit irrevocabile vulgus.*] Graviter hic peccavit Lucanus, si ita hæret ei hæc macula, ut elui non possit. Est Epiphonema et summa clausula totius narrationis; quæ nisi aliquid arguti novique habeat, friget sordetque. Atqui v. 486. VULGUS pavore exanimatum erat, et 495. TURBA lymphata RUEBAT. cur rursus igitur hic VULGUS RUIT? Quid quod v. 487. CURIA, PATRES, SENATUS ex urbe fugiunt? an et hi, quod in clausula factum oportuit, VULGI nomine comprehendentur? Nec vero REVOCABILE nimis venuste hic repetitur; cum quarto abhinc versu vidimus, ut neminem evaluit REVOCARE nec parens nec conjunx. si ibi nemo *revocari* potest, quid hic novi, si *irrevocabilis* est? Quid jam agimus? si vulgata lectio displicere incipit, salva res erit. Quod nunc humi repit, Metaphoræ vi et virtute se eriget et enitescet. Quid si sic scripserit Lucanus?

Ruit *IRREVOLUBILIS UNDA.*

Unda est turba ac multitudo conferta hominum, eodem properantium. Juven. iii. 244.

——— Nobis properantibus obstat
UNDA prior: magno populus premit agmine lumbos
Qui sequitur.

Virgil. Georg. ii. 462.

Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit ædibus *UNDAM.*

Statius Theb. ii. 223.

UNDA fremit vulgi.

Irrevolubilis; Horat. Amnis,

——— in omne volubilis ævum.

Non hic modo, *Revolubilis* mutatum est in *Revocabilis*, sed in Senecæ Her. Fur. 559.

Evincas utinam jura feræ Stygis,
Parcarumque colos non revocabiles.

Corrigendum vero.

Parcarumque colos non *REVOLUBILES.*

ut satis fidei faciet versus ibidem 182.

Duræ peragunt pensa Sorores
Nec sua retro fila revolvunt.

Ruit ergo *unda* populi *patrumque irrevolubilis;* id est, fugiunt ex urbe omnes hominum ordines numquam redituri.

Pejoris manifesta fides, Superique minaces,
Prodigiis terras implerunt, æthera, pontum.
Ignota obscuræ viderunt sidera noctes,
Ardentemque polum flammis, cœloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque timendi
Sideris, et terris mutantem regna cometen.
Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno:
Et varias ignis denso dedit aëre formas.
Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas
Emicuit cœlo: tacitum sine nubibus ullis
Fulmen, et Arctois rapiens de partibus ignem,
Percussit Latiale caput: stellæque minores
Per vacuum solitæ noctis decurrere tempus,
In medium venere diem: cornuque coacto

528. ——— *Crinemque timendi Sideris, et terris mutantem regna cometen.*] Julius Scaliger in Hypercritico, *Vitium*, inquit, illud, *quo bis idem dicitur, tam est Lucano peculiare* (lege familiare) *ut pene sibi proprium fecerit. Nam quid aliud est quam Cometes; Crinemque timendi sideris, et terris mutantem regna cometen?* Hæc Scaliger, et quod ille hic sugillat, ejusmodi est; ut si re vera ita Scripsisset Auctor; nullo colore excusari possit. Sed levi declinatione, Scaligeri telum effugiemus; nempe legendo COMETÆ, nam, quemadmodum, bis Tacitus, *Sidus cometes* dicit, ita simili Epexegesi, sive appositione Lucanus, *Sideris Cometæ, timendi, et terris regna mutantis.* Tacitus Annal. xiv. 22. *Inter quæ et Sidus Cometes effulsit; de quo vulgi opinio est, tamquam mutationem regis portendat.* Ubi correctum velim REGNIS. Iterum Tacitus xv. 47. *Vis fulgurum non alias, crebrior, et sidus Cometes, sanguine illustri semper Neroni expiatum.* Ubi Grotius delere jubet τὸ *Semper: Quasi vero, inquit, tam quotidianum sidus esset Cometes, ut mos Neronis in eo expiando notari potuerit?* Recte quidem argumentatur; sed lapsus est in vocabulo. Retinendum enim τὸ *Semper*, et tollendum τὸ *Neroni: Sanguine illustri semper expiatum*, nihil aliud est, quam illustrium virorum mortem semper portendens. Plin. Nat. Hist. ii. 23. *Cometes, terrificum magna ex parte sidus, ac non leviter* PIATUM; *ut civili motu Octavio Consule, iterumque Pompeii et Cæsaris bello.*

530. *Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno:*] Satis recte *micuerunt*, si per se solum æstimetur: Sed cum versu mox tertio rursus habeas, *Emicuit fulmen:* statim scias alterutrum ex his in vitio cubare, Scripsisse auctorem puto,

Fulgura fallaci *CECIDERUNT* crebra sereno.

Virg. Georg. i. 486.

Non alias cœli *ceciderunt* plura sereno
Fulgura.

531. *Et varias ignis denso dedit aëre formas.*] *Denso aëre*, cum Lucanus perpetuo Stoicum agit, tum hic ex suæ sectæ doctrina loquitur. Seneca Quæst. Natur. vii. 21. *Placet ergo nostris Stoicis, Cometas, sicut faces, sicut turbas, trabesque, et alia ostenta cœli* DENSO AERE *creari. Ideo circa septentrionem frequen-*

Jam Phœbe toto fratrem cum redderet orbe,
Terrarum subita percussa expalluit umbra.
Ipse caput medio Titan cum ferret Olympo,
Condidit ardentes atra caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, gentesque coëgit
Desperare diem: qualem fugiente per ortus
Sole Thyesteæ noctem duxere Mycenæ.
Ora ferox Siculæ laxavit Mulciber Ætnæ;
Nec tulit in cœlum flammas, sed vertice prono
Ignis in Hesperium cecidit latus. atra Charybdis
Sanguineum fundo torsit mare. flebile sævi
Latravere canes. Vestali raptus ab ara
Ignis, et ostendens confectas flamma Latinas
Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit,

tissime apparent, quia illic plurimum est AERIS PIGRI. Quintus Cicero, Stoicus, de Divinatione i. 42. *Etrusci,* ait, *quod propter* AERIS CRASSITUDINEM *de cœlo apud eos multa fiebant, ostentorum exercitatissimi interpretes extiterunt.*

532. *Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas Emicuit cœlo:*] Distinctio prava, per omnes editiones retenta, loci hujus sententiam conturbavit et corrupit. *Jaculum* scilicet et *lampas* emicuit cœlo. Tu vero sic interpunge;

Et varias ignis denso dedit aëre formas,
Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas.
Emicuit cœlo tacitum sine nubibus ullis
Fulmen, &c.

Variæ nempe *formæ* sunt *jaculum* et *lampas:* et *Emicuit fulmen;* ut supra v. 151.

534. ——— *Arctois rapiens de partibus ignem,*
Percussit Latiale caput:] Colbertinus primus LATIARE. Vide supra, v. 198.

542. —— *Gentesque coëgit*
Desperare diem:] Hinc Statius Theb. iv. 284.

——— et occiduum longe Titana secuti
Desperare diem.

548. ——— *Flebile sævi*
Latravere canes.] Neque *sævi canes* per se Scyllæos canes significent; quamvis et hi sævi. Neque tum recte *sævi* dicantur, cum latrant *flebile,* Ejulare et Sævire inter se pugnant, nec una possunt concurrere; forsan Scripserit Auctor,

Flebile *LÆVI* latravere canes.

Cum *Charybdin* antea nominasset, Scyllæos canes *a læva* Charybdios designat. Virg. quidem contra Æn. iii. 420.

Dextram Scylla latus, lævum implicata Charybdis
Obsidet.

At hoc in Epiro Helenus narrat, cui tum a dextra erat Scylla: Romæ vero degenti Lucano eadem erat a læva. Ut Seneca in epistola xiv. *Cum peteres Siciliam, trajecisti fretum: Gubernator non sinistrum petit litus* (Scyllam scilicet) *sed id quo proprior Charybdis maria convolvit.* An Seri, id est nocturni?

550. ——— *Confectas flamma Latinas*] Sic et Cicero sæpe tum in orationibus, tum in versibus, subticens vocem facile intellectu, *ferias.* Grotius.

Thebanos imitata rogos. tum cardine tellus
Subsedit, veteremque jugis nutantibus Alpes
Discussere nivem. Tethys majoribus undis
Hesperiam Calpen, summumque implevit Atlanta.
Indigetes flevisse deos, Urbisque laborem
Testatos sudore Lares, delapsaque templis
Dona suis, dirasque diem fœdasse volucres

554. ——— *Tethys majoribus undis Hesperiam Calpen, summumque implevit Atlanta.*] Nempe omina et ostenta hic narrat, quæ bellum civile dirosque ejus exitus prædicebant. In his prodigiis unum hoc est, Oceanum sic intumuisse, ut *montem Atlantem* SUMMUM impleret. Hui! quid ergo obstabat, *grave ne rediret Sæculum Pyrrhæ;* quo tamen SUMMUS Parnassus non tegebatur diluvio. Sed facile erat illud SUMMUM aspernari, et ipsius Antitheti vi et venustate MAURUM adsciscere: Hesperiam Calpen, Atlanta Maurum; utrumque a regione dictum, nam *Hesperia* hic *Hispanica* est. Claudian. vi. Honor. 104. *Maurusius Atlas.* Sed haud scio an et aliud restet mendum: quippe cum *Calpen* hic videas, vide an longe quærenda sit *Abyla*, quæ juncta fere cum Calpe memoratur, utraque Columnæ Herculis dictæ; et an reponendum.

Hesperiam Calpen, Maurumque implevit Abylam.

Mela. i. 5. *Ab Atlantico oceano in nostrum mare pergentibus, læva Hispania, Mauritania dextra est—Deinde est mons prealtus, ei quem ex adverso Hispania attollit objectus;* hunc ABYLAM, *illum* CALPEN *vocant, columnas Herculis utrumque.* Plinius Hist. iii. 1. *Proximis autem* (oceani Atlantici) *faucibus utrumque impositi montes coërcent claustra;* ABYLA *Africæ, Europæ* CALPE. *laborum Herculis metæ.* Avienus in Orbe Terræ.

Et primum ruptas se pontus Ibericus illinc
Inserit in terras: caput autem principiumque
Europæ et Lybiæ est: mediis infunditur oris,
Inrepitque salum: Scopuli stant ardui utrinque;
Unus in Europam, Libyam procul aspicit alter.
Sic deserta freto procera cacumina celsis
Emicuere jugis, sic intrant saxa profundum,
Sic subeunt nubes, sic cœlum vertice fulcit
MAURA ABILA, et dorso consurgit *IBERICA CALPE.*

Idem in Ora Maritima:

Hic sunt Columnæ pertinacis Herculis,
ABILA atque *CALPE.*

Et iterum,

Hic Herculanæ stant columnæ, quas modum
Utriusque haberi Continentis legimus,
ABILA atque *CALPE: CALPE* in *HISPANO* solo,
MAURUSIORUM est *ABILA.*

Neque vero deterreat, quod Avienus, tam in Hexametro quam Iambo *Abila* corripit, secunda brevi: Sic enim solet corripere, quæ ab aliis omnibus producuntur:

In matutinos *Pachynos* producitur ortus.
Alcinoique domus pandetur *Corcyra* rursum:
Sestus ubi atque *Abydus*, parvo sale discernuntur.

Illud certo indicio est, *Abylam* producta media solitam efferri; quod quidam pro *Abyla* montem eum *Abinnam* vocarent. Solinus c. xxiv. *Oceanus ab occasu solis irrumpens, lævo latere Europam radit, Africam dextro, scissisque* CALPE *et* ABINNA *montibus, quas dicunt Columnas Herculis, inter* MAUROS *funditur et* HISPANIAM. Sic ibi codices omnes teste Salmasio. Martianus Capella Lib. vi. *Nam Europa a* CALPE, *Africa ab* ÆTHNA *monte despicitur qui utrinque prominentes dici Columnæ Herculis meruerunt.* Sic locus in scriptis fertur: *Æthna*, ut liquet, pro ABINNA. Lucius

Accipimus; silvisque feras sub nocte relictis
Audaces media posuisse cubilia Roma.
Tum pecudum faciles humana ad murmura linguæ,
Monstrosique hominum partus, numeroque modoque
Membrorum; matremque suus conterruit infans:
Diraque per populum Cumanæ carmina vatis
Vulgantur. tum, quos sectis Bellona lacertis

Ampelius, *Mare Atlanticum intrat in fretum Gaditanum, inter duos montes clarissimos* ABINNAM *atque* CALPEN *ob impositas Herculis columnas.* Vide Eustathium ad Dionysium v. 64. στήλη Λιβυκὴ κατὰ Βαρβάρους ABENNA καλυμένη; *Columna Lybica Barbaris* ABENNA *appellata.* Philostratus in Apollonio v. 1. de Columnis Herculis loquens; *Africæ*, inquit, ὄνομα Ἄβιννα, *nomen est Abinna, Europææ autem*, Κάλπις *Calpis.* Jam ergo si Abinna et pari syllabæ productione Abyla, quis dubitet quin recte et legitime Scripsisse potuerit Lucanus,

——MAURUMQUE implevit ABYLAM.

Ideo autem *implevit*, quia Montes illi mire exesi et concavi. Mela ii. 6. *Columnæ Herculis* ABYLA et CALPE; *uterque quidem, sed Calpe magis, et pene totus in mare prominens: is mirum in modum concavus medium fere latus aperit.* Priscianus p. 732. *Illud*, inquit, *miror, quod Juvenalis Calpe ablativum corripuit* (xiv. 279. *Sed longe Calpe relicta) cum sit simile hoc nomen, Penelope, Calliope. Lucanus in* 1. *Thebis* (MS. Thetis) *majoribus undis Hesperiam Calpen Summumque implevit Atlanta.* Vides quam vetustum mendum sit illud SUMMUM; ut sæpe alibi, Magister ille vitiosos in Lucano citando codices, secutus est, Sed Codex optimus Cantabrigiensis pro *Implevit*, habet *Impulit*, Unde adhuc corrigendum videtur

Hesperiam Calpen; MAURAMQUE IMPELLIT ABYLAM.

Mutat enim Auctor tempora sæpe in hac narratione, ut v. 551. *Scinditur*, 565. *Vulgantur*, 572. *Diffugiunt.* Utrivis lectioni, seu *Implevit*, sive *Impellit*, patrocinatur Claudianus Proserp. ii. 181.

——— Neptunus cuspide montes
Impulit adversos.

et Silius v. 395.

Ceu pater Oceanus cum sæva Tethye Calpen
Herculeam *ferit*, atque exesi in viscera montis
Contortum pelagus latrantibus *ingerit* undis:
Dant gemitum Scopuli.

Ferit, perinde est ac *Impellit; Ingerit*, ac *Implevit.* Sed quid illud est, *Oceanus ferit Calpen sæva Tethye?* Certe enim *Cum* conjunctio hic est, non præpositio. An ferit conjuge sua Tethye quasi telo? nollem sane hanc *præstantissimam restitutionem* appellasset acutissimus Heinsius, quam et apud Silium inculcat, et apud Nasonem Metam. vii. 247.

——— petit hoc a *Tethye* munus.

Atqui priores editi, *a Colchide* habent: et sic series narrationis plane flagitat: firmant quoque Lactantius in argumento ejus Fabulæ vii. 3. et Hyginus Fab. 182. qui clare dicunt Bacchum a *Medea* petisse id munus, non a *Tethye.* Unde vero *a Tethye?* Nimirum vetustiores Codices ibi habent, *Ab æthide, A theide, A cetide, A ethide, A thetide.* Inde promptum erat restituere a *Tethye.* Reponendum erat,

——— petit hoc *ÆETIDA* munus.

Æetis et Æetias Patronymica sunt Medeæ cognomina a patre Æeta. Cæterum et in Silio vetustæ membranæ habent, *cum sævo Sub æthere Calpen;* aut *sævæ cetre*, aut *sæva cethye;* repono,

Sæva movet, cecinere deos; crinemque rotantes
Sanguinei populis ulularunt tristia Galli.
Compositis plenæ gemuerunt ossibus urnæ.
Tum fragor armorum, magnæque per avia voces
Auditæ nemorum: et venientes cominus umbræ.
Quique colunt junctos extremis mœnibus agros,
Diffugiunt: ingens Urbem cingebat Erinnys,
Excutiens pronam flagranti vertice pinum,
Stridentesque comas: Thebanam qualis Agaven
Impulit, aut sævi contorsit tela Lycurgi
Eumenis: aut qualem jussu Junonis iniquæ
Horruit Alcides, viso jam Dite, Megæram.

Ceu pater Oceanus cum sæva *CUSPIDE* Calpen
Herculeam ferit.

Cuspide est *Tridente*. Denique et excusatur Juvenalis, cum Calpe ultima brevi dixit casu ablativo: nempe non a recto *Calpe* deduxit, sed a *Calpis;* ut apud Philostratum jam vidimus, Κάλπις non Κάλπη.

564. —— *Cumanæ carmina vatis*] Sic iterum v. 183. et viii. 824. *Vates* Cumana inflexione Latina. sed cum cæteri Poëtæ Virgilius, Propertius, Ovidius, Silius, Valerius Flaccus inflexionem græcam adsciverint, CUMÆA, vel CYMÆA *vates:* vix dubites quin ad eandem faciem scripserit Lucanus. Ratio autem erat; quia Cumæ, Colonia Græcorum, et Sibylla græce vaticinabatur.

565. —— *Tum quos sectis Bellona lacertis*
Sæva movet, cecinere deos, &c.] Quos quæso deos cecinere? quidve ad ostenta pertinet, si ullos deos cecinerint, nisi addidisset iratos? indignum porro est, Gallos *ululare*, alteros vero his fœdiores *canere*. Denique, *Quos sectis Bellona lacertis sæva movet*, si latine scimus, hoc absurdum indicat, ipsam deam Bellonam sectis lacertis esse non Bellonarios. Colbertinus prior, et Harleianus, et pro var. lect. Trin. MONET. Scripsit, opinor Auctor,

Tum quos sectis Bellona lacertis
Sæva *MONET PLACARE* deos, crinemque rotantes
Sanguinei populis ulularunt tristia Galli.

Tum, inquit, fanatici homines, Bellonarii et Galli, *ulularunt* tristia. Ut verbum *ulularunt* utroque nominativo conjungatur. Vix aliter potuit Lucanus. Bellonarii sectis lacertis et suo sanguine deos se placare iratos arbitrabantur. Tibullus i. 7.

Hæc ubi Bellonæ motu est agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet.
Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inulta Deam—
Et canit eventus quos dea magna monet.

Sed otiosum plane et supervacuum est, illud POPULIS: mirum enim ni Bestiis vel Noctuis ululasse eos crederemus. Quid quod *Ululare*, sic ut *Flere*, *Gemere*, *Latrare*, transitivum non est? si populis ululet quis; tum *Adululare* dictum oportuit, ut *Adflere*, *Adgemere*, *Allatrare*. Præterea, cum tertio abhinc versu *Per populum* habuerimus, rursus hic *Populis* ingeri non est ferendum, quare aliquid indagandum est, quod sententiæ pondus sustineat, totum ergo locum sic corrigere poteris.

Tum quos sectis Bellona lacertis
Sæva *MONET PLACARE* deos, crinemque rotantes
Sanguinei *CYBELES* ulularunt tristia Galli.

Ut prius Bellonæ, ita et Cybeles facienda

Insonuere tubæ, et quanto clamore cohortes
Miscentur, tantum nox atra silentibus auris
Edidit: et medio visi consurgere Campo
Tristia Syllani cecinere oracula manes.
Tollentemque caput gelidas Anienis ad undas
Agricolæ fracto Marium fugere sepulcro.
Hæc propter placuit Tuscos de more vetusto
Acciri vates; quorum qui maximus ævo
Aruns incoluit desertæ mœnia Lunæ,
Fulminis edoctus motus, venasque calentes
Fibrarum, et monitus volitantis in aëre pennæ:
Monstra jubet primum, quæ nullo semine discors

erat mentio. *Galli Cybeles* sic dicuntur ad ambiguum evitandum. Phædrus iii. 20.

> *Galli Cybeles* circum quæstus ducere
> Asinum solebant bajulantem sarcinas:

Ubi legerim, *circum* PAGOS.

566. ———— *Crinemque rotantes*
Sanguinei populis ulularunt tristia Galli.] Fuerat *Sanguineum.* mutavimus, et mutationem nostram probant duo manuscripti ex Bibliotheca, quam magnus Thuanus nihilo minori filio reliquit: regiorum quoque unus. Non enim crinis sanguineus, sed ipsi.

> Quos circumtonuit gaudens Bellona cruentis.

Grotius.

580. —— *Et medio visi consurgere Campo*
Tristia Syllani cecinere oracula manes.] In campo enim Martio sepultus Sylla. Vide Appianum et Plutarchum. Sic Marius de quo sunt sequentia, ad Anienem sepultus. Grotius.

587. *Fulminis edoctus motus, venasque calentes*
Fibrarum, et monitus volitantis in aëre pennæ:] Illa *motus* et *monitus* tinnitu futili, non sapiunt Lucani indolem; ut nec illud *Edoctus motus*, eadem Syllaba recurrente: Quid autem, si *motus jactusque* fulminum edoctus est; nisi insuper didicerit quid motus illi prædicant et præsagiant? Tacitus Hist. i. 3. non *motus* sed *monitus* fulminum in simili sententia posuit, *Cœlo terraque Prodigia, et* fulminum monitus *et futurorum præsagia.* Lege,

> Fulminis edoctus *MENTEM* venasque *LOQUENTES*
> Fibrarum.

Mentem fulminis, ut Statius Theb. viii. 177. de vate Amphiarao, ex hoc ipso opinor loco:

> Quis mihi sidereos lapsus *mentemque* sinistri
> Fulguris, aut cæsis saliat quod numen in extis.

Venas autem LOQUENTES; id est, præsagientes: illud enim *calentes* nimis frigidum est. Propertius iv. 100.

> Nec sibi commissos *fibra locuta* deos.

Sed quin et pro *Volitantis*, veteres nostri omnes cum aliquot aliis et Romana, habent, *Errantis.* Recte: si enim *volitantis*, otiosum esset in aëre: ubi enim alias? sic totum refinge locum.

> Fulminis edoctus *MENTEM* venasque *LOQUENTES*
> Fibrarum, et monitus *ERRANTIS* in aëre pennæ.

589. *Monstra jubet primum, quæ nullo semine discors*
Protulerat natura, rapi,] Dubitavi an, *nullo semine*, quasi sponte nata dicat, an, *misto semine:* ut melius cohæ-

Protulerat natura, rapi, sterilique nefandos
Ex utero fetus infaustis urere flammis.
Mox jubet et totam pavidis a civibus Urbem
Ambiri, et festo purgantes mœnia lustro:
Longa per extremos pomœria cingere fines
Pontifices, sacri quibus est permissa potestas.
Turba minor ritu sequitur succincta Gabino,

reat illud *discors natura*. Adduxi locum Aristotelis de Gen. Anim. lib. iv. cap. iv. *Δημόκριτος ἔφησι γίγνεσθαι τὰ τέρατα διὰ τὸ δύο γονὰς πίπτειν.* Addo jam alterum locum Problem. Sex. x. *τὰ τέρατα γίνονται ἐπαλλαττόντων τῶν σπερμάτων ἀλλήλοις καὶ συγχεομένων.* Et tertium Plinii lib. ii. *Inde deciduis rerum omnium seminibus innumeræ, in mari præcipue, ac plerumque confusis monstrificæ gignuntur effigies.* Quæ Aristotelis et Plinii plane illud *misto* confirmant. Grotius. *Mixto semine* ex Viri magni sententia reponendum erit, atque insuper acutissimi Nic. Heinsii notis ad 1 Sabini epistolam *Dissors.* si ipsæ quoque correctiones mixtæ fuerint melius procederent, hoc modo

—— quæ *mixto* semine *dissors*
Protulerat natura.

Hoc est, quæ dissortia diversæque naturæ animalia mixto semine genuerant, ut Claud. Cons. Mallii. 303.

———— Pardi
Semine permixto geniti, cum forte Leænæ
Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter.

Verum, quia semper stoicum se profitetur Noster, placet vulgata lectio, ex Porticus sententia explicanda: *Natura rerum scilicet, sibi discors, (præter suum morem) profert ejusmodi portenta sponte et nullo semine.* Manilius, ipse quoque stoicus ex astris et cœlo, hoc est, Natura, monstrorum rationem ducit: ii. 708.

Et sæpe in pecudes errat natura, maremque
Femina subsequitur: miscentur sidere partus.

et iv. 101.

—— permiscet sæpe ferarum
Corpora cum membris hominum. *non seminis ille*
Partus erit. quid enim nobis commune ferisque?
Quisve in portenti noxam peccavit adulter?
Astra novant formas, cœlumque interserit ora:

Lucanus autem Diis, Fato, Fortunæ, Naturæ, ostenta hæc imputat supra 524.

———— addita fati
Pejoris manifesta fides: superique minaces
Prodigiis terras implerunt, æthera, pontum.

et vii. 151.

Non tamen abstinuit venturos prodere casus
Per varias *Fortuna* notas.——

vel *Natura.* Illud vero in primis animadvertendum: loca illa Democriti, Aristotelis, Plinii, quibus correctionem suam *mixto semine* firmare studet Vir magnus, eorum esse philosophorum qui nulla omnino dari portenta asserunt. Quippe si infans capite canino natus sit; id si *mixtura* hominis et canis fit, non erit portentum. Quod Phædrus iii. 3. argutissima fabula docet.

Alenti cuidam pecora, pepererunt oves
Agnos humano capite. Monstro exterritus,
Ad consulendos currit mœrens hariolos——
Æsopus ibi *tum* naris emunctæ senex,
Natura numquam verba cui potuit dare;
Si procurare vis ostentum, Rustice,
Uxores, inquit, da tuis pastoribus.

Ubi *Alenti* et *ibi tum* corrigimus pro vulgatis *Habenti* et *ibi stans.* *mixto* igitur *semine* et Lucani menti, et ostentorum, fidei, præsagioque prorsus repugnat.

591. —— *Infaustis urere flammis.*] Non placent *infaustæ* illæ *flammæ.* aut legerim INFESTIS *flammis* aut

Infaustis urere *LIGNIS;*

Ut sit *Infelicibus.* Notum illud Catulli,

Infelicibus ustulanda lignis.

Arbor *infelix*, quæ nec seritur, nec fruc-

Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,
Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.
Tum qui fata deum, secretaque carmina servant,
Et lotam parvo revocant Almone Cybellen:
Et doctus volucres Augur servare sinistras:
Septemvirque epulis festis, Titiique sodales:
Et Salius læto portans ancilia collo:

tum fert. Plin. Hist. xiii. 21. *Myricen et Italia fert, cujus* infelicia ligna *appellamus, quæ tamen infeliciora sunt Græciæ: gignit enim arborem Ostryn, qua in domum illata difficiles partus fieri produnt, mortesque miseras.* Certe *Ostrys* illa Græciæ, et *infelix*, ut pote sterilis; et *infausta* ut pote noxia et mali ominis. Vide et an *Infausta* dicatur. Horatius.

Nutrit farra Ceres, almaque faustitas.

593. —— *Et festo purgantes mœnia lustro:*] Amburbialibus hostiis. vide Festum. Grotius.

598. *Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.*] Servius ad 11. Æneidos: *quod colitur breve est, et latet sicut Palladium fuerat.* Grotius. Hinc sumsit Claudianus i. Eutrop. 328.

—— Trojanam sola Minervam
Virginitas Vestalis adit, flammasque tuetur.

An igitur *cui soli, choro* scilicet, non *Sacerdoti?* adeo ut omnes Vestales eam videre possent, non sola Virgo maxima. Noster ix. 993.

—— Nullique aspecta *virorum*
Pallas, in abstruso pignus memorabile templo.

Servius tamen *cui Sacerdoti*, non *cui Choro:* sic enim ille ad Æneid. ii. 106. *Palladium ab una tantum Sacerdote videbatur, ut Lucanus, Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.*

600. *Et lotam parvo revocant Almone Cybellen:*] Puteaneus CYBÉBEN; ut ubique Scribendum est, quoties media Syllaba producitur. Ita Græci Κυβήβη; numquam Κυβίλλη, vel Κυβήλη, sed Κυβίλη: Sed quale sodes est REVOCANT *Cybeben Almone;* an illa verbo vel sibilo revocata sponte et nullo ducente Romam ab Almone redire solita? Puteaneus quidem *Referunt* habet, et in margine eadem manu *Revocant;* sane hoc longe prætulerim lectioni receptæ: Sed aliud subvenit ad hoc melius veriusque,

Et lotam parvo *REVEHUNT* Almone *CYBEBEN.*

Nempe ea curru seu carpento in die illo lavationis vehebatur ac revehebatur. Ammianus Marc. xxiii. 3. *Ante diem Sextum Kal.* (Apriles) *quo Romæ Matri Deorum pompæ celebrantur annales, et carpentum quo* VEHITUR *simulachrum Almonis undis ablui perhibetur.* Prudentius περὶ στεφάνων xiv. 154.

Nudare plantas ante carpentum scio
Proceres togatos Matris Idææ sacris:
Lapis nigellus *EVEHENDUS* essedo,
Muliebris oris clausus argento sedet
Quem dum ad lavacrum præeundo ducitis,
Pedes remotis adhærentes calceis,
Almonis usque pervenitis rivulum.

Quæ et nostram emendationem firmant, et ad locum commentarii vice sunt.

601. *Et doctus volucres Augur servare sinistras:*] Et servare, vox auguralis, et sinistra auspicia felicia a sinendo. vide Festum. Grotius.

602. *Septemvirque epulis festis, Titiique sodales:*] Recte me hoc reposuisse pro *festus*, docet MS. P. Grotius. Recipienda vel sine ullius Codicis authoritate Viri magni emendatio, *Festis epulis*, ut Horat. Epod. ix.

Quando o repositum Cæcubum *ad festas* dapes?

Septemvir festis epulis, subintellige *curandis, indicendis:* Sic enim loquebantur, *Duumvir, Triumvir, Sevir juri dicundo;*

Et tollens apicem generoso vertice Flamen.
Dumque illi effusam longis anfractibus urbem
Circumëunt, Aruns dispersos fulminis ignes
Colligit et terræ mœsto cum murmure condit,
Datque locis nomen, sacris tunc admovet aris
Electa cervice marem. jam fundere Bacchum
Cœperat, obliquoque molas inducere cultro:

Triumvir A. A. A. flando feriundo; Triumvir Reip. constituendæ, Decemvir litibus judicandis, Quindecimvir Sacris faciundis; agris dandis, Vigintivir Reip. curandæ.

603. *Et Salius læto portans ancilia collo:*] Puteaneus, pro varia lectione LENTO, quod vide an tempori tam tristi aptius conveniat. Sed præstat, ut solemne epitheton sit, quia *salientes* et *exsultantes* ancilia gestabant.

604. *Et tollens apicem generoso vertice Flamen.*] *Apex pileum sutile circa medium virga eminente,* Ait Servius ad ix. Æneidos. Grotius.

606. —— *Dispersos fulminis ignes Colligit*] *Dispersos ignes in unum redigit,* aiunt Scholiastæ ad Juvenalem et ad Persium. Grotius.

607. —— *Et terræ mœsto cum murmure condit,*] Mœsto cum murmure, id est tacita ignorataque prece, ut ait ad Juvenalem Scholiastes. Condere autem vox huic rei propria, sepelire dixit Horatii interpres, infra terram abscondere Scholiastes ad Persium, qui addit, ut id fieret, fulmina in lapides transfigurata, id est, lapides sumtos pro fulminibus. Grotius. Plin. Hist. ii. 55. *hominem fulgure exanimatum cremari fas non est; condi terra religio tradidit.* Cæterum Scholiastes ad Juvenalis Sat. vi. 585. sic hunc locum laudat,

TACITO cum murmure condit.

608. *Datque locis nomen, sacris tunc admovet aris*] Nempe ex cœli regionibus. Cicero: *Cœli fulgura regionibus ratis temperanto.* Plinius lib. xix. *In sexdecim partes cœlum eo respectu,* (nempe fulminum) *divisere Thusci.* Nomina autem fuisse auguralia iis regionibus Servius nos doceat ad Eclog. ix. *Augures designant spatia lituo, et eis dant nomina, ut proprie prima pars dicitur antica, posterior postica.* Grotius. Aruns, qui hæc sacra obit, non Augur erat, sed Aruspex. Colbertinus uterque, Cod. Trin. et Bersmannis unus,

Datque locis *NUMEN.*

Atque ita restituit Vir in his litteris summus Fred. Gronovius Observ. i. 13. plura apud ipsum vide. Claudianus iii. Proserp. 354.

Inde timor, *numenque loco.* nemorisque senectæ
Parcitur.

Sacris aris, citat Lactantius ad Statii Theb. iii. 451. Cum vero tertio abhinc versu iterum habeamus *Sacris,* repono hic, *Sanctis.* Seneca patruus Œdip. 303.

Opima *sanctas* victima ante aras stetit.

Scris et *Sctis* facillime permutantur.

612. *Cornua succincti premerent cum torva ministri,*] *Premerent* cornua, non *Tangerent;* quia taurus *sacri impatiens* fugere nitebatur. Valer. Flaccus i. 775. de Tauro ad aram stante:

——— ipse æger, anhelans,
Impatiensque loci.

Seneca Œdip. 610.

Dextra ferocem cornibus taurum *premens.*

Martialis iii. 24. de haruspice:

Impatiensque diu non grati victima sacri,
Cornua succincti premerent cum torva ministri,
Deposito victum præbebat poplite collum.
Nec cruor emicuit solitus: sed vulnere largo
Diffusum rutilo nigrum pro sanguine virus.
Palluit attonitus sacris feralibus Aruns:
Atque iram Superum raptis quæsivit in extis.

Ipse super virides aras *luctantia* pronus
Dum resecat cultro colla, premitque manu.

Sed non admodum placent *Torva* illa *cornua*. Totus quidem bos *torvus* dicitur, *torva* ejus frons, *torvi* oculi. Silius xv. 62.

Illa ego sum, verti superum quæ sæpe parentem,
Nunc avis in formam, nunc *torvi* in cornua tauri.

Sic Heinsius ex MSS. cum prius esset *Torva in cornua tauri*, nullo sensu. Non enim vertit voluptas Jovem in cornua tauri, sed in integrum Taurum. Ordo itaque est, *Nunc in formam avis, nunc Tauri torvi in cornua.* Manilius ii. 246.

Ut leo et arcitenens, ariesque in cornua tortus.

Lege ex codice Vossiano,

ariesque *in cornua torvus.*

Sic Virgilius de tauro,

Irasci in cornua;

Ovid. Metam. x. 538.

Aut pronos lepores, aut celsum *in cornua* cervum.

Quis vero præter hunc Nostrum *torva* dixit *cornua?* Nimirum id solum recte torvum appellatur, quod sensus et effectus capax est, quod moveri, mutari, effervescere ac remitti potest. Melius *Curva* dixisset, ut multi codices exhibent apud Ovidium Metam. xii. 382.

Cornua curva boum multo rubefacta cruore.

Sed omnino, ut illic et alibi Heinsius, ita tu hic repone,

Cornua succincti premerent cum *VARA* ministri.

Versu vero sequente, *Præbet collum*, id est, oculis designandum et cultro feriendum. Seneca Agamem. 898.

Armat bipenni Tyndaris dextram furens:
Qualisque ad aras colla taurorum prius
Designat oculis, ante quam ferro petat:
Sic huc et illuc impiam librat manum.

Ita scripti hic editique: Sed quis, obsecro, est qui *designat colla oculis?* an Tyndaris? fœmina scilicet tauros immolare consueverat? credo, ut usum ejus ministerii faceret, quo certiore ictu trucidaret maritum. Quale vero illud est, *Prius, ante quam?* nonne satis erat, aut *Ante quam*, aut *Prius quam?* Miror, qua obtectum caligine oculos omnium effugere potuit mendum tam nunc apertum, restituo certissime,

Qualisque ad aras colla taurorum *POPA*
Designat oculis, ante quam ferro petat.

614. *Nec cruor emicuit solitus: sed vulnere largo*
Diffusum rutilo nigrum pro sanguine virus.] Veterrimi nostri quatuor cum Cantabrigiensi et binis Pulmanni, vulnere LAXO, Rectissime. opponuntur hæc duo. Emicuit, ex *angusta* plaga impetu exsiluit; e *laxa* diffusus est, per colla tauri diffluens. Seneca patruus Œdip. 345.

Utrum citatus vulnere angusto *EMICAT*
An lentus *AMPLAS* irrigat plagas cruor?

Sic ibi legendum, non, ut nunc, MICAT et ALTAS.

Terruit ipse color vatem: nam pallida tetris
Viscera tincta notis, gelidoque infecta cruore
Plurimus asperso variabat sanguine livor.
Cernit tabe jecur madidum: venasque minaces
Hostili de parte videt. pulmonis anheli
Fibra latet, parvusque secat vitalia limes.
Cor jacet: et saniem per hiantes viscera rimas
Emittunt: produntque suas omenta latebras.
Quodque (nefas) nullis impune apparuit extis,
Ecce videt capiti fibrarum increscere molem
Alterius capitis: pars ægra et marcida pendet,

617. *Atque iram Superum raptis quæsivit in extis.*] Signanter *raptis.* Est enim vox propria extispicio. Seneca Œdipo:

Nec fibra vivis rapta pectoribus potest
Ciere nomen. Grotius.

Virgilius xii. Æneidos:

In flammam jugulant pecudes et viscera vivis
Eripiunt.

618. ——— *Nam pallida tetris*
Viscera tincta notis, gelidoque infecta cruore
Plurimus asperso variabat sanguine livor.] Livor asperso sanguine, ut Œdip. 377. Infecit atras *lividus* fibras *cruor.* Sed quare *gelido* cruore? quid *Gelido* facit, ad tincturam vel infectum? Seneca ut vides, *lividus cruor* inficit, Noster v. 214. *Rubor igneus inficit ora,* et 564. *Niger inficit horror.* Horat. Epod. vii. *Tacent; et albus ora pallor inficit.* In his omnibus Epitheta ad colorem, ut oportet, non ad calorem aut frigus pertinent, præterea autem, qui potuit, inter *fibras calentes, rapta exta et adhuc spirantia* cruor esse gelidus? Sed aliud restat pejus: *Livor,* inquit, *variabat* SANGUINE *viscera infecta* CRUORE. A poëta hæc esse cave animum inducas, et si nihil tibi succurrat melius, sic mecum lege,

——— Tetris
Viscera tincta notis, *FŒDOQUE* infecta *NIGRORE.*

Totus hic de Extispicio locus e Patrui Œdipode expressus est, tam aperta imitatione, ut neminem qui utrumque inter se contulerit, possit latere. Lucanus.

Impatiensque diu non grati victima sacri.

Seneca.

Placidone vultu sacra et admotas manus patiuntur?

Lucanus.

Cernit tabe jecur madidum———

Seneca.

Et felle nigro tabidum spumat jecur.

Lucanus.

——— venasque minaces
Hostili de parte videt.

Seneca.

Hostile valido robore insurgit latus
Septemque venas tendit.

Lucanus.

——— pulmonis anheli
Fibra latet.

Seneca.

Cor marcet ægrum penitus ac mersum latet;
Liventque venæ: magna pars fibris abest.

Lucanus.

——— Produntque suas omenta latebras.

Pars micat, et celeri venas movet improba pulsu.
His ubi concepit magnorum fata malorum,
Exclamat: Vix fas, Superi, quæcunque monetis
Prodere me populis: neque enim tibi summe litavi,
Juppiter, hoc sacrum: cæsique in viscera tauri
Inferni venere Dei. non fanda timemus:
Sed venient majora metu. Dii visa secundent,
Et fibris sit nulla fides; sed conditor artis
Finxerit ista Tages. flexu sic omina Tuscus
Involvens, multaque tegens ambage canebat.
At Figulus, cui cura Deos, secretaque cœli

Seneca.

—— non molli ambitu
Omenta pingues visceri obtendunt sinus.

Lucanus.

Quoque, nefas, nullis impune apparuit extis,
Ecce videt capiti fibrarum increscere molem
Alterius capitis.

Seneca.

Ac semper omen unico imperio grave,
En capita paribus bina consurgunt toris.

Vides ut Patrui bona Noster in suis numeraverit; tam alti alioquin animi, ut ab alio quoquam mutuum sumere videri, noluisse videatur.

621. —— *Venasque minaces*
Hostili de parte videt.] Id hostile latus in extis Senecæ Œdipo, inimici pars Ciceroni lib. ii. de divinatione. contraria pars familiaris Ciceroni ac Livio. Grotius.

627. *Ecce videt capiti fibrarum increscere molem*
Alterius capitis:] τοῦ ἀκρωτηρίου. Est vox capitis eodem sensu apud Ciceronem secundo de divinatione, Plin. lib. ii. cap. 37. et lib. xxviii. cap. 2. Livium lib. viii. Sed nota eadem, eademque significatio in Œdipo Senecæ:

Ac semper omen unico imperio grave,
En capita paribus bina consurgunt toris.

Grotius.

630. *His ubi concepit magnorum fata malorum,*] An SIGNA malorum? an potius, HÆC ubi concepit magnorum FŒTA malorum? Certe illud *Fata malorum* non multum arridet.

637. —— *Flexu sic omina Tuscus*
Involvens, multaque tegens ambage canebat.] Tam libri omnes, quam Editiones, (exceptis Grotianis) *flexa* habent. Statius iv. Theb. 645.

———— Hæc ubi fatus
Labitur, et *flexa* dubios *ambage* relinquit.

Ita recte MS. non *Reliquit.* Seneca Œdip. 214.

Ambage flexa Delphico mos est deo
Arcana *tegere:*

Ubi vide Gronovium. FLEXU, undecumque primo venit, ideo credo receptum est, quia bina illa adjectiva totidemque participia, *Flexa, multa, involvens, tegens,* constructionem involvunt et onerant. Qui *Flexa* cum codicibus mavult, sic locum refingat,

—— *FLEXA* sic omina Tuscus
Involvens, *MULTUMQUE* tegens ambage canebat.

Sane non *multa* ambage cecinit, qui sex tantum versiculis carmen suum conclusit.

Nosse fuit, quem non stellarum Ægyptia Memphis
Æquaret visu, numerisque moventibus astra,
Aut hic errat, ait, nulla cum lege per ævum
Mundus, et incerto discurrunt sidera motu:
Aut, si fata movent, orbi, generique paratur
Humano matura lues. terræne dehiscent?
Subsidentque urbes? an tollet fervidus aër
Temperiem? segetes tellus infida negabit?
Omnis an infusis miscebitur unda venenis?

639. *At Figulus,* ——
—— *quem non stellarum Ægyptia Memphis*
Æquaret visu, numerisque moventibus astra,] Nigidius Figulus, Senator, Romanorum a Varrone doctissimus, Astrologiæ quoque peritissimus. Illud vero minus intelligo quo pacto *numeri* sive calculi, rationes Nigidianæ vel Memphiticæ *movere* astra potuerint. Fallor, an scripsit Auctor,

Numerisque *SEQUENTIBUS* astra.

Claudian. Idyll. v.

Quisquis sollicita mundum ratione *secutus*
Semina rimatur rerum, quo luna laborat
Defectu.

Statius Theb. iv. 411. de Tiresia vate,

——Ille deos non larga cæde juvencum
Non alacri penna, aut verum spirantibus extis,
Nec tripode implicito, *NUMERISQUE SEQUENTIBUS* astra,
Turea nec supra volitante altaria fumo.

Ubi Lactantius Scholiastes monet, Statium de Lucano ista mutuatum esse.

642. *Aut hic errat, ait, nulla cum lege per ævum*
Mundus,] Solus ex vetustis Harleianus, CUM. Cæteri cum plurimis recentioribus, *nulla* SINE *lege*. Quam lectionem Priscianus in suis libris reperit, mirificeque interpretatur p. 1194. Οὐδὲ τόδε ἐποίησεν, οὐδὲ (lege οὐ δὲ) τόδε οὐκ ἐποίησεν, *pro eodem ponunt Attici, ex supervacuo duplicantes abnegationem. Terentius in Phormione: non sic futurum est* (lege *Non, non sic* Phorm. ii. i. 73.) *Lucanus in Primo: Aut hic errat, ait, nulla sine lege per ævum Mundus.* Sic et ibi codex vetus Cantab. Nimirum hoc vult Priscianus, negativas binas non semper affirmare, solito Latinorum more; sed nonnunquam negare, more Attico quale hoc Terentii ex Andria potius i. 3. quam illud ex Phormione.

Neque tu haut dicas tibi non prædictum cave.

Et Plauti Bacchid. iv. 9. 114.

Neque ego haut committam.

Ubi perinde est, ac si dixissent, *Neque tu dicas; Neque ego committam.* ad hanc faciem interpretatur magnus Magister. *Sine nulla lege* idem esse ac *sine lege;* ut duæ scilicet negativæ *sine* et *nulla* fortius et strictius negent. Quanti est sapere! Enimvero *sine nullo judicio,* si ipsius more dicere licet, versatus hic est summus Grammaticus. Apage tam inficetum commentum. Neque vero ex Harleiano et vulgatis CUM, recipiemus: Sed quod facile Librarii oculos olim fefellit, s̄n pro s̄b; solito literarum compendio,

Aut hic errat, ait, nulla *SUB* lege per ævum.

Ut Georg. iv. 154. de Apibus.

Solæ communes natos, consortia tecta
Urbis habent, magnisque agitant *SUB LEGIBUS ÆVUM.*

647. —— *Segetes tellus infida negabit?*] Puteaneus TELLUSQUE. Lege,

Segetes tellusNE negabit, Omnis an infusis.

649. —— *Qua peste paratis*
Sævitiam?] Libenter velim doceri, quid sit *parare sævitiam peste:* certe

Quod cladis genus, o Superi? qua peste paratis
Sævitiam? extremi multorum tempus in unum
Convenere dies. summo si frigida cœlo
Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes:
Deucalioneos fudisset Aquarius imbres,
Totaque diffuso latuisset in æquore tellus.
Si sævum radiis Nemeæum, Phœbe, leonem
Nunc premeres, toto fluerent incendia mundo,
Succensusque suis flagrasset curribus æther.

sic potius dicerem, *Parare* PERNICIEM *vel* EXITIUM *peste.* Ita tamen ante multa sæcula legit vir sui ævi doctissimus Joannes Sarisberiensis p. 92. Neque variant Codices nostri. sic corrigendum,

> Qua peste *PIATIS*
> Sævitiam?

Hoc est, Satiatis, expletis, vindicatis. Propertius iii. 17. 17.

> Nam quid Medeæ referam, quo tempore matris
> Iram natorum cæde piavit amor.

Piavit iram cæde, ut, *Piatis sævitiam peste:*

651. —— *Summo si frigida cœlo*
Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes:
Deucalioneos fudisset Aquarius imbres,] *Stella nocens quæ summo cœlo friget,* Saturni descriptio est. Quale igitur illud est, *si illa stella,* Saturnus scilicet *accenderet nigros ignes Saturni?* Certe hanc constructionem ipse verborum ordo necessario requirit, sed si sic ordinabimus, *stella Saturni nocens frigida summo cœlo,* quid deinde? *quos nigros* ignes accendat? suos, opinor. at illi vel ab orbe condito semper accensi sunt, numquam exstincti. sic igitur legendum credo,

> Stella nocens nigros *CAPRICORNI* accenderet ignes.

Nimirum ex Astrologorum decretis, Saturnus sedem suam ac domicilium in *Capricorno* et *Aquario* habet: in illis duobus dominium et regnum obtinet, vim suam præcipue exercet. Vide Firmicum ii. 2. et alibi. Si Saturnus igitur nunc, inquit, in Capricorno esset; Aquarius, alterum ejus domicilium, diluvio rursus Deucalioneo terras obrueret. Plin. Hist. ii. 39. *Saturni maxime transitus imbribus faciunt.* Contra, si Sol, jam in Leone, (Solis scilicet domicilio) esset, totus orbis incendio flagraret. Recte etiam *nigros* Capricorni *ignes:* quippe nullam stellam habet vel primæ vel secundæ magnitudinis: unde et Arato v. 702. *niger* dicitur.

> *Αὐτῷ κυανέῳ ὑποκείμενος Αἰγοκερῆϊ.*

Hesychius. *Κυάνεος, μέλας, σκοτεινὸς; niger, tenebrosus.* Idem Festo Avieno *marcidus* est.

> Hispida setosi marcet species Capricorni.

Quam facile autem *Capcorni* (sic scribebant in linea) transire potuit in *Saturni?*

654. *Totaque diffuso latuisset in æquore tellus.*] Recte; si nusquam alio circumspectes. At altero abhinc versu iterum videbis, *Toto mundo,* vide autem quam nullo negotio suus loco nitor restituatur.

> *TECTAQUE* diffuso latuisset in æquore tellus.

655. *Si sævum radiis Nemeæum, Phœbe, leonem*
Nunc premeres,] *Sævum, Nemeæum leonem,* Accio hoc et Pacuvio dignum, non eo qui munditie et elegantia pene peccat. Vide an agnoscas Auctoris manum.

Hi cessant ignes. tu qui flagrante minacem
Scorpion incendis cauda, chelasque peruris,
Quid tantum, Gradive, paras? nam mitis in alto
Juppiter occasu premitur, Venerisque salubre
Sidus hebet, motuque celer Cyllenius hæret,
Et cœlum Mars solus habet. cur signa meatus
Deseruere suos, mundoque obscura feruntur:
Ensiferi nimium fulget latus Orionis?
Imminet armorum rabies: ferrique potestas

Si *TERGUM* radiis *NEMEÆI*, Phœbe, *LEONIS*
Nunc premeres.

Seneca Patruus. Œdip. 40.

Titan leonis terga Nemeæi premens.

Ovid. Arte i. 68.

Cum Sol Herculei terga leonis adit.

657. *Succensusque suis flagrasset curribus æther.*] Illud *suis*, omnes Viri magni editiones, insedit. Bersmannus quidem ex uno codice effert *Suis*, sed non adscivit. Reponendum cum libris nostris universis, *Tuis, o Phœbe, curribus:* æther enim non curru vehitur.

658. —— *Tu qui flagrante minacem Scorpion incendis cauda, chelasque peruris,*

—— *Gradive,*] Mars in Scorpio domicilium unum habet, alterum in Ariete. Scorpius autem olim duorum Signorum spatium in Zodiaco occupabat: unius suo corpore seu trunco, qui proprie Scorpius dicitur, alterius chelis suis sive brachiis, quæ pars nunc Virgo appellatur et pingitur. Inde est, quod totum hic Scorpium, tam corpus quam chelas, stella Martis incendat. Sed, an istud satis lepide, *Incendis et peruris?* hoccine illo majus, an minus, an prorsus idem est? Si omnia Noster sic scripsisset. facile potuerit Neronis in carminibus æmuli gladios contemnere. Sed sine dubio non ita Lucanus; sic enim levi mutatione emendemus.

—— Tu qui flagrante minacem
Scorpion incendis cauda, chelasque *PRIORES*.

Nimirum Chelæ, si ab Ariete ut solent numeres, vel si siderum ortum spectes, Scorpium præcedunt: Cicero in Phænominis

—— Tum rutilo sequitur collucens corpore Virgo
Exin projectæ claro cum lumine Chelæ,
Ipsaque *consequitur* lucens vis magna *Nepai.*

Ut autem respectu Scorpii *Chelas priores*, ita Virgilius respectu Virginis, Georg. i. 33.

Qua locus Erigonen inter *Chelasque sequentes.*

Noster ii. 691.

—— Jam cœperat ultima Virgo
Phœbum laturas ortu *præcedere* Chelas.

660. —— *Nam mitis in alto Juppiter occasu premitur,*] Colbertinus prior omnium veterrimus, *in* IMO occasu. Quod suo jure se recipi postulat. Claudian. vi. Honorii 618.

Namque velut stellas Babylonia cura salubres
Optima tunc spondet mortalibus edere fata,
Cœlicolæ cum celsa tenent, summoque feruntur
Cardine, nec radios humili statione retundunt.

662. —— *Motuque celer Cyllenius hæret,*] Sic Priscianus citat p. 760; firmantque ibi membranæ veteres Cantab. prætulerim tamen,

METAQUE celer Cyllenius hæret.

Mercurius *hæret meta*, hoc est, incipit reciprocare seu retrogradus fieri. Plinius Hist. ii. 12. *Inferiores duæ stellæ* (Venus et Mercurius) *a longissimis distantiæ suæ* METIS *Solem insequuntur.* Cicero pro

Confundet jus omne manu: scelerique nefando
Nomen erit virtus: multosque exibit in annos
Hic furor. et Superos quid prodest poscere finem?
Cum domino pax ista venit. duc, Roma, malorum
Continuam seriem: clademque in tempora multa
Extrahe, civili tantum jam libera bello
Terruerant satis hæc pavidam præsagia plebem:
Sed majora premunt. nam qualis vertice Pindi
Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo:

Cœlio c. 31. *In hoc flexu quasi ætatis fama adolescentis paulum* HÆSIT AD METAS.

663. *Et cœlum Mars solus habet.*] Cum v. 660. Martem compellet et adloquatur, *Quid tantum, Gradive, paras?* quis dubitet, quin et hic in persona secunda extulerit;

> Et cœlum Mars solus *HABES.*

Cæterum de toto hoc loco, *&c.* censet Julius Scaliger: *Figuli,* inquit, *commentatio in primo libro, tota frigida, nec Matheseos umbra digna:* nescio an menda illa gravissima, quæ corrigere noluit, hanc ei censuram expresserint, certe ut nunc se habent, frustra hæc sugillaverit. Si Saturnus Capricornum obtineret, diluviem fore, nonne hoc Astrologorum placitum est? non illud quoque, Si Sol in Leone esset, calorem fore et incendium? non si Mars solus cœlum habeat, stellis benignioribus remotis, bella fore? si Orionis ensis præter solitum fulgeat, signis aliis sub nube occultatis, pugnas et prælia suboritura? Quam ille *Matheseos umbram* vel lucem hic desideret, equidem nescio.

667. —— *Scelerique nefando*
Nomen erit virtus:] Hoc et huic adhærentia ex Seneca adumbravit, Herc. Fur. 251.

> ———— prosperum ac felix *scelus*
> *Virtus* vocatur: sontibus parent boni;
> *Jus* est in *armis,* opprimit leges timor.

671. —— *Clademque in tempora multa*
Extrahe,] Tertio ante versu habuimus *multosque exibit in annos:* ergo putide hic repetitur *Multa.* Scripsit, opinor, auctor,

> Clademque in tempora *LONGA.*

Martial. ix. 30.

> Euboicæ nondum numerabas *longa* Sibyllæ
> Tempora.

675. *Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo:*] Ita legit Servius, aitque esse συςολήν. At summæ eruditionis Salmasius in Plinianis exercitationibus vult legi *Odonis,* quia apud Periegeten Dionysium sunt ὤδονες. Grotius. Fallitur Vir magnus, cum *Periegeten Dionysium* dicit. Est alter Dionysius Bassaricorum Scriptor. Stephanus de urbibus: Ὤδονες, ἔθνος Θρᾴκης, τοῖς Μαίδοις ὅμορον. Διονύσιος ἐν Βασσαρικῶν τετάρτην καὶ δεκάτῳ,

> Μαίδων τ' ἄγρια φῦλα, καὶ Ὤδονες, ἐγχεσίπεπλοι.

Ita corrupte nunc habitur ἐγγχεσίπεπλοι. Neque vero reponendum ἑλκεσίπεπλοι, cum Salmasio ad Solinum. Unde enim Arctois et barbaris illis vestis fluxa et pretiosa? quomodo autem viri illi in veste muliebri? Notum illud Homericum,

> Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους.

Corrigendum sine dubio,

> Μαίδων τ' ἄγρια φῦλα, καὶ Ὤδονες ἐγχεσίπαλλοι.

Ne id quidem Salmasio assentior, apud Nostrum emendandum esse *Odonis,* quia *Edonis* plerumque secunda producta

Talis et attonitam rapitur matrona per urbem,
Vocibus hic prodens urgentem pectora Phœbum.
Quo feror, o Pæan? qua me super æthera raptam
Constituis terra? video Pangæa nivosis
Cana jugis, latosque Æmi sub rupe Philippos.
Quis furor hic, o Phœbe, doce: quæ tela, manusque
Romanæ miscent acies, bellumque sine hoste est?
Quo diversa feror? primos me ducis in ortus,
Qua mare Lagæi mutatur gurgite Nili.
Hunc ego, fluminea deformis truncus arena
Qui jacet, agnosco: dubiam super æquora Syrtim,

effertur. Non temere tam obscuram gentem nominasset præ illa tam celebri. Quin et Silius sic corripuit.

Edonis ut pangæa super Trieteride mota.

In externis et barbaris nominibus, et ad Græcæ linguæ paulum invertendis, non potuit una certaque esse pronunciatio. Sic Βίςονες vulgo dicti: ut iidem et Βίςωνες Apollonio Rhodio, Virgilio, et Stephano. Vide Drakenborchium ad dictum Silii locum.

681. *Quis furor hic, o Phœbe, doce: quæ tela, manusque Romanæ miscent acies,*] Multo melius in MS. P. *Quod tela.* Grotius. Melius QUOD, ut Puteaneus, quam QUÆ, ut Veneta. Sed utroque melius quod Colbertinus veterrimus multique alii, et pleræque post Romanam Editiones, QUO. Si QUOD recipis, uno colo claudenda erit sententia: Si QUO, duplici, quod commotius est et mulieri lymphatæ aptius. QUO, quare, quamobrem, quem in finem *Tela,* (pila, hastas,) *manusque* (gladios)?

686. —— *Dubiam super æquora Syrtim, Arentemque feror Libyen,*] Priscianus p. 757. *Alpis Alpem facit, ut Syrtis Syrtim: ut Lucanus in* 1. *Dubiam super æquora Syrtim.* Ita codex quoque illic Cantabrigiensis. Miseret me sane Lucani, qui vix a Nerone quicquam gravius, quam a Librariis perpessus est. Quis enim est orationi huic exitus? *Feror super æquora Syrtim,* vel *Feror super Syrtim æquora?* Utroque modo solœcissat; quod sensisse videntur, qui, ut in codicibus aliquot exstat, reposuerunt *Æquore* sed ab Auctoris manu erat,

——dubiam super *ARDUA* Syrtim.

Ubi ordo est, *Ardua feror* (casu recto) *super dubiam Syrtim arentemque Libyen, Dubia Syrtis,* absolute, ut Noster ix. 713. *Ambigua Syrtis,* Seneca Hippol. 570. *Incerta Syrtis.* Mutatio facilis et prona: nam ubi paullo ante, 678. *super æthera,* Codex Cantab. habet super *ardua*. *Super* autem hic Ἐγκλιτικῶς. Lucan. i. 397.

Castraque quæ Vogesi curvam *super ardua* rupem.

et iv. 43.

Cunctas *super ardua* turres
Eminet.

687. —— *Quo tristis Erinnys Transtulit Emathias acies.*] Bene est. non omnes omnino Librarii in Lucani perniciem conjuraverunt. Ecce enim Colbertinus prior et Puteaneus qui sic dederunt

—— quo tristis *ENYO.*

Bellonæ Græca appellatio. Statius Silv. v. 3. 179.

Talia dum celebras, subito *civilis Enyo*
Tarpeio de monte facem, Phlegræaque movit
Prælia.

Arentemque feror Libyen, quo tristis Erinnys
Transtulit Emathias acies. nunc desuper Alpis
Nubiferæ colles, atque aëriam Pyrenen
Abripimur. patriæ sedes remeamus in urbis:
Impiaque in medio peraguntur bella senatu.
Consurgunt partes iterum, tòtumque per orbem
Rursus eo. nova da mihi cernere littora ponti,
Telluremque novam: vidi jam, Phœbe, Philippos.
Hæc ait: et lasso jacuit defecta furore.

Martial. vi. 32.

Cum dubitaret adhuc *belli civilis Enyo.*

Petronius de bello civili.

Tres tulerat Fortuna duces: quos obruit omnes
Armorum strue diversa *feralis Enyo.*

Transferre acies e Thessalia in Libyam, et inde in Hispaniam, non *Erinnyos* opus erat, sed *Enyûs* bellorum præsidis.

688. —— *Nunc desuper Alpis*
Nubiferæ colles, atque aëriam Pyrenen
Abripimur.] *Desuper*, hoc est, *de superiore loco*, adverbium est, non præpositio. Qualis itaque constructio est, *Abripimur colles?* libenter legerim,

—— nunc desuper Alpis
Nubiferæ colles atque aëriam Pyrenen
ASPICIMUS.

Nempe *super æthera* vectæ summa Alpium juga desuper aspiciunt. Virgil. Æn. i. 424.

—— collem qui plurimus urbi
Imminet, adversaque *aspectat desuper* arces.

et ix. 639.

Ætheria tum forte plaga crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies urbemque *videbat.*

695. —— *Lasso jacuit defecta furore.* Ita legendum dixeramus, non *laxo* aut *lapso.* Probant quod diximus Manuscripti P. et T. Grotius.

M. ANNÆI LUCANI

P H A R S A L I Æ

LIBER SECUNDUS.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER SECUNDUS.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER SECUNDUS.

JAMQUE iræ patuere deum, manifestaque belli
Signa dedit mundus: legesque, et fœdera rerum,
Præscia monstrifero vertit natura tumultu,
Indixitque nefas. cur hanc tibi rector Olympi
Sollicitis visum mortalibus addere curam,
Noscant venturas ut dira per omina clades?
Sive parens rerum cum primum informia regna,
Materiamque rudem flamma cedente recepit,
Fixit in æternum causas, qua cuncta coërcet,
Se quoque lege tenens, et secula jussa ferentem
Fatorum immoto divisit limite mundum:
Sive nihil positum est, sed fors incerta vagatur,
Fertque refertque vices, et habent mortalia casum:

4. *INDIXITQUE nefas.*] Verbum Feciale. Grotius. *Indixit,* hoc est, denunciavit. Seneca Œdip. 17.

——— hoc me Delphicæ laurus monent,
Aliudque nobis majus *indicant* scelus.

Ubi vide Gronovium.

10. *Se quoque lege tenens,*] Sic et de Deo Seneca: *Ille ipse omnium conditor ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur. Semper paret, semel jussit:* ex stoicorum sententia. Idem alibi: *Ordinem rerum fati æterna series rotat, cujus hæc prima lex est, stare decreto.* Grotius.

Ibid. —— *Et secula jussa ferentem Fatorum immoto divisit limite mundum:*] Quid est, *divisit mundum?* a quo, vel inter quos? lego,

Fatorum immoto *DESCRIPSIT* limite mundum.

Discpsit, mutatum est in *Divisit.*

13. —— *Et habent mortalia casum:*] Æqua fere codicum pars CASUS. unde sponte nascitur et emergit sincerior lectio,

——— et *HABET* mortalia *CASUS.*

Sit subitum quodcunque paras: sit cæca futuri
Mens hominum fati: liceat sperare timenti.
Ergo ubi concipiunt quantis sit cladibus Urbi
Constatura fides Superum, ferale per urbem
Justitium: latuit plebeio tectus amictu
Omnis honos: nullos comitata est purpura fasces.
Tum questus tenuere suos, magnusque per omnes
Erravit sine voce dolor. sic funere primo

Si Fors vagatur, et *Casus* habet, possidet, regit, gubernat res mortalium, hoc certe amplius est, quam si *mortalia habent casum*, admittant recipiant, Noster vii. 487.

——— regit omnia Casus.

Seneca Epist. xvi. *Quid mihi prodest philosophia, si Fatum est? quid prodest, si Casus imperat?* et mox: *sivi* Casus *res humanas sine ordine impellit et jactat.*

14. —— *Sit cæca futuri*
Mens hominum fati: liceat sperare timenti.] *Cæca* quidem *fati* recte dicitur, ut Silius ii. 206. de Therone.

Hæc *cæcus fati*, divumque abeunte favore.

Sed evolve totam orationis seriem, et mirabere tam absurdam sententiam tam diu aut placere aut latere potuisse. *sive*, inquit, *Fato fiunt omnia, seu Fors et Casus omnia versat; sit mens hominum cæca* FATI *futuri.* Ergo sive *Fatum* est, sive *nullum est Fatum;* precatur, ut *Fati futuri* incerti ignarique simus. Sic ergo locum constituo,

——— sit cæca futuri
Mens hominum: *SALTEM* liceat sperare timenti.

Futuri, absolute, ut jamprimum illud *Fati*, quod omnia conturbabat, auferatur. *Metuens futuri, pavidus futuri, incauta futuri; spes, cura, caligo futuri.* Claudian. ii. Eutrop. 545.

——— prò *cæca futuri*
Gaudia!

et Proserp. 138.

——— raptusque timens (heu cæca futuri)
Commendat Siculis furtim sua gaudia terris.

Saltem autem, quod plerique codices *Saltim*, facile immutatum; *fati, salti. Saltem sperare liceat;* ut Noster i. 522.

——— tum ne qua futuri
Spes saltem trepidas mentes levet.

16. —— *Quantis sit cladibus Urbi*
Constatura fides Superum,] Proximo statim versu, *Ferale per urbem* sequitur, repone ergo cum majore Codicum numero et Veneta, ORBI.

17. —— *Ferale per urbem*
Justitium: latuit plebeio tectus amictu
Omnis honos:] Præ nimio carpendi studio, et prava distinctione deceptus jocularem hic in errorem incidit Scaliger. *Justitium*, inquit, *latuit? immo patuit.* Jus *enim latet in justitio; quippe in bello.* Atqui *latuit honos*, non *latuit Justitium.* Et sic interpungunt omnes, quod sciam, Editi. Cæterum illud *Nullos comitata est purpura fasces*, locus Plinii commode enarrat, Hist. ix. 60. *Huic* (purpuræ) *fasces securesque Romanæ viam faciunt.* Imitatus est Statius Silv. i. 2.

Omnis honos: cuncti veniunt ad limina fasces.

21. —— *Sic funere primo*
Attonitæ tacuere domus,] Ridiculum hoc est, *Funere primo;* nam tantum abest, ut funus inceptum sit, ut ægrotus nondum mortuus sit; metus jam parentis sit, non dolor. longe elegantius est, quod dedit Lucanus,

——— Sic *VULNERE* primo
Attonitæ tacuere domus:

Primo vulnere, figurate, primo pavore et

Attonitæ tacuere domus, cum corpora nondum
Conclamata jacent, nec mater crine soluto
Exigit ad sævos famulorum brachia planctus:
Sed cum membra premit fugiente rigentia vita,
Vultusque exanimes, oculosque in morte jacentes;
Necdum est ille dolor, sed jam metus: incubat amens,
Miraturque malum. Cultus matrona priores
Deposuit: mœstæque tenent delubra catervæ.

consternatione, Tacitus, Agric. 28. *Initio æstatis Agricola*, domestico vulnere *ictus, anno ante natum filium amisit*. Statius Silv. i. 1. 18. in re simili.

> Sed cum plaga recens, et adhuc in *VULNERE PRIMO*.
> Nigra domus questu.

Noster viii. 72.

> Nobile cur robur, Fortunæ in *VULNERE PRIMO*,
> Frangis?

Iterum Statius Theb. v. 602. Hypsipyle, cum primum conspicit puerum Ophelten a dracone oblisum et peremptum

> —— terræque inlisa nocenti
> Fulminis in morem, non verba in *VULNERE PRIMO*
> Non lacrimas habet: ingeminat misera oscula tantum
> Incumbens.

Sic et ibi corrigendum; nunc enim fertur, ut hic, *Funere primo*. Absurde, cum libro demum proximo Opheltæ funus celebretur.

22. —— *Cum corpora nondum Conclamata jacent*,] Conclamari solebat ubi ad vitalia lavanda deventum erat. Hinc res perditæ, conclamatæ. Servius ad 11 Æneidos. Grotius.

24. *Exigit ad sævos famulorum brachia planctus:*] Vide, ut ex levi occasione late diffundantur errores. Bersmanni editio sola, Typothetæ credo incuria, *Famulorum*. Hanc secutus Vir magnus omnes suas hac labe maculavit. Libri enim Scripti editique *Famularum*. Matri enim familias hic sexus convenit; *Ancillæ*, non Servi.

26. —— *Oculosque in morte jacentes;*] Ita manuscripti, non *minaces*, quod huic loco minime convenit. Grotius. Nostri universi cum editis MINACES; quod profecto *minime loco convenit*, malim NATANTES. Ovid. Metam. v. 71.

> Jam moriens *oculis* sub nocte *natantibus* atra.

Virgil. Georg. iv. 496.

> Fata vocant, conditque *natantia lumina* somnus.

Auctor ad Liviam v. 93.

> *Lumina* cærulea jam jamque *natantia morte*.

Statius Theb. xi. 558.

> Cerno graves *oculos atque ora natantia leto*.

Statius Theb. ii. 638.

> Ille *oculos* etiamnum in luce *natantes*
> Sistit.

Ut ubique passim.

27. *Necdum est ille dolor, sed jam metus:*] Arguta sententia, quæ multis suo jure placuit, Valer. Flacc. i. 327.

> Sin aliud Fortuna parat; miserere parentum,
> Mors bona, *dum metus est, nec adhuc dolor*.

Ovid. Heroid. xv.

> Denique non *timui*, quod *dolitura* fui.

Seneca Thyest. 967.

> *Dolor*, an *metus* est? an habet lacrimas
> Magna voluptas.

et Troad. 618.

> Magis hæc *timet*, quam *mœret*.

Hæ lacrymis sparsere Deos, hæ pectora duro
Afflixere solo: lacerasque in limine sacro
Attonitæ fudere comas: votisque vocari
Assuetas crebris feriunt ululatibus aures.
Nec cunctæ summi templo jacuere Tonantis:
Divisere deos: et nullis defuit aris
Invidiam factura parens: quarum una madentes
Scissa genas, planctu liventes atra lacertos,
Nunc, ait, o miseræ contundite pectora matres,
Nunc laniate comas, neve hunc differte dolorem,
Et summis servate malis: nunc flere potestas
Dum pendet fortuna ducum: cum vicerit alter,

31. —— *Lacerasque in limine sacro Attonitæ fudere comas:*] Minus placet illud *Attonitæ*, decimo abhinc versu jam habuimus *Attonitæ tacuere domus*, neque tam propinquum hunc eodem verbo inchoasset. deinde si *Attonitæ* sunt; non *lacerant funduntque comas;* sed stupent, torpent, nihil agunt. Denique, versus abhinc alter sic se habet,

Nec cunctæ summi templo jacuere Tonantis.

Vel quod concinnius et numerosius, *Nec cunctæ* IN *summi, &c.* ut Codex Trin. Si *non cunctæ* in Jovis templo erant; id certo indicio est, dictum esse hic antea, *nonnullas* in id templum convenisse: Atqui, ut nunc est, nulla prius hic mentio fit vel Jovis, vel templi Tonantis. Ex his vestigiis, tenuibus quidem, aliquid investigandum est, idque sic restituo,

—— lacerasque in limine sacro
ANTE JOVEM fudere comas.

In æde Capitolina comas fuderunt *ante Jovis simulacrum;* nec tamen ibi *cunctæ;* sed *divisere deos*, aliæ alios adierunt, ut nullum in tota Urbe templum a lugentibus supplicibusque vacuum esset. *Attonite, Ateiove.* ANTE in hoc negotio verbum receptissimum. Propertius iv. 1. 133.

Matris et *ante deos* libera sumta toga.

Propertius ii. 8. 25.

Ut caput in magnis ubi non est tangere stagnis,
Ponitur hic imos *ante* corona *pedes*.

Tibullus iv. 6. de Junonis ara.

Staret et ante tuos conspicienda focos.

Propertius ii. 21. 45.

Ante tuosque *pedes* illa ipsa adoperta sedebit.

Claudian. i. Proserp. 49. de Parcis et Plutone:

Ante pedes soliumque ducis *fudere* severam
Canitiem.

Ubi vides locum integrum, velut ex nostro expressum: *Fudere comas ante Jovem, Fudere canitiem ante pedes et solium Plutonis.* Cæsar Bello Civ. ii. 5. *Ut omnes templa deorum immortalium adirent, et* ante simulacra *projecti victoriam ab diis exposcerent.* Si adhuc dubitas, et ipsa verba totidem literis apponi tibi postulas, Ecce tibi Statius Theb. v. 276.

—— nec dictis, supplex quæ plurima *FUDI*
ANTE JOVEM frustra, lacrimis avertere luctus.
Contigit.

36. *Invidiam factura parens:*] Invidiam facere est in odium adducere: sic lib. ix.

Pompeio contigit ignis
Invidia majore deum.

Tertullianus de jejuniis: *Apud quasdam*

Gaudendum est. his se stimulis dolor ipse lacessit.
Nec non bella, viri, diversaque castra petentes
Effundunt justas in numina sæva querelas.
O miseræ sortis, quod non in Punica nati
Tempora Cannarum fuimus, Trebiæque, juventus.
Non pacem petimus, Superi: date gentibus iras:
Nunc urbes excite feras: conjuret in arma
Mundus: Achæmeniis decurrant Medica Susis
Agmina: Massagetas Scythicus non alliget Ister:
Fundat ab extremo flavos Aquilone Suëvos
Albis, et indomitum Rheni caput: omnibus hostes
Reddite nos populis: civile avertite bellum:

vero colonias præterea annuo ritu saxis velati, et cinere conspersi idolis suis invidiam supplicem objiciunt. Grotius.

37. —— *Planctu liventes atra lacertos,*] *Altra liventes,* δεινότης poëtica verba propinqua geminare. Stat. Silv. ii. 6. 82.

—————— non sævius atros
Nigrasset planctu genetrix tibi sæva lacertos.

39. —— *Neve hunc differte dolorem,*
Et summis servate malis:] Bersmanni codex, NEC *summis.* Eodem redeunt quoad sensum, sed negandi particula clariorem efficit. Scripsit, opinor, auctor

—— neve hunc differte dolorem
NEU summis servate malis.

Horat.

Neve minor, *neu* sit quinto productior actu
Fabula.

45. *O miseræ sortis,*] Locus satis sanus. nihilo tamen minus Poëtam sic dedisse credo, eleganti Hellenismo, O MISERI *Sortis,* ὦ δειλοὶ τῆς τύχης, ὦ ἄθλιοι τῦ δαίμονος. Plin. in Panegyrico: *Sic olim Servitus pulsa privata fastis nomina induxit.* MISERRIMOS AMBITIONIS, *qui ita Consules semper, ut semper principes erant.* Statius Theb. iv. 403.

Ah miseri morum; bellatis sanguine tanto.

45. —— *Quod non in Punica nati*
Tempora Cannarum fuimus, Trebiæque, juventus.] Tolle pravam distinctionem; non enim *tempora Cannarum,* sed *juventus Cannarum.* Servius ad Æneid. vii. 711. *Mutuscæ; hæc Trebia postea dicta est. quam modo Tribulam dicunt. Lucanus: Cannarum fuimus* Trebiæque *Juventus.* Vides Servium recte hæc accepisse. Corrigendum tamen adhuc, *TrebiæVE.* non enim eadem juventus bis occidi potuit.

50. —— *Massagetas*] Codices pene omnes, cum Romana et Veneta, *Massageten.*

51. *Fundat ab extremo flavos Aquilone Suëvos*
Albis, et indomitum Rheni caput:] *Errat,* inquit, Scaliger pater: *nam Suëvi Rheno propriores: extremi namque eam ad partem Germanorum sunt. Albim vero mediam secare Germaniam, et scriptum est ab Auctoribus, et nomen ipsum id indicat: quippe ea vox Medium significat.* Ærugo hæc mera est, lædere quoquo modo volentis. Tacitus de Germ. 41. *In Hermanduris Albis oritur, flumen inclytum.* At ii Hermanduri ut pars, et gens Suevorum Tacito dicuntur. Ibidem 38. *Suevorum non una Gens; majorem enim partem Germaniæ obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti; quamquam in communi Suevi vocentur.* Atqui si

Hinc Dacus premat, inde Getes: occurrat Iberis
Alter: ad Eoas hic vertat signa pharetras.
Nulla vacet tibi, Roma, manus. vel perdere nomen
Si placet Hesperium, Superi, collapsus in ignes
Plurimus ad terram per fulmina decidat æther.
Sæve parens, utrasque simul partesque ducesque,
Dum nondum meruere, feri. tantone novorum
Proventu scelerum quærunt, uter imperet Urbi?
Vix tanti fuerat civilia bella moveri,
Ut neuter. Tales pietas peritura querelas

majorem partem obtinebant, *mediam* sive *Albin obtinuerint necesse est.*

54. *Hinc Dacus premat, inde Getes:*] Insigne mendum in his latitat. Dixerat Poëta, *Omnibus hostes reddite nos populis; civile avertite bellum.* Post Parthos, Massagetas, Suëvos, generatim dicit *omnes populos*, ibique clausulam orationi ponit; *Bellum modo civile, o Superi avertite.* Unde ergo denuo orditur speciatim gentes numerare? *Hinc Dacus, inde Getes nos premat.* Jam autem illa quæ sequuntur proprius intuere. *Hinc Dacus, inde Getes, premat* (Romanos) *alter* (ex ducibus Romanis) *occurrat Hispanis, hic occurrat Parthis.* Concedamus jam ut *Alter* distributionem illam recte inchoare possit: si *duo* tantum duces Hispanis et Parthis occurrant, quis occurret *Daco* et *Getæ?* quis *Massagetæ?* quis *omnibus populis* et *mundo in arma conjurato?* Actum erit de re Romana, nisi melius subveniatur. Quid multis opus?

HIC DACOS premat, *ILLE GETAS:* occurrat Iberis
Alter: ad Eoas hic vertat signa pharetras.

Quattuor jam duces et exercitus habes; ab omni telluris parte cautum est, ab ortu, ab occasu, ab arcto: nam ab austro mare defendit: quam recte nunc inferat, *Nulla vacet tibi, Roma manus:* quod si *duos* tantum nomines, inepte subtexitur.

57. —— *Collapsus in ignes*
Plurimus ad terram per fulmina decidat æther.] Languidum et enerve est illud *Collapsus.* Scripsit Auctor,

COLLISUS in ignes.

Nempe æthere seu aëre colliso fulmen fieri tum putabatur. Seneca patruus Nat. Quæst. i. 1. *Äëre vehementius trito, nascuntur Trabes et Globi et Faces et Ardores: at cum levius* COLLISUS *est, minora lumina excutiuntur.* et mox, *Nubes mediocriter* COLLISÆ *fulgurationes efficiunt,* &c. et iterum, *Sereno quoque cælo aliquando tonat, ex eadem causa qua nubilo,* AERE *inter se* COLLISO. Recteque hic Bersmanni unus codex AER, non *Æther.*

59. *Sæve parens, utrasque simul partesque ducesque,*
Dum nondum meruere, feri.] Nimis febriculose, *sæve parens:* neque enim *parens* absolute *Jovem* denotet; neque recte hic *sævus* dicitur, quem ipsi vindicem et ultorem precantur, scribe modica mutatione,

SUMME parens, *UTROSQUE* simul, partesque ducesque.

Virg. Æn. i. 665.

Nate, *patris Summi* qui tela Typhoëa temnis.

Silius xvii. 476.

—— *summique* labat domus alta *parentis.*

Cum autem *Partes ducesque* nominet; necesse est ut scripserit non *Utrasque* sed ut Bersmannianus habet, UTROSQUE,

Egerit: at miseros angit sua cura parentes,
Oderuntque gravis vivacia fata senectæ,
Servatosque iterum bellis civilibus annos.
Atque aliquis magno quærens exempla timori,
Non alios, inquit, motus tunc fata parabant,
Cum post Teutonicos victor, Libycosque triumphos
Exul limosa Marius caput abdidit ulva.
Stagna avidi texere soli, laxæque paludes
Depositum Fortuna tuum: mox vincula ferri
Exedere senem, longusque in carcere pædor.

dignius enim genus ad se adjectivum trahit.

60. —— *Tantone novorum Proventu scelerum quærunt, uter imperet Urbi?*] Seneca Epist. xv. *Hæc omnia passi sunt pro regno (quo magis mireris) alieno.* Grotius. Advertes; ubi res, quæcumque sit, prius descripta est, tum recte per Epiphonema addi *tantone:* sed in re non prius descripta, *Quanto* melius convenire. Quam ob rem hic repono

> —— *QUANTONE* novorum
> Proventu scelerum quærunt uter imperet *ORBI.*

lib. x. 99. Quantosne *tumores*

> Mente gerit famulus?

Veteres nostri quattuor *Orbi.* Horat. ii. Serm. iii. 317.

> —— illa rogare, Quantane.

Noster ii. 321. de Pompeio,

> —— nec si fortuna favebit
> Hunc quoque *totius* sibi jus promittere mundi
> Non bene compertum est.

66. *Servatosque iterum bellis civilibus annos.*] Quarto abhinc versu vidimus *civilia bella;* tædet tam propinque cernere, *Bellis civilibus.* quare libenter legerim *Feralibus,* vel *Furialibus:* quo utroque modo alibi de his bellis loquitur.

69. *Cum post Teutonicos victor, Libycosque triumphos*] Vide modo constructionem: Cum Marius *victor exul* abdidit caput. Lucano hoc abjudicare et justum et promtum est: sed non æque facile, quod ille scripserit, conjectura assequi. In codicibus nullum auxilium, ex quibus aliquot inepte habent *Victos.* Satis ad sensum faceret *Actos,* vel *Ductos triumphos:* sed tot homœoteleuta non in unum versum conclusisset. Nihil mihi probabilius succurrit, quam

> Cum post Teutonicos *DEMUM* Libycosque triumphos.

Virgil. x. 849.

> —— heu nunc misero mihi *demum*
> Exilium infelix.

71. *Stagna avidi texere soli,*] *Uvidi* est in MS. P. unde recte emendavi.

> Stagni udi texere soli.

Sic lib. iii.

> Et qua Pomtinas via dividit uda paludes.

Grotius. Sic quoque castigat Nic. Heinsius ad Silii x. 462. de Clœlii equo,

> Hinc rapidum glomerans cursum per lubrica pingui
> Stante cruore soli et mulctata cadavera cæde
> Evolat.

Sed et post Heinsii pumicem, scaber adhuc locus est, Silioque indignus. Vide an ipse rem acu tetigerim,

> Hinc rapidum glomerans cursum, per lubrica *PINGUIS*
> Stante cruore soli et *CUMULATA* cadavera *CÆDI*
> Evolat.

Per lubrica soli, pinguis stante cruore.

Consul, et eversa felix moriturus in urbe
Pœnas ante dabat scelerum. mors ipsa refugit
Sæpe virum, frustraque hosti est concessa potestas
Sanguinis invisi. primo qui cædis in ictu
Diriguit, ferrumque manu torpente remisit;
Viderat immensam tenebroso in carcere lucem,
Terribilesque Deos scelerum: Mariumque futurum:
Audieratque pavens: Non hæc contingere fas est
Colla tibi: debet multas hic legibus ævi
Ante suam, mortes: vanum depone furorem.
Si libet ulcisci deletæ funera gentis,

Virg. *Per lubrica surgens.* Stante cruore, ut Lucanus, *Stat cruor in templis.* Cumulos autem, acervos cædis, passim. Cæterum in Lucano præter Puteaneum Harleianus *Uvidi;* Arundelianus pro varia lectione *Humidi.* mihi vero placet *Avidi,* vel translationis virtute, quasi solum sit hauriendi et absorbendi cupidum.

75. —— *Mors ipsa refugit*
Sæpe virum, frustraque hosti est concessa potestas] Tolle *est* omnium autoritate. Sed illud jam respice, SÆPE, inquit, *Ipsa mors, virum* refugit; cum semel tantum mors eum refugerit, ipso mox narrante quando Cimber exclamabat, *Non possum C. Marium occidere.* Restituo,

Mors ipsa refugit *NEMPE* virum.

Noster v. 775.

Vivam tibi *nempe* superstes.

Horat. Epist. i. 9.

Nempe inter varias nutritur Sylva Columnas.

Ea hujus vocabuli vis est, ut prius dictorum rationem reddat: Quomodo pœnas scelerum ante dabat? Nempe mors ipsa refugit virum; noluit illum suis miseriis eximere ac liberare. Denique id tecum reputa, quod statim additur, *Frustraque.* si *frustra* dixisset, omisso *Que;* potuit hoc unum exemplum videri, ex pluribus quæ *sæpe* acciderant: cum vero *Que* addat; demonstrat non *sæpe* illud, sed semel factum; idque ipsum esse quod hic narratur.

77. —— *Primo qui cædis in ictu*
Diriguit,] Cur PRIMO ictu? quasi non uno ictu conficere potuerit, neque necesse fuerit repetisse, cur ICTU? non enim ictum intentabat; sed in ipso carceris introitu consternatus est ille Cimber. Colbertinus veterrimus habet.

Primo qui cædis in *ACTU.*

Noster viii. 668.

———— nam sævus in ipso
Septimius sceleris majus scelus invenit *ACTU.*

80. *Terribilesque Deos scelerum: Mariumque futurum:*] Quinto ante versu, in eadem quoque cæsura, habuimus,

Pœnas ante dabat *scelerum.*

De hac historia Livius pudenter et modeste; *Missus,* ait, *ad occidendum Marium servus, natione Gallus, majestate tanti viri perterritus recessit.* et Valerius etiam Maximus, *Marium ex eo discrimine beneficio Majestatis emersisse; et servum claritate viri occæcatum, abjecto ferro, attonitum inde ac trementem fugisse,* nec aliter Paterculus. Appianus vero et Plutarchus mirificii aliquid aspergunt, oculos scilicet Marii magnam ignis flammæque vim effundere visos; et ingentem ex carcere vocem intonuisse, Tune audes, homo, C. Marium occidere! Uterque melius quam Noster, ut nunc fertur, *Dei* enim illi

Hunc, Cimbri, servate senem. non ille favore
Numinis, ingenti Superum protectus ab ira,
Vir ferus, et Romam cupienti perdere fato
Sufficiens. idem pelago delatus iniquo
Hostilem in terram, vacuisque mapalibus actus,
Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthæ,
Et Pœnos pressit cineres. solatia fati
Carthago, Mariusque tulit: pariterque jacentes
Ignovere deis. Libycas ibi colligit iras.
Ut primum fortuna redit, servilia solvit
Agmina: conflato sævas ergastula ferro

scelerum nullum hic locum habent: autorem scripsisse credo

Terribilesque *DEUM FACIES*, Mariumque futurum.

Æneid. ii. 623.

Apparent *diræ facies*, inimicaque Trojæ
Numina magna *deum*.

Scelerum scribitur cum apice *Scelm*.

85. ——— *Non ille favore Numinis, ingenti Superum protectus ab ira*,] Malueram, *at ira*, ut plena esset oppositio. Sed *ab ira* citat Servius ad ii. Æn. et explicat *voluntate numinum illis propitia, sed in nos iniqua*. Grotius. In Editione Secunda, *At ira*, in tertia, abjecit; Servii auctoritate commotus. illud interim certum est, post *Non*, particulam aliquam adversativam desiderari. nescio an hoc magis arrideat

——— non ille favore
Numinis, ingenti *VERUM* protectus ab ira.

Numinis et *Superum* bis idem dicunt.

90. *Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthæ*,] An tanto post tempore, adhuc *Nuda?* an omnes Mauri occidione occisi erant? Quid autem est *Jacuit per regna?* *Per regna* verbum Motus sibi jungi postulat, *Jacuit* est Quietis. Quis umquam duo talia connexuit? Quid quod iterum redeat versu post altero, *Pariterque jacentes?* Vide an utrique vulneri veram medicinam fecerim,

NOTA triumphati *CALCAVIT* regna Jugurthæ.

Ideo *Nota* Mario, quia bello Jugurthino legatus et dux peragraverat. Noster ix. 605.

Et plaga, quam nullam Superi mortalibus ultra
A medio fecere die *calcatur*.

Claud. vi. Honor. 275.

Heu regio funesta Getis! heu *terra* sinistris
Auguriis *calcata* mihi.

93. —— *Libycas ibi colligit iras*.] Colligere iram, recte dictum, ut supra i. 207.

Subsidit dubius, totam dum *colligit iram*.

Martial. Spectac. xxvii.

Seque diu magnæ colligit ira feræ.

Sed libenter scire velim quales sint istæ *Libycæ iræ*. *Libycas* tamen recte se habet, et illud *Iras* iratis Musis se in textum intulit. Restituo,

Libycas ibi colligit *ALAS*.

Alæ, ut nosti, Equitum sunt, et quod amplius est, Auxiliarium: Romanorum erant *Turmæ*: *Libycas* ergo *alas* recte, et ex historia. Plutarchus in Mario: Παραλαβὼν, inquit, ἐκ τῆς Λιβύης Μαυρουσίους τινὰς ἱππότας καὶ τῶν ἀπὸ τῆς Ἰταλίας τινὰς καταφερομένων, συν ἀμφοτέρους οὐ πλείονας χιλίων γενομένους, μεθ' ὧν ἀνήχθη. *Accipiens Marius e Libya equites aliquot Mauros, et quosdam ex illis qui ex Italia appellebant, utrosque non amplius mille, Italiam illa*

Exeruere manus. nulli gestanda dabantur
Signa ducis, nisi qui scelerum jam fecerat usum,
Attuleratque in castra nefas. pro fata! quis ille,
Quis fuit ille dies, Marius quo mœnia victor
Corripuit? quantoque gradu mors sæva cucurrit?
Nobilitas cum plebe perit: lateque vagatur
Ensis: et a nullo revocatum est pectore ferrum.
Stat cruor in templis: multaque rubentia cæde
Lubrica saxa madent. nulli sua profuit ætas.
Non senis extremum piguit vergentibus annis
Præcipitasse diem: nec primo in limine vitæ
Infantis miseri nascentia rumpere fata.
Crimine quo parvi cædem potuere mereri?

classe petebat. Hos e Libya Mauros equites, *Libycas alas* Noster hic appellat. Claud. ii. Rufin. 108.

Illic *Armeniæ* vibratis crinibus *alæ.*

et ii. Eutrop. 175.

Geticæ dux improbus *alæ.*

Colligit autem alas, ut *colligere exercitum, copias, milites*, passim.

98. —— *Pro fata! quis ille,*
Quis fuit ille dies,] Geminatio mirifice affectum auget.

101. —— *Lateque vagatur*
Ensis: et a nullo revocatum est pectore ferrum.] Melius tres nostri vetustissimi,

—— lateque *VAGATUS*
Ensis, et a nullo revocatum pectore ferrum.

Est, non agnoscunt.

105. *Non senis extremum piguit vergentibus annis*
Præcipitasse diem:] Harleianus, Trin. Colbertinus prior et a prima manu Secundus PRÆCEPISSE *diem;* ut perinde sit ac *prævertisse*, vulgatum facile tueri potest, verum prætulerim *Præcepisse.* Statius Theb. viii. 328.

—— celeres neu *præcipe Parcas.*

109. —— *Trahit ipse furoris*
Impetus:] *Impetus furoris* quos vero trahit? an *parvos* sive infantes, de quibus proxime egit? Certe dictum oportuit, quos trahat. Ut i. 491.

Quo quemque fugæ tulit impetus.

Virg.

—— Huc impetus illam
Detulerat fixam.

Quare codicis Coll. Trinitatis lectio mirifice arridet,

—— Trahit ipse *FUROREM* Impetus.

Crescit ipso impetu, dum in cursu est furor. Seneca Troad. 283.

Tenebræque, per quas *ipse se irritat furor.*

Medea, 671.

Immane quantum augescit, et *semet dolor*
Accendit ipse.

Auctor Herc. Œt. 721.

Hic ipse fraudes esse præmonuit *dolus.*

Ita Codex Florentinus egregie; non *Deus*, qui hic nullus est. Ipse dolus tam apertus, præmonuit fraudes ibi esse.

110. —— *Et, visum est lenti, quæsisse nocentem.*] Libri nostri cum Romana universi repudiant *est.*

115. —— *Mortis nova signa*] Si vultum avertisset Marius, si non resalutasset, si manum ad osculandum prensatam retraxisset, Hæc σύμβολα, ut ait Plutar-

Sed satis est jam posse mori. trahit ipse furoris
Impetus: et, visum est lenti, quæsisse nocentem.
In numerum pars magna perit: rapuitque cruentus
Victor ab ignota vultus cervice recisos,
Dum vacua pudet ire manu. spes una salutis
Oscula pollutæ fixisse trementia dextræ.
Mille licet gladii mortis nova signa sequantur,
Degener o populus, vix secula longa decorum
Sic meruisse viris, nedum breve dedecus ævi,
Et vitam, dum Sylla redit. cui funera vulgi
Flere vacet? vix te sparsum per viscera, Bæbi,
Innumeras inter carpentis membra coronæ
Discessisse manus: aut te præsage malorum,
Antoni, cujus laceris pendentia canis

cbus, *signa* erant Satellitibus statim quemvis occidendi.

119. —— *Vix te sparsum per viscera, Bæbi,*
Innumeras inter carpentis membra coronæ
Discessisse manus:] Bæbiorum unus a Sullanis laceratus est: alter a Marianis interfectus, non laceratus. itaque confunduntur duæ historiæ. Grotius. Placet omnino, et verissima est sagacissimi Heinsii conjectura, DISPERIISSE, quam ipse firmat ex Juvenalis iii.

Obtritum vulgi *PERIT* omne cadaver.

Et Claudiani ii. Rufin. 416. ubi emendationem hanc promit,

——— consumto funere vix tum
Deseritur, sparsumque *PERIT* per tela cadaver.

Sparsum cadaver perit, ut hic *Sparsum Bæbium disperiisse.* Quid vero, sparsum *Per tela* sibi velit, non satis capio. Solum enim caput telo suffixum est, et sic gestatum esse mox ipse narrat. Reponerem libens

——— sparsumque perit per *FRUSTA* cadaver.

Per *Frusta* est frustillatim, sic ut *per viscera* est visceratim. Atreus apud Senecam, Thyest. 1059.

——— artus, corpora exanima amputans,
In parva carpsi frusta.

Juvenalis xvi.

——— ast illum in plurima sectum
Frusta et particulas, ut multis mortuus unus
Sufficeret.

Prudent. Psychom. 721.

Carpitur innumeris feralis bestia *dextris*,
Frustatim sibi quisque rapit, quod spargat in auras.

Ubi tot verba cum hoc Nostri loco concurrunt; ut plane expressisse eum Prudentius videatur. Collige igitur ex his, *Per frusta* apud Claudianum, idem fore atque hic *Per viscera*, vel apud Senecam, Medea 47. *vulnera, et cædem, et vagum funus* PER ARTUS. id est, artuatim, articulatim; et *Frustulatim*, per frusta. Plautus Curcul. iv. 4.

Jam ego te faciam ut hic formicæ frustillatim differant.

121. *Discessisse manus :*] Ita posuimus pro discerpsisse, et postulat sensus. ita Cic. Off. iii. *cum terra discessisset.* Infra l. iii.

Discessit medium tam vastos pectus ad ictus.

Ora ferens miles festæ rorantia mensæ
Imposuit. truncos laceravit Fimbria Crassos.
Sæva Tribunitio maduerunt robora tabo.
Te quoque neglectum violatæ, Scævola, dextræ
Ante ipsum penetrale Deæ, semperque calentes
Mactavere focos: parvum sed fessa senectus

Confirmat hanc nostram emendationem MS. P. Grotius.

122. *Antoni, cujus laceris pendentia canis*
Ora ferens miles] *Laceris canis;* Cur ergo iterum altero versu, *Truncos laceravit Fimbria Crassos,* utrum mendosum est? prius illud, opinor. sic repono,

Antoni, cujus *SACRIS* pendentia canis
Ora.

Nihil verius, nihil Antonio Senatus principe dignius. Noster viii. 371.

Credite grandævum, vetitumque ætate *Senatum*
Arma sequi, *SACROS* pedibus prosternere *CANOS.*

123. *Ora ferens miles festæ rorantia mensæ*
Imposuit.] Valerius Maximus de crudelitate C. Marii: *Idem caput M. Antonii abscissum lætis manibus inter epulas per summam animi ac verborum insolentiam aliquamdiu tenuit.* Grotius.

124. ——— *Truncos laceravit Fimbria Crassos.*] Livius in Epitome lxxx. *Crassus filius ab equitibus Fimbriæ interemtus: Pater Crassus, nequid indignum sua virtute pateretur, gladio se transfixit.* Florus tamen cum Nostro consensit, iii. 21. *Trucidantur Crassi, Pater et Filius, in mutuo alter alterius aspectu.*

125. *Sæva Tribunitio maduerunt robora tabo.*] Quænam, rogo, sunt SÆVA illa robora? Alii, in quibus Magnus Lipsius est, ad Tacit. iv. 19. *Locum in carcere* intelligunt, *de quo damnati præcipitabantur.* Perperam. Neque enim is locus *Robora*, sed numero singulari *Robur* vel Robus semper appellatur; neque vero tam lente Mariani agebant, ut carcere iis opus esset; in mediis viis, in foro, in templis contrucidabant. Alii *Rostra* hic accipiunt: et recte: sed quare igitur SÆVA? restituo,

SANCTA Tribunitio maduerunt robora tabo.

Hoc scilicet indignissimum erat, Tribunos, ipsos quoque sacro sanctos, in *Rostris,* loco sancto, ubi jus et regnum habebant, jugulatos. Livius viii. 14. *Naves Antiatium incensæ, rostrisque earum Suggestum in Foro extructum adornari placuit.* ROSTRAQUE *id* TEMPLUM *appellatum.* Cicero in Vatinium, c. 10. *Cum L. Vettium indicem in* ROSTRIS, *in illo, inquam,* AUGURATO TEMPLO *ac* LOCO *collocaris. Sancta* ergo *robora* periphrasi justissima dicuntur *Rostra.* Ovid. Fast. i. 609.

SANCTA vocant augusta patres: augusta vocantur
TEMPLA, sacerdotum rite dicata manu.

126. *Te quoque neglectum violatæ, Scævola, dextræ*
Ante ipsum penetrale Deæ, semperque calentes
Mactavere focos:] Immo *violentæ*, Marii scilicet. Neglectum vero, quia dextram Scævolæ osculandam Marius non dederat. nam supra habuimus:

——————— spes una salutis
Oscula pollutæ fixisse trementia dextræ.

Apud Florum locus similis: *Ancharius ipso vidente Mario confossus est, quia fatalem scilicet illam manum non porrexerat salutanti.* Plutarchus Mario: ὅσους ἀσπασαμένους μὴ προσηγόρευσε, μηδὲ ἀντησπάσατο. τοῦτο αὐτὸ σύμβολον ἦν ἀποσφάττειν εὐθὺς ἐν ταῖς ὁδοῖς. Augustinus de civitate Dei iii. 27. *In ipsius Marii oculis continuo feriebantur, quibus salutantibus dexteram*

Sanguinis effudit jugulo, flammisque pepercit.
Septimus hæc sequitur, repetitis fascibus, annus:
Ille fuit vitæ Mario modus, omnia passo,
Quæ pejor fortuna potest, atque omnibus uso,
Quæ melior: mensoque, homini quid fata pararent.
Jam quot apud Sacri cecidere cadavera portum?

porrigere noluisset. Grotius. Omnino vitiosum est illud DEXTRÆ; non enim a Mario patre, cujus *dextra* osculanda erat, sed a Filio post patris obitum occisus est Scævola. Livius Epitome lxxx. *C. Marius editis multis sceleribus, Idibus Januarii decessit.* At Libro demum lxxxvi. *Damasippus prætor, ex voluntate C. Marii Consulis omnem quæ in urbe erat nobilitatem trucidavit; Ex cujus numero Q. Mucius Scævola, Pontifex Maximus, fugiens, in vestibulo ædis Vestæ occisus est.* Livio fere consentiunt Appianus et Paterculus, Marius pater mortuus est, A. U. C. DCLXVIII. Marius filius Consul fuit DCLXXII. Sed et illud, obsecro, paulum inspice, *Ante ipsum penetrale* DEÆ. cujus, quæso, DEÆ? prius significatum oportuit, verum ipsam Lucani manum agnosce,

Te quoque neglectum violatæ, Scævola, *VESTÆ*,
Ante ipsum penetrale deæ semperque calentes
Mactavere focos.

Vestæ violatæ, a Marianis militibus, qui Scævolam Pontificem Maximum ante ipsos ejus focos trucidarunt, Scævola *neglectus* Vestæ, quippe quæ Sacerdotem suum non protexerit. Noster x. 177.

O sacris devote senex, quodque arguit ætas,
Non *neglecte deis.*

Quid jam videtur? Nondum mihi credis sic a Lucano profectum? Crede igitur codici Harleiano, qui clare habet *Vestæ;* crede Arundeliano, qui *Dextræ* quidem in linea, sed superne pro varia lectione *Vestæ.*

128. —— *Parvum sed fessa senectus Sanguinis effudit jugulo,*] *Parvum Sanguinis.* Sermo parum usitatus. veteres quatuor *Parum* contra metrum, unus ex recentioribus, pro varia lectione *Paucum.* Scripsit, opinor, Poëta PAULUM *Sanguinis:* ut Horat. Serm. ii. 6. 3.

Et *Paulum* silvæ super his foret.

Terentius, *Paulum obsoni.*

130. *Septimus hæc sequitur, repetitis fascibus, annus:*] Codices aliquot vetusti *Exequitur*, recentior unus *Insequitur:* et sane *Annus insequens* passim occurrit; *Annus insequitur* nescio an usquam. Quintilianus tamen, Instit. iv. 2. *Audistis quæ ante acta sunt; accipite nunc quæ insequuntur.* Codex Bersmanni *Hic sequitur.* Lego

Septimus *HINC* sequitur, repetitis fascibus, annus.

133. —— *Mensoque, homini quid fata pararent.*] Emendo ex consensu Manuscriptorum,

—— mensoque hominis quid fata paterent:

id est, menso experimentis vitæ, quæ summa esset fatorum distantia a maxima felicitate ad maximam miseriam. Grotius. Recte restituit, HOMINIS et PATERENT: Restat tamen paululum quid, adhuc emendandum.

Mensoque hominis *QUOD* fata paterent.

Quod paterent, id est: *Quantum*, vel *Quicquid paterent.* Noster ix. 420.

—— Libycæ quod fertile terræ est,
Vergit in occasum.

Claudian. Gildon. 159.

—— privato jure tenetur
Exigui specie fundi, *QUOD* Nilus et Atlas
DISSIDET: occiduis *QUOD* Gadibus arida
Barce,

Aut Collina tulit stratas quot porta catervas,
Tunc cum pene caput mundi, rerumque potestas
Mutavit tralata locum, Romanaque Samnis
Ultra Caudinas speravit vulnera Furcas?
Sylla quoque immensis accessit cladibus ultor.
Ille quod exiguum restabat sanguinis Urbi
Hausit; dumque nimis jam putrida membra recidit,
Excessit medicina modum, nimiumque secuta est,
Qua morbi duxere, manus. periere nocentes;
Sed cum jam soli possent superesse nocentes.
Tunc data libertas odiis, resolutaque legum
Frænis ira ruit, non uni cuncta dabantur,
Sed fecit sibi quisque nefas. semel omnia victor
Jusserat. infandum domini per viscera ferrum

> *QUODQUE* Paraetonio *SECEDIT* litore Ganges,
> Hoc sibi transcripsit proprium.

Vides eandem sermonis formam: *Mensus est, quod fata hominis patent; Tenetur, quod Nilus et Atlas dissidet; Transcripsit, quod Barce Gadibus secedit,* Quod si adhuc dubitas; respice ad hoc ipsius Lucani ix. 6.

> Quodque *PATET*, terras inter lunæque meatus.

et iii. 294.

> *QUICQUID* ab occiduis Libye *PATET* arida Mauris.

Sed in Claudiano insedit gravissimum mendum; nempe hoc queritur, Gildonem totam Africam possidere, ab occasu ad ortum usque, ab Atlante ad Nilum. Tribus hanc eandem rem sententiis exaggerare studet. Fidem vero vestram, Historici! si quantum a Gadibus Barce, et quod Ganges a Paraetonio secedit, unus Gildo tenuit, non Africam modo, sed et totam Asiam sub juge habuit. Ulcus vides, ecce medicinam:

> Quodque Paraetonio secedit ab *ÆQUORE TINGIS.*

Tingis, Τίγγις, hodie *Tangier*, prope fretum Herculeum.

134. *Jam quot apud Sacri cecidere cadavera portum?*] Videndi de hac connexisque rebus Appianus bello civili, Velleius, Plutarchus C. Mario, Florus, Breviator Livii, et scriptor de viris Illustribus in Mario. Grotius. Quale vero illud *cecidere cadavera?* An prius isti cadavera erant, quam caderent? dederat auctor

> Jam quot apud Sacri *JACUERE* cadavera Portum?

Noster vii. 597.

> ——————— Jacet aggere magno
> Patricium campis, non mixta plebe, cadaver.

137. —— *Romanaque Samnis Ultra Caudinas speravit vulnera Furcas?*] Samnites pertinacissimi adversus Sullam Romæ arma admoverunt, majus malum Romanis illaturos se sperantes quam ad Furculas Caudinas olim intulerant. Vide Strabonem l. v. Frequens poëtis populi nomen unitatis numero ponere. Alioqui si unus hic intelligendus esset, non is esset Damasippus, ut vult manuscriptus Scholiastes, sed Pontius Telesinus dux Samnitium eo bello, cujus hoc dictum nobis servavit Velleius, nunquam defuturos raptores Italicæ Libertatis lupos, nisi silva,

Exegit famulus: nati maduere paterno
Sanguine. certatum est, cui cervix cæsa parentis
Cederet: in fratrum ceciderunt præmia fratres.
Busta repleta fuga, permistaque viva sepultis
Corpora: nec populum latebræ cepere ferarum.
Hic laqueo fauces, elisaque guttura fregit:
Hic se præcipiti jaculatus pondere dura
Dissiluit percussus humo: mortesque cruento
Victori rapuere suas: hic robora busti
Extruit ipse sui, necdum omni sanguine fuso
Desilit in flammas, et, dum licet, occupat ignes,
Colla ducum pilo trepidam gestata per urbem,
Et medio congesta foro: cognoscitur illic
Quicquid ubique latet scelerum. non Thracia tantum

in quam refugere solerent, esset excisa. Grotius.

141. —— *Dumque nimis jam putrida membra recidit,*] Colbertinus prior, Harleianus, Puteaneus, Regius PUTRIA. Sed illud vide. *Dum nimis recidit, Medicina excessit modum.* bis inepte dicitur, quod semel tantum in posteriore colo, dici debebat. adde huc, quod hoc versu *Nimis* est, et sequente *Nimium*, sine controversia dederat Auctor,

Dumque *ENSIS* jam putria membra recidit
Excessit medicina modum; nimiumque secuta est,
Qua morbi duxere manus.

Ovid. Metam. i.

———— sed non medicabile vulnus
Ense recidendum est; ne pars sincera trahatur.

142. *Excessit medicina modum,*] Hinc illud Claudiani ad Adrianum: *Excessit jam pœna modum.* de eodem hoc Sylla, Seneca dixerat: *Ingratus L. Sylla, qui patriam durioribus remediis, quam pericula erant, sanavit.*

Ibidem. —— *Nimiumque secuta est, Qua morbi duxere, manus.*] Contra quam mos peritis medicis. Claudianus bello Getico:

Cautius ingentes morbos et proxima cordi
Viscera Pæoniæ tractat sollertia curæ,
Parcendoque secat, ferro ne longius acto
Irrevocandus eat sectis vitalibus error. *Grotius.*

146. —— *Non uni cuncta dabantur, Sed fecit sibi quisque nefas.*] Hoc non ceperunt interpretes. Non uni, ait, Syllæ dabantur cunctæ cædes, non in unius Syllæ gratiam aut commodum fiebant: sed *sibi quisque* nefas fecit; privatis suis simultatibus, cæde inimicorum; vel lucris, cæde cognatorum, sub illa proscriptionis specie velificatus est.

148. —— *Domini per viscera ferrum Exegit famulus:*] *Exegit ferrum,* unde Seneca Medea 126.

Utinam esset illi frater! est conjunx: in hanc
Ferrum exigatur.

Unde corrigendus in Troasi locus, v. 1155.

Ut dextra ferrum penitus *exactum* abdidit.

Exactum ferrum, non, ut nunc fertur, *Exacta dextra.*

161. —— *Cognoscitur illic Quicquid ubique latet scelerum.*] Colbertini duo, Harleianus, cum aliis bene multis et Editione Romana *Jacet.* Idem de suis prædicant Pulmannus Bersmannusque. Alii pares fere numero,

Vidit Bistonii stabulis pendere tyranni,
Postibus Antæi Libye: nec Græcia mœrens
Tot laceros artus Pisæa flevit in aula.
Cum jam tabe fluunt, confusaque tempore multo
Amisere notas, miserorum dextra parentum
Colligit, et pavido subducit cognita furto.
Meque ipsum memini cæsi deformia fratris

cum Puteaneo, *Latet.* Cæterum omnes Editiones prava distinctione peccant. non enim *Quicquid scelerum* voluit Lucanus; sed *Quicquid latet*, nempe capitum. Tum autem in altero colo *Tantum*, ut nunc est per se positum, plane friget. Immo *Tantum scelerum* non vidit Thracia. Sed perpende illud diligentius: nam ubicumque distinguas; seu post *Latet*, sive post *Scelerum;* aut expressum habebis, aut saltem subintellectum, *Tantum scelerum.* An igitur *Scelera* pendebant in Diomedeis Stabulis? Minime, sed ut mox de Antæo et Œnomao, *Ora, Vultus, Capita.* Repone igitur et distingue:

——— cognoscitur illic,
Quicquid ubique latet. *CAPITUM* non Thracia tantum
Vidit Bistonii stabulis pendere Tyranni.

Val. Flaccus iv. 183. de re simili:

Ossaque tetra situ et *Capitum* mœstissimus ordo,

In foro cognoscitur, quod alibi latet, quippe jussum erat a Sylla, ut capita omnium proscriptorum in forum comportarentur, ab ipso coram recognoscenda, et pœna in occultantes constituta. Val. Maximus ix. 2. *Id quoque inexplebilis feritatis indicium est: abscissa miserorum capita, modo non vultum et spiritum retinentia, in conspectum suum afferri voluit, ut oculis illa, quia ore nefas erat, manderet.* Dio Cocceianus in Excerptis, p. 662. Πάντων τῶν σφαζομένων ὅπου δ' ἂν κεφαλαὶ εἰς τὴν τῶν Ῥωμαίων ἀγορὰν ἐκομίζοντο καὶ ἐπὶ τοῦ βήματος ἐξετίθεντο. Capita ait cæsorum ὅπου δ' ἂν, *ubicumque* (*quicquid ubique latet*) in forum pro rostris delata.

164. —— *Nec Græcia mœrens Tot laceros artus Pisæa flevit in aula.*] *Laceros artus* post versus undecim iterum habemus,

Cum *laceros artus* æquataque vulnera membris

Certissimum mendi signum. Præterea, ut jam dixi, *Capita* tantum foribus affigebantur, non *artus*, seu tota corpora. Restituo,

Tot laceros *VULTUS* Pisæa flevit in aula.

ut supra v. 112. Ab ignota *Vultus* cervice. Ovid. Heroid. ix. 89. de Thrace Diomede

Non tibi Threiciis adfixa penatibus *ora*,
Non hominum pingues cæde tacentur equæ.

De Œnomao, Hyginus lxxxiv. *Mutis interfectis novissime Pelops Tantali filius cum venisset, et* CAPITA *humana super valvas fixa vidisset, pœnitere eum cœpit.* De Caco, Virgilius viii. 197.

Cæde tepebat humus, floribusque adfixa superbis
Ora virum tristi pendebant pallida tabo.

Ubi obiter reponendum *Squallida.* Quomodo enim *Pallida tabo*, quod ipsum nigrum est? ut ix. 472.

——— Simul *ora* virum præfixa movebant,
Nota nimis miseris, *atroque fluentia tabo.*

Denique de Antæo Pindarus Isthmiorum iv. Καὶ τοί ποτ' ΑΝΤΑΙΟΥ δόμους Πυροπαλαίσων ἦλθ' ἀνὴρ τὰν πυροφόρον Λιβύαν ΚΡΑΝΙΟΙΣ ὄφρα ξείνων Ναὸν Ποσειδάωνος ἐρέφοντα σχέθοι Υἱὸς Ἀλκμήνας. *Ibat*, inquit, *Hercules Libyam, ut Antæum, Neptuni templum hospitum* capitibus *tegentem, cohiberet*, ubi Scholiastes annotat, *de Diomede Thrace*

Ora rogo cupidum, vetitisque imponere flammis,
Omnia Syllanæ lustrasse cadavera pacis:
Perque omnes truncos, cum qua cervice recisum
Conveniat, quæsisse caput. Quid sanguine manes
Placatos Catuli referam? cui victima tristes
Inferias Marius, forsan nolentibus umbris,
Pendit, inexpleto non fanda piacula busto:

plures idem dicere; De Eveno, Bacchylidem; de Œnomao, Sophoclem. Evicimus igitur, tot testibus, et *Vultus*, non *Artus*; et *Capitum*, non *Scelerum* reponi oportere. Nondum tamen datum est manum de hac tabula tollere: Quippe non modo *laceros artus*, sed ne laceros quidem tam brevi tempore bis dixisset: neque sane ullo hic epitheto opus est; satis per se apparet, *vultus* illos abscissos fuisse, cum *mœrens* dicat et *flevit*, et post Diomedem et Antæum hoc inferat. vix aliter auctorem scripsisse credam, quam,

Tot *PROCERUM VULTUS* Pisæa flevit in aula.

Omnes enim, qui cum Œnomao pro filiæ nuptiis certabant, proceres suarum civitatum, principumque filii erant. Et inde constat ratio, cur tota Græcia *fleret et mœreret;* non ob quorumvis, Sed ob tot nobilium juvenum mortes.

167. —— *Miserorum dextra parentum Collegit,*] Ride illam *dextram parentum.* Num omnes isti parentes *una* tantum dextra hic utebantur? Saltem *dextræ* dictum oportuit. cur autem non et *Sinistra?* Certe, quia *furto hæc* acta narrat, *furtifica* illa *læva* magno hic usui fuisset. Denique *sua* modo dextra, nulla familiarium opera hic utebantur parentes; quorum aliquot decrepiti, aliquot morbo detenti, omnes mœrore et metu pene confecti? Gratia vero codici Harleiano hic habenda est, qui solus Lucani manum servat,

—— Miserorum *CURA* parentum
Colligit, et pavido subducit cognita furto.

Ut supra v. 64.

—— At miseros angit sua *cura* parentes.

172. —— *Cum qua cervice recisum Conveniat, quæsisse caput.*] Bersmanni Codex, RESECTUM; Harleianus REVULSUM. Recte: quippe supra, v. 112. habuimus *Cervice recisos.* Noster vii. 12.

Quantum pro Cæsaris ipse
Avulsa cervice daret.

Et x. 100.

—— Magni *cervice revulsa.*

174. —— *Cui victima tristes Inferias Marius, forsan nolentibus umbris, Pendit,*] Nam Marium filium quidem non a famulo in id rogato sed a dispositis in hoc hostibus interemtum narrant. vide Velleium. Grotius. Non de Caio Mario filio hic agitur, alius Marius quærendus est, *Marcus* scilicet *Marius Gratidianus*, Marci Gratidii Oratoris filius vel Marii illius magni vii Cos. per adoptionem frater, Tullii Ciceronis propinquus, vir Prætorius. vide Ciceronem De Offic. iii. 16. et 20. in Bruto cap. 45. De Legibus iii. 16. Is miserrimam hanc lanienam ex invidiosa illa et fatali adoptione lucratus est: de qua Livius Epitome lxxxviii. *Sylla Marium Senatorii ordinis virum, cruribus brachiisque fractis, auribus præsectis, et oculis effossis, necavit.* Florus iii. 21. *Sylla Marium, ducis ipsius fratrem, apud Catuli sepulcrum oculis, manibus, cruribusque defossis* (emendant Desectis, mallem Avolsis, vel Recisis,) *Servatum aliquamdiu ut per singula membra moreretur.* Valer. Maximus ix. 2. *Quam porro crudeliter Sylla se in*

Cum laceros artus, æquataque vulnera membris
Vidimus, et toto quamvis in corpore cæso
Nil animæ letale datum, moremque nefandæ
Dirum sævitiæ, pereuntis parcere morti.
Avulsæ cecidere manus, exectaque lingua
Palpitat, et muto vacuum ferit aëra motu.
Hic aures, alius spiramina naris aduncæ
Amputat: ille cavis evolvit sedibus orbes,
Ultimaque effodit spectatis lumina membris.
Vix erit ulla fides, tam sævi criminis unum
Tot pœnas cepisse caput. sic mole ruinæ

Marco Mario prætorio gessit! quem per ora vulgi ad Sepulcrum Lutatiæ gentis pertractum, non prius vita privavit, quam oculos infelicis erueret, et singulas corporis partes confringeret. vix mihi veri similia narrare videor. Julius Firmicus i. 3. *Prætorio viro, minori scilicet Mario, qui judicio omnium bene meritus de republica videbatur, Syllana jussione, elisa sunt prius crura; deinde dejecta de statu corporis brachia humerum tenus dissoluta ceciderunt; tertio amputata lingua vocem reliquit in faucibus; ad postremum omni corporis parte mutilata, oculi qui fuerant spectatores, et superstites, eguntur: et in tam angusto corpore tot sunt inventa supplicia; ut vix anima tantis vulneribus erogata sit; cum hinc inde membris fluentibus, minutatim spiritus carperetur.* Porro hujus crudelitatis Syllanæ minister et carnifex Catilina erat. Vide etiam Plutarchum in Sylla. Asconius Pedianus in orationem De toga candida. *Marci Marii Gratidiani, summe popularis hominis, qui ob id bis Prætor fuit, caput abscissum per urbem sua manu Catilina tulerat: fuerat vero hic Gratidianus arta necessitudine Ciceroni conjunctus.* Et ibidem. *Dicit Cicero Catalinam M. Marii Gratidiani caput gestasse, quod caput tum plenum animæ et spiritus ad Syllam usque ab Janiculo ad ædem Apollinis (quæ est inter Forum olitorium et Circum Flaminium) manibus tuis ipse detulit.* Vide Cic. de Pet. Consulatus. c. 3. Hæc præter morem meum huc congessi, quod viginti de Mario isto Lucani versibus commentarii loco sint.

Ibidem.] Multa hic peccantur, tam prava distinctione, quam mendosa lectione. Locus sic constituendus est.

> *CUM* victima tristes
> Inferias Marius (forsan nolentibus umbris)
> Pendit inexpleto, *MISERANDA* piacula, busto.

CUM, omnes nostri cum Romana et Veneta: Recte, ut mox in repetitione, *Cum laceros artus. non fanda* piacula ferri non possunt; cum tertio abhinc versu NEFANDÆ, habeamus, nfanda misanda compendiose. Silius i. 182. in re simili, omnibusque tormentorum generibus,

> Hace inter spretæ miseranda *piacula* pœnæ.

Inexpleto autem, inexplebili, insatiabili. *Busto* autem Q. Lutatii.

181. *Avulsæ cecidere manus, exectaque lingua*
Palpitat, et muto vacuum ferit aëra motu.] *Avulsæ manus*; vides recte in Floro emendatum, *Manibus cruribusque* AVOLSIS (sic enim codices vetusti) non DEFOSSIS: *Manus avulsæ* CECIDERE: cum dixit, *linguam exsectam palpitare*

Fracta sub ingenti miscentur pondere membra:
Nec magis informes veniunt ad littora trunci,
Qui medio periere freto. quid perdere fructum
Juvit, et, ut vilem, Marii confundere vultum?
Ut scelus hoc Syllæ, cædesque ostensa placeret,
Agnoscendus erat. Vidit Fortuna colonos
Prænestina suos cunctos simul ense recisos,
Unius populum pereuntem tempore mortis.
Tunc flos Hesperiæ, Latii jam sola juventus,
Concidit, et miseræ maculavit ovilia Romæ.
Tot simul infesto juvenes occumbere leto,

adhuc, et mutas loquelas agitare; simile quid sine dubio de *manibus* dixerat,

Avulsæ *MICUERE* manus

Scelestus est in manes Lucani, qui sic eum scripsisse inficias ire ausit. Virgil. x. 395.

Te decisa suum, Laride, dextera quærit:
Semianimesque *micant digiti*, ferrumque retractant.

185. *Ultimaque effodit spectatis lumina membris.*] Non placet EFFODIT, quod si ut cætera propinqua *Palpitat, ferit, amputat,* præsentis est temporis, in metrum peccat. Restitue

Ultimaque *EFFUNDIT* spectatis lumina membris.

Ita Colbertinus secundus, Puteaneus, Harleianus. *Effundit* humo scilicet; *Effodit* enim jam dictum erat in isto, *Cavis evolvit sedibus orbes.* Noster vii. 305.

Et caput hoc positum Rostris, *effusaque membra.*

Virgil. xi. 485.

Frange manu telum Phrygii prædonis, et ipsum.
Pronum sterne solo, portisque *effunde* sub altis.

186. *Vix erit ulla fides, tam sævi criminis unum*
Tot pœnas cepisse caput.] Val. Flaccus supra: *Vix mihi veri similia narrare videor.* Sed tolle pravam distinctionem, quæ editionibus insedit; non enim *pœnas criminis* conjungendum, sed *Fides criminis.*

Vix erit ulla fides tam sævi criminis.

194. —— *Cunctos simul ense recisos,*] Fuit hæc nostra conjectura, pro *receptos.* sed tutius manuscriptos sequi, qui habent, *recepto,* id est in corpora admisso. Grotius.

197. —— *Et miseræ maculavit ovilia Romæ.*] Ita vocabantur septa in Campo Martio. vide Servium ad Ecl. 11. Grotius.

198. *Tot simul infesto juvenes occumbere leto,*] Non memini quicquam inaudivisse de *Leto infesto:* mihi plane persuasum est, sic dedisse auctorem:

Tot simul *INLATO* juvenes occumbere leto.

Inferre *mortem, necem,* passim habes. Illata autem mors est, violenta, non naturalis, Tacitus Annal. i. 6. *Neque* mortem *nepoti pro securitate privigni* inlatam, *credibile erat.* Et ii. 68. *Unde major fides, conscientia sceleris et metu indicii,* mortem *Vononi* inlatam. Ordo est, *Tot juvenes occumbere leto simul inlato.* Inlato leto, ut mox Inmissa morte, v. 202.

—— exangues *inmissa morte* catervas.

199. *Sæpe fames, pelagique furor, subitæque ruinæ,*
Aut cæli, terræque lues, aut bellica clades,] Ex nostris solus Puteaneus habet *Cædes,* idque perperam; cum tertio abhinc versu iteretur. Cæterum *Que,*

Sæpe fames, pelagique furor, subitæque ruinæ,
Aut cæli, terræque lues, aut bellica clades,
Numquam pœna fuit. densi vix agmina vulgi
Inter et exangues immissa morte catervas
Victores movere manus. vix cæde peracta
Procumbunt, dubiaque labant cervice: sed illos
Magna premit strages: peraguntque cadavera partem
Cædis: viva graves elidunt corpora trunci.
Intrepidus tanti sedit securus ab alto

quod sæpe fit, bis terve pro *Ve* hic ponitur: quod et sententia ipsa monstrat, et *Aut* bis interpositum. Quin et *Terræ cælique* habent codices plerique, veteres certe omnes: Lege igitur et distingue,

> Sæpe fames, pelagi *VE* furor subitæ *VE* ruinæ,
> Aut *TERRÆ CÆLIVE* lues, aut bellica clades.

Furor pelagi ruinæve subitæ, Genitivo singulari.

200. —— *Aut bellica clades,*] *Cædes* habent manuscripti duo. Grotius.

201. *Numquam pœna fuit.*] Tot hominum mors morbis aliisve malis ἐπιδημικοῖς antehac forte imputata est, at non suppliciis. Seneca lib. ii. de ira: *In singulos severitas Imperatoris destringitur: at necessaria est venia, ubi totus deseruit exercitus, quid tollit iram sapientis? Turba peccantum.* Alioqui, ut Sallustius ait, civitas vastatur magis quam corrigitur. Grotius.

203. *Victores movere manus. vix cæde peracta*] Indignor hos carnifices VICTORES appellari; qui cives undecumque inermes, et in angustum conclusos, post fidem datam, contrucidaverunt. Pauci latrones talem cædem vel multorum millium peragere possent; unde mox eleganter, ut omnia, Noster,

> Tot millia vulgi
> Non piguit jussisse mori.

Non *occidi* dixit, sed *mori,* LICTORES libenter reponam; *Satellites, Percussores.* Cæterum in sequentibus,

> ——— *VIX* cæde peracta
> Procumbunt dubiaque labant cervice: sed illos
> Magna premit strages,

illud *Vix* totam orationem conturbat. Si enim cæsi *vix* procumbunt, quomodo trunci eorum vivos obruunt et elidunt? Deinde quænam ista est tam putida repetitio, *Cæde peracta,* et continuo *Peragunt cædis partem?* Quid quod *procumbunt* et *labant* de vulneratis dictum est: at *cæde peracta* non de vulneratis, sed de vulnerantibus? Virg. ix. 242.

> Mox hic cum spoliis, *ingenti cæda peracta.*
> Adfore cernetis.

Quid hic agendum? vide, an Sententiæ filum secuti ex his erroribus evaserimus,

> *HI* cæde *PEREMTI*
> Procumbunt, dubia *VE* labant cervice; sed illos
> Magna premit Strages, peraguntque cadavera partem
> *CLADIS:* viva graves elidunt corpora trunci.

Peremti cæde, ut Virg. ix. 453.

> ——— Rhamnete reperto
> Exsangui, et primis una tot *cæde peremtis:*

Dubiave autem, non *Dubiaque.* Si enim procumbunt, jam serum nimis est *labare,* prius labant, et tum postea procumbunt. Ex patruo hoc sumsit, Agamem. 786.

> Quid ista vates, corpore effusa ac tremens
> *Dubia labat cervice?* famuli, attollite.

Cladis etiam, non *Cædis;* ne eadem vox tam cito recurrat. Denique HI non *Vix,* vel Antetheti ratione postulante, Hi jugu-

Spectator sceleris: miseri tot millia vulgi
Non piguit jussisse mori. congesta recepit
Omnia Tyrrhenus Syllana cadavera gurges.
In fluvium prima cecidere, in corpora summi.
Præcipites hæsere rates, et strage cruenta
Interruptus aquis fluxit prior amnis in æquor,
Ad molem stetit unda sequens: nam sanguinis alti
Vis sibi fecit iter, campumque effusa per omnem,
Præcipitique ruens Tyberina ad flumina rivo

lantur et cadunt, Sed *illos* cadentium strages mole sua obruit.

207. *Intrepidus tanti sedit securus ab alto*

Spectator sceleris:] *Intrepidus securus*, geminum sine copula adjectivum, numquam posuisset auctor. Promta vera emendatio foret, vel sine auxilio codicum quam tamen Bersmanni unus conservavit,

Intrepidus tanti *QUE SEDET* securus ab alto
Spectator sceleris.

Colbertinus etiam secundus SEDET, sed omisso QUE. *Sedet*, tempore præsenti; ut illa vicina, *Premit*, *Peragunt*, *Elidunt*.

212. *Præcipites hæsere rates, et strage cruenta*

Interruptus aquis fluxit prior amnis in æquor,] Colbertinus prior cum tribus Pulmanni AQUÆ et a prima manu Harleianus. Bersmanni codex PRO STRAGE, et INTERRUPIT AQUAS. Sane hic locus crucem interpretibus fixit. Quid enim RATES hic faciunt? quis illis in hac sententia locus. Jam vero quot vocabula putidissime repetita? *Præcipites* hic, et quarto post versu *Præcipiti*, hic *Hæsere*, et quinto deinde *Hærentes*. Hic *strage*, et septimo ante *strages*. Quam stulte autem CRUENTA strage INTERRUPTUS? cum mox non modo non interruperit amnem cruor, sed interruptum et *hærentem adjuverit* atque impulerit. Quod a nostro mutuatus est Claudianus iii. Honor. 100.

——— et frigidus amnis
Mutatis fumavit aquis; turbaque cadentum
Staret, ni rapidus Juvisset flumina sanguis.

Laterem lavet, qui tot maculas eluere conetur; sane, Interpolator aliquis, uti mihi videtur, jam a multis sæculis toto hoc Lucanum versu donavit, Nimirum *Interrupit aquas* in codice suo legebat, pro compendioso illo *interrupt*; quod est *interruptus*. Deesse ergo sententiæ quid existimans, nothum illud inseruit, quo sublato, locum jam videbis sanissimum.

In fluvium primi cecidere, in corpora summi.
[*Præcipites hæsere rates et strage cruenta*]
Interruptus aquas fluxit prior amnis in æquor
Ad molem stetit unda sequens.

Interruptus aquas, tritissimo Hellenismo; id est, *Habens aquas interruptas*.

214. —— *Nam sanguinis alti*

Vis sibi fecit iter,] Puto pro *nam*, scribi *dum* debere. stetit flumen obsessum cadaveribus, donec sanguinis rivi viam fecere. Grotius. *Nam* procul dubio mendosum est. Nec tamen cum viro magno *Dum* reposuerim. Quid? an unda hærens stetit, opperiens, expectans, deliberans *Dum* sanguis influeret? Unicum in hujus modi sententia vocabulum est *Cum*.

Ad molem stetit unda sequens *cum* sanguinis alti
Vis sibi fecit iter.

215. —— *Campumque effusa per omnem,*] Colbertinus secundus QUÆ, Nimirum quod Poëta dedit, hoc est,

——— cum sanguinis alti
Vis sibi fecit iter: Campum *QUÆ FUSA* per omnem.

Hærentes adjuvit aquas: nec jam alveus amnem,
Nec retinent ripæ, redeuntque cadavera campo.
Tandem Tyrrhenas vix eluctatus in undas
Sanguine cæruleum torrenti dividit æquor.
His ne, Salus rerum, Felix his Sylla vocari,
His meruit tumulum medio sibi tollere Campo?
Hæc rursus patienda manent: hoc ordine belli
Ibitur: hic stabit civilibus exitus armis.
Quamquam agitant graviora metus, multoque coitur

216. *Præcipitique ruens Tyberina ad flumina rivo*] Omnes omnium Codices cum Romana et Veneta, IN *flumina.* Quis primus interpolaverit, nescio, certe *In flumina;* neque enim *adjuvaret*, si *Ad fluvium* tantummodo.

218. —— *Redeuntque cadavera campo.*] MS. P. *redditque.* recte. ut ad amnem referatur, ut et quod sequitur verbum *dividit.* Solenne autem Lucano est *que* ponere pro *sed,* et tacite transire de casu in casum. Sensus ergo est: Amnem non retinent aut alveus aut ripæ, sed ipse exundans campo reddit cadavera, et mare dividit sanguine. Grotius. Non Puteaneus tantum, sed Colbertini duo, Harleianus, Regius cum aliis, et Editione Romana, *Reddit,* Cæteri *reddunt.* nullus ut nunc fertur *Redeunt.* Omnino recipiendum *Redditque. Nec alveus, nec ripæ retinent amnem; sed* (amnis) *reddit cadavera campo.* Nisi sic legas, versus sequens solœcisset: *Vix eluctatus,* quis, nisi *amnis?* Silius x. 321.

Sanguineus tumidas in campos Aufidus undas
Ejectat, *redditque* furens sua *corpora* ripis.

Que, quod est *Sed,* Lucano familiare.

221. *His ne, Salus rerum, Felix his Sylla vocari,*] Valer. Max. ix. 2. de Sylla, *En quibus actis Felicis cognomen assequendum putavit!* Rerum Salus; nempe quod se *Rempublicam constituere* diceret. Martialis ii. 91.

Rerum certa *salus,* terrarum gloria, Cæsar.

225. *Quamquam agitant graviora metus, multoque coitur*
Humani generis majore in prælia damno.] Quid hoc est, *metus agitant graviora?* nulla sana his verbis subest sententia. Scripsit auctor,

Quamquam *ADERUNT* graviora *METU.*

Aderunt, hoc est, *venient,* ut i. 635.

———— non fanda timemus;
Sed *venient majora metu.*

Seneca Hippol. 1034.

—— litori invexit malum *majus timore:*

Silius V. 348.

Utque metum leti procul, et *leviora pavore*
Cognovit.

Illud vero, quod sequitur, quam diu jam cubuit, et quousque in mendo cubabit? Priscianus p. 798. *Passivo verbi Coëo usus est Lucanus in* ii. *Multumque coitur Humani generis majori in prælia damno. sed sciendum, quod Coitur pro Colligitur, et Convenitur pro Exigitur, passivam vocem assumentia accipiuntur.* Sic ibi et Codex Cantab. nisi quod, *Majore.* Apparet Summum Magistrum sic verba construxisse: *Multum humani generis coitur* (sive colligitur) *in prælia majore damno:* Sane codices plerique etiamnum habent MULTUM cum Romana ac Veneta: Colbertinus tamen prior et Puteaneus MULTO; quod et nos, pace Prisciani, amplectemur. nunquam enim fidem nobis faciet, *Coitur* passive posse sumi

Humani generis majore in prælia damno.
Exulibus Mariis bellorum maxima merces
Roma recepta fuit: nec plus victoria Syllæ
Præstitit, invisas penitus quam tollere partes.
Hos alio, Fortuna, vocas: olimque potentes
Concurrunt. neuter civilia bella moveret,
Contentus, quo Sylla fuit. Sic mœsta senectus
Præteritique memor flebat, metuensque futuri.
At non magnanimi percussit pectora Bruti

pro *Colligitur*. Lege vero, non verbis modo legitimis, sed sententia erectiore:

Quamquam *ADERUNT* graviora *METU;* multoque coitur
Humani generis *MAJORA* in prælia damno.

Ubi ordo est: *coiturque* (coëunt homines; impersonale) *in majora prælia* (quam Marii et Syllæ erant) *multo damno humani generis:* vel, si mavis sic: *coiturque in multo majora prælia, damno humani generis.* Cæterum adeo in promtu est *Majora* substituere; ut jam olim in Pulmanni Editione compareat. Silius i. 272.

Bellaque sumta viro *belli majoris* amore,

Et xv. 492.

majora petuntur
Rursus *bella* retro.

Illud vero vii. 498. ex hoc ipso loco sumtum videatur,

——et ut parvo *MAJORA* ad *PRÆLIA DAMNO*
Eliceret, dabat interdum simulantia terga.

229. —— *Invisas penitus quam tollere partes.*] Scio, quo modo ex persona Syllæ explicari possit INVISAS *partes*, prætulerim tamen,

ADVERSAS penitus quam tollere partes.

quoniam lenius, clementius, usitatius est. nec magna adeo mutatio, *invisas, adusas.* Val. Max. ix. 2. de Sylla: *Quattuor legiones* contrariæ partis, *fidem suam secutas obtruncari jussit*, Livius lxxx: de Mario, *Omnibus* adversæ partis *nobilibus trucidatis:* et ibidem, *Qui aut pugnare nolebant, aut in* diversas partes *transibant.* Suetonius Vitellio, 18. *Ab Antonio primo* adversarum partium *duce oppressus.* Et Cæsare, i. *Ut repudiaret Corneliam Cinnæ filiam compelli a Dictatore Sylla nullo modo potuit; quare* diversarum partium *habebatur.* Ita sæpe reperies, *adversas, diversas, contrarias partes:* nusquam, ut opinor invisas.

230. *Hos alio, Fortuna, vocas:*] Tragicus in Hercule Œtæo, 178.

Alio nostras *Fortuna vocat*
Lacrimas; alias flere ruinas
ME Fata jubent. Quæ prima querar?

Sic ibi lego; non *mea fata.*

231. ——— *Neuter civilia bella moveret,*
Contentus, quo Sylla fuit.] Ignavum illud FUIT, Librariis et Glossatoribus debemus, scripsit auctor,

Contentus, quo Sylla, *LOCO.*

Ita *locus primus, locus princeps.*

234. *At non magnanimi percussit pectora Bruti*
Terror,] Imitatus est Claudianus, i. Rufin. 261.

At non magnanimi virtus Stilichonis eodem
Fracta metu.

Unde et illud discas, ut ibi *Fracta metu*, ita hic PERCELLIT legendum, (non PERCUSSIT) præsenti tempore, ut mox *Invenit.* Non *percelli* viri magnanimi est

Terror, et in tanta pavidi formidine motus
Pars populi lugentis erat: sed nocte sopora,
Parrhasis obliquos Helice cum verteret axes,
Atria cognati pulsat non ampla Catonis.
Invenit insomni volventem publica cura
Fata virum, casusque Urbis, cunctisque timentem,
Securumque sui; farique his vocibus orsus:
Omnibus expulsæ terris, olimque fugatæ
Virtutis jam sola fides, quam turbine nullo

non percuti *ἀπαθέως καὶ ἀναίσθητως*, nulla patriæ caritate moti, dissimilis avunculi et soceri sui Catonis, qui (v. 240.) sui licet securus, aliis tamen *cunctis timebat.*

235. —— *Et in tanta pavidi formidine motus*
Pars populi lugentis erat:] Contra vi. 419. *Turbæ sed mixtus inerti Sextus erat.* sed nota usum ET et QUE Lucano prope peculiarem: *Non* in priore colo subintelligitur in sequente: adeo ut *Et pars erat* id ipsum sit quod *Et non pars erat,* vel *Nec pars erat.* Quod observavit et Priscianus: quem vide iv. 750. Jam vero, quid illud sit, *Pavidi formidine motus,* hærere me et caligare confiteor, aut simpliciter potius nescire. Si enim *Motus* civile bellum hic notat; ut plane necesse est: cur pavidus vocatur? *Motus* ipse *pavere* non potest; *paveri* quidem solet: non tamen pavidum dicitur, quod pavetur. Restituo,

Et in tanta pavidi formidine *MUNDI*
Pars populi lugentis erat.

Centies in his libris habes, totum *Mundum* ad primos belli civilis motus expavisse; et postea collisum fuisse. Vel in ipso Prœmio, *Totis concussi viribus orbis.* et infra 248.

Inconcussa tenens trepido vestigia mundo,

et v. 160.

Deque orbis trepidi tanto consulta tumultu.

Brutus igitur, vir magni animi, in totius mundi formidine et consternatione non est perculsus; *si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinæ.* Mutatum ab iis crediderim; qui, cum *formidine mortis, pœnæ, fustis,* &c. sæpe legissent, ad eandem faciem *formidine mundi,* non de ipso mundo formidante, sed de alio ipsum mundum metuente dici oportere, existimabant. Atqui Tacitus Annal. xv. 6. *Hæc plures,* ut formidine regis *et Corbulonis minis patrata, extollebant.* Horat. Serm. 8. *Deus inde ego,* furum aviumque Maxima formido.

242. *Omnibus expulsæ terris, olimque fugatæ*
Virtutis jam sola fides,] Nimis diu suspenditur et in ambiguo fluctuat sententia: quippe in tot verbis, nescias adhuc, utrum compellet Catonem, an de Virtute aliquid narraturus sit. scripsit auctor,

Omnibus *O PULSÆ* terris olimque fugatæ.

Sic pulsus *patria, regno, solio,* passim. Noster iv. 212. *Immemor o patriæ,* Virgilius, *Infelix o semper oves pecus.*

244. —— *Tu mente labantem*
Dirige me, dubium certo tu robore firma.] Inconcinna prorsus clausula est, inter *Me* et *Dubium* constituta. Codex Puteaneus DERIGE; at Bersmanni unus egregie ERIGE. Totum locum sic lege ac distingue:

—————— tu mente labantem

Excutiet fortuna tibi; tu mente labantem
Dirige me, dubium certo tu robore firma.
Namque alii Magnum, vel Cæsaris arma sequantur:
Dux Bruto Cato solus erit. pacem ne tueris,
Inconcussa tenens dubio vestigia mundo?
An placuit, ducibus scelerum, populique furentis
Cladibus immistum civile absolvere bellum?
Quemque suæ rapiunt scelerata in prælia causæ:
Hos polluta domus, legesque in pace timendæ?

ERIGE me *DUBIA*, certo tu robore firma.

Labantem mente dubia, ut supra v. 204. *Dubia mens*, et *mente labare* passim. Ovid. Metam. vi. 629. de Procne Ityn filium occisura,

> Sed simul ex nimia *mentem* pietate *labare*
> Sensit; ab hoc iterum est ad vultus versa sororis.

Sic codices plerique et olim Editi, perperamque hic *Matrem* pro *Mentem* substituit vir alioquin subtilissimus. Contrarium prorsus hoc est menti Nasonis, mentique adeo ipsius Heinsii: Quippe si *Mater* sive maternus affectus *labat;* non vincere incipit (quod voluit Heinsius) sed vinci. si labat maternus affectus, virgit in crudelitatem; non in pietatem. hoc probant ipsa illa exempla, quæ Heinsius sibi advocat: *Mater redit, Rex patrem vicit*, et ex Statio illud xi. 659.

> ———————jam *flectere patrem*
> Incipit, atque datis abolere Menœcea regnis:
> Primum adeo, sævis imbutus amoribus aulæ,
> Indicium specimenque sui, jubet igne supremo
> Arceri Danaos.

Pater flectitur, Paternus affectus *labat;* dediscit patrem Creon, et assuescit regem agere. Corrigendum vero obiter, *Sævis* MORIBUS *aulæ*, non *Amoribus*. Sic et xii. 600.

> ——— quænam ista novos induxit Erynnis.
> *Regnorum mores?*

ERIGE autem mentem, si *labat; Dirige*, si *errat*.

247. *Dux Bruto Cato solus erit. pacem ne tueris,*] Concinnius codex Bersmanni ERIS: quod sequens *Tueris* satis confirmat.

248. *Inconcussa tenens dubio vestigia mundo?*] *Dubius* jam semel venit, tertio ante versu: Scripsit, opinor, Lucanus TREPIDO: v. 160.

> Deque *orbis trepidi* tanto consulta tumultu.

249. *An placuit, ducibus scelerum populique furentis*
Cladibus immistum civile absolvere bellum?] *Absolvere bellum* est excusare, auctoritate sua quasi justum et pium facere. Plin. Hist. xiii. 15. *Quo dedecore tota absoluta proscriptio est.* Sed non placet *Ducibus* et *Cladibus:* ut una et Personæ et Res commisceantur. Quid, quod Duces scelerum de Pompeianis hic diceretur; parum ex decoro, neque ad sensus Lucani. Quin et *populi furentis* nimis inclementer; qui alienum furorem ipse innocens et ignarus plerumque sequitur, occulta hic latent menda; sic opinor emaculanda,

> An placuit, *VICIBUS* scelerum populique *CRUENTIS*
> *CÆDIBUS* immixtum, civile absolvere bellum?

Quam prope a receptis lectionibus absint, vides: at quanto meliore sententia? *Vicibus scelerum;* quæ scilicet in civili bello nunc hæ partes nunc illæ facient et patientur. rem plane conficit Senecæ patrui locus, Thyest. 133.

Hos ferro fugienda fames: mundique ruinæ
Permiscenda fides. nullum furor egit in arma.
Castra petunt magna victi mercede: tibi uni
Per se bella placent? quid tot durasse per annos
Profuit immunem corrupti moribus ævi?
Hoc solum longæ pretium virtutis habebis?
Accipient alios, facient te bella nocentem.
Ne tantum, o Superi, liceat feralibus armis,
Has etiam movisse manus: nec pila lacertis
Missa tuis cæca telorum in nube ferantur:
Nec tanta incassum virtus eat. ingeret omnis
Se belli fortuna tibi. quis nolet ab isto
Ense mori, quamvis alieno vulnere labens,

Advertat placidum numen; et arceat
Alternæ *SCELERUM* ne redeant *VICES*.

Cruentis autem *cædibus populi*, melius quam *Cladibus*. Seneca Herc. Fur. 919.

Nate, manantes prius
Manus *cruenta cæde* et hostili expia.

253. ——— *Mundique ruinæ Permiscenda fides.*] De obæratis loquitur, qui privatam fidei suæ ruinam permiscere publicæ cupiebant. Grotius.

255. *Castra petunt magna victi mercede:*] Parce, quæso, tam male ominari. immo ita corrigendum

Castra petunt magna *DUCTI* mercede.

261. ——— *Nec pila lacertis* ——— *Nec tanta incassum virtus eat.*] Fefellit omnes Interpretes orationis constructio; quæ et mendis laborat, et prava interpunctione: sed suo demum nitori restituetur hoc modo:

——— *NE* pila lacertis
Missa tuis cæca telorum in nube ferantur,
NEU tanta incassum virtus eat; ingeret omnis
Se belli fortuna tibi.

Ubi ordo, et sensus est, Omnis fortuna belli ingeret se tibi, ne pilo conjecto vel ignotum, ferias vel nullum. NE *tanta* Colbertinus secundus et Trin. et Valerius Probus p. 1395.

264. ——— *Quis nolet ab isto Ense mori,*] Multo est efficacius quod habet MS. P. et R.

——— in isto
Ense mori.

sicut induere ensem aliquis dicitur. Grotius.

267. —— *Sicut cœlestia semper Inconcussa suo volvuntur sidera lapsu.*] Ferri non potest *Inconcussa;* cum supra in hac Bruti oratione versum jam inchoaverit, *Inconcussa tenens trepido vestigia mundo.* Nec per se placet *Inconcussa Sidera.* Melius castiusque Patruus Her. Fur. 928.

——— Stet suo cœlum loco
Tellusque et æther: astra *inoffensos* agunt
Æterna cursus.

Vix aliter scripsit, quam INDEFLEXA: suo et ordinato cursu feruntur, eo nusquam deflexa. Apuleius De deo Socratis; *Septem stellæ, quæ vulgo vagæ ab imperitis dicuntur; quæ tamen* INDEFLEXO *et certo et stato cursu meatus longe ordinatissimos diutinis vicibus æternos efficiunt.* Plinius, Paneg. *Ætatis* indeflexa *maturitas.* Ita alii, *De via, de cursu, de spatio, curriculo deflectere.*

271. —— *Nubes excedit Olympus*

Et scelus esse tuum? melius tranquilla sine armis
Otia solus ages, sicut cœlestia semper
Inconcussa suo volvuntur sidera lapsu.
Fulminibus propior terræ succenditur aër,
Imaque telluris ventos, tractusque coruscos
Flammarum accipiunt: nubes excedit Olympus
Lege deum. minimas rerum discordia turbat:
Pacem summa tenent. quam læte Cæsaris aures
Accipient tantum venisse in prœlia civem!
Nam prælata suis nunquam diversa dolebit
Castra ducis Magni. nimium placet ipse, Catoni
Si bellum civile placet. pars magna Senatus,
Et duce privato gesturus prælia Consul

Lege deum. minimas rerum discordia turbat:
Pacem summa tenent.] Servius quidem ad Æneid. viii. 454. *Summa* citat, et Joannes Sarisberiensis p. 679. Hodie tamen Lucani codices, tam vetusti quam recentiores, magno consensu MAGNA exhibent, cum Editione Veneta: vix unus et alter pro varia lectione *Summa:* et de *Summis* prius egerat, cum *Sidera* et *Olympum* dixit. Cæterum prava distinctio in omnibus Editionibus hæret: *Nubes excedit Olympus Lege deum.* Hoc putidum est, *Lege Deum fieri, ut locus altus sit loco inferiore altior,* Immo puncto mutato lege,

——— nubes excedit Olympus.
Lege deum, minimas rerum discordia turbat,
Pacem magna tenent.

Nempe res magnas in pace versari; dum minores discordiis agitantur, hoc non *Situs* beneficio sed divina lege fit. Silius hoc imitatus est vi. 120.

Talis lege deum clivoso tramite vitæ
Per varios præceps casus rota volvitur ævi.

272. —— *Minimas rerum discordia turbat:*
Pacem summa tenent.] Seneca epistola LIX. *Talis est sapientis animus, qualis mundi status supra Lunam. Semper illic serenum est.* Grotius.

277. ——— *Pars magna Senatus,*
Et duce privato gesturus prælia Consul
Sollicitant, proceresque alii: quibus adde Catonem
Sub juga Pompeii;] Fœdum hic a Librariis facinus admissum est; quod interpretibus omnibus facessivit negotium; nisi si qui vafriores locum intactum reliquerunt *Senatus,* inquit, *Consules, aliique proceres* SOLLICITANT. Quem, obsecro? Respondet unus, *me Brutum:* alter, *se Catonem,* tertius *omnes ubicumque.* Ad quid autem sollicitant; *Ad arma,* inquiunt, *secum* capessenda. Enimvero finis adest rebus verbisque; si hæc et ejusmodi subintelligi possunt, auctore nihil dicente. Quibus, inquit, *sollicitantibus adde Catonem sub Pompeii juga.* jam vero, si Cato *additur;* liber in orbe solus Cæsar erit. indicatum erat prius, illos omnes sub jugo fuisse. Atqui qui pro alio *sollicitat,* non idcirco sub ejus jugo est; vide si veram lectionem extudimus,

——— pars magna Senatus
Et duce privato gesturus prælia Consul
MILITAT, AC proceres alii.

Sollicitant, proceresque alii: quibus adde Catonem
Sub juga Pompeii; toto jam liber in orbe
Solus Cæsar erit. quod si pro legibus arma
Ferre juvat patriis, libertatemque tueri:
Nunc neque Pompeii Brutum, neque Cæsaris hostem,
Post bellum victoris habe. Sic fatur. at illi
Arcano sacras reddit Cato pectore voces:
Summum, Brute, nefas civilia bella fatemur:
Sed quo fata trahunt, virtus secura sequetur.
Crimen erit Superis et me fecisse nocentem.
Sidera quis, mundumque velit spectare cadentem
Expers ipse metus? quis, cum ruat arduus æther,

Militat ac, *solicitat.* Qui sub alio duce militat, revera sub ejus jugo est. Militabant vero sub Pompeio tum privato Consul uterque cum parte magna Senatus et Procerum. Fac, inquit, *etiam Catonem militem,* et in toto orbe solus Cæsar a Pompeii jure liber erit. Cato mox v. 322.

——— ideo *ME MILITE* vincat
Ne sibi se vicisse putet.

Cicero infra vii. 84.

Scire *SENATUS* avet, *MILES* te, magne, sequatur,
An comes.

280. ——— *Toto jam liber in orbe Solus Cæsar erit.*] Æschylus Prom.

Ἐλεύθερος γὰρ ἐστιν οὐδεὶς πλὴν Διός.

Euripides:

Τῶν βαρβάρων γὰρ δοῦλα πάντα πλὴν ἑνός.

Grotius.

284. *Post bellum victoris habe.*] Omnes ubique Codices cum Romana et Veneta HABES: quod promptius est et animosius, quam *Habe.*

290. ——— *Quis, cum ruat arduus æther,*

Terra labet, misto coëuntis pondere mundi,

Complosas tenuisse manus?] Nostri omnes tam vetusti quam nuperiores, magno consensu, cum Veneta et Romana, *Compressas;* et recte. Hoc, ut sententia postulat, lenti est et otiosi; illud, summum affectum indicat, vel gaudii vel metus. *Complosas* vero *tenere manus* nullo sensu dicitur. Cæterum versus iste, mihi videtur, nothus et commentitius, altero abhinc versu habuimus *Mundum cadentem;* ne iterum hic *Mundi* vellet ingerere. quid quod verba ipsa si excutias, inania sunt.

292. *Complosas tenuisse manus?*] Ita manuscripti. Grotius.

——— Gentes ne furorem
Hesperium ignotæ, Romanaque signa sequentur,

Tertio mox versu, et in sexto quoque pede, rursum habemus,

——— procul hinc arcete *furorem.*

Enimvero iii. 249. ex persona Lucani, de hoc bello civili

Tunc *furor* extremos movit *Romanus* Oretas.

Sed non tam decore, ex persona Catonis, qui ipse in partibus erat. Scripsit auctor,

——— gentes ne *LABOREM*
Hesperium ignotæ Romanaque signa sequentur?

Noster vii. 311.

Terra labet, misto coëuntis pondere mundi,
Complosas tenuisse manus? gentes ne furorem
Hesperium ignotæ, Romanaque signa sequentur,
Deductique fretis alio sub sidere reges?
Otia solus agam? procul hunc arcete furorem,
O Superi, motura Dacas ut clade, Getasque
Securo me Roma cadat. ceu morte parentem
Natorum orbatum, longum producere funus
Ad tumulum jubet ipse dolor: juvat ignibus atris
Inseruisse manus, constructoque aggere busti
Ipsum atras tenuisse faces: non ante revellar,
Exanimem quam te complectar, Roma, tuumque

Di, quorum curas abduxit ab æthere tellus
ROMANUSQUE LABOR.

et hic v. 317.

——— finemque laborum
Gentibus Hesperiis.

Labor Hesperius, qui a bonis civibus excutiendo servitutis jugo laborabatur. Virgil Æneid. i. 601.

O sola infandos Trojæ miserata *labores!*

et vii. 56.

Phœbe, graves Trojæ semper miserate labores.

294. *Deductique fretis alio sub sidere reges?*] Meliores Codices *Diducti*, id est, *Divisi fretis:* at *Deducti*, est Deportati, vide Drakenborchium ad Silium.

296. ——— *Motura Dacas ut clade, Getasque*] Scribe cum manuscriptis *Daas*, ut sæpe apud poëtas. Nam *Daci* vox priorem producit. Grotius. Vetusti quattuor *Dahas* recte. *Dacæ* non dicuntur; *Daci* prima longa, Seneca Œdipo 472.

Sensere terræ te *Dahum* feroces.

Sic ibi lege, non Dacum: brevem enim Syllabam postulat versus, ut

Trahuntque siccas machinæ carinas.

Thyest. 370.

Qui Sparsos agitant *Dahas.*

Sic ibi optimus Florentinus, non *Daas.*

299. *Ad tumulum jubet ipse dolor: juvat ignibus atris*] Nostri omnes cum Romana ac Veneta *Tumulos:* Recte: quippe *Natorum*, non unius nati.

Ibidem, *Atri ignes*, *Atræ faces*, utrumque hic non potest, tantum non in eodem versu. Codices nihil variant nec juvant. Jam primum autem *Ignibus atris* rerum ordinem turbat. *Producere funus ad tumulos; ignibus manus inserere; aggere busti constructo, faces tenuisse.* Ergo tertio loco, nondum accenduntur *ignes;* et tamen in secundo, manus ignibus inseruntur. Illud deinde considerandum, quid sit *Manus inserere?* id vero perinde est, ac *Immiscere* se alicui negotio. Noster viii. 552.

——— cæloque tonante, profanas
Inseruisse manus, impure ac semivir, audes?

Audes *te inserere*, te immiscere. Iterum ix. 1072.

——— secreta quid arma
Movit, et *inseruit* nostro sua tela labori?

hoc est, quid sua tela *immiscuit?* Ad hanc autem faciem, quid erit, inserere se vel manus suas ignibus? hoc Scævolæ alicujus esset, non patris in nati funere satagentis. Negotium, inquam, opus aliquod, hic requiritur; non *Ignes*, nec simile quicquam. Sed facilius ulcus nudare, quam

Nomen libertas, et inanem prosequar umbram.
Sic eat: immites Romana piacula divi
Plena ferant: nullo fraudemus sanguine bellum.
O utinam, cœlique Deis, Erebique liberet
Hoc caput in cunctas damnatum exponere pœnas!
Devotum hostiles Decium pressere catervæ:
Me geminæ figant acies, me barbara telis
Rheni turba petat: cunctis ego pervius hastis
Excipiam medius totius vulnera belli.
Hic redimat sanguis populos: hac cæde luatur,
Quicquid Romani meruerunt pendere mores.
Ad juga cur faciles populi, cur sæva volentes
Regna pati pereunt? me solum invadite ferro,
Me frustra leges et inania jura tuentem:
Hic dabit, hic pacem jugulus, finemque laborum
Gentibus Hesperiis: post me regnare volenti
Non opus est bello. quin publica signa, ducemque

medicinam invenire; mihi nihil melius occurrit quam, *Juvat* OMNIBUS ACTIS *Inseruisse manus.*

303. —— *Et inanem prosequar umbram.*] Omnes Codices cum Romana ac Veneta, *Persequar*, recte.

306. *O utinam, cœlique Deis, Erebique liberet*] Codices tres vetusti, Colbertinus, Harleianus, et alii quidem, *Liceret.* recte. ex Stoico dogmate de Fato.

308. *Devotum hostiles Decium pressere catervæ:*] Quid autem si *pressere?* non omnes qui *premuntur ab hostibus*, aut perimuntur, aut vincuntur. Noster i. 513.

—————— cum *pressus* ab hoste
Clauditur externis miles Romanus in oris;
Effugit exiguo nocturna pericula vallo.

Lege igitur

Devotum hostiles Decium *OPPRESSERE* catervæ.

obrutus et oppressus est Decius telis hostium.

323. *Ne sibi se vicisse putet.*] Sic emendavimus pro *Nec.* Rectam esse emendationem docent MSS. P. et T. Hæc quoque, inquit, justa causa est cur Pompeio militem, ut vel hinc intelligat causam agi non suam, sed publicam: et si eadem quæ Cæsar cogitat, eundem me ipsi futurum qui nunc sum Cæsari. Grotius.

Ibidem. —— *Sic fatur: et acres*
Irarum movit stimulos: juvenisque calorem
Excitat in nimios belli civilis amores.] Colbertinus prior FATUS. *Iras* autem *movere* recte dixeris: *Movere stimulos irarum*, minime, *Excitat* quoque pro *Excitavit* non nimis venuste. Totus locus sic corrigendus:

—————— Sic *FATUS;* et acres
Irarum *ADMOVIT* stimulos, juvenisque calorem
EXCIIT in nimios belli civilis amores.

Admovit stimulos caloremque exciit in amores. Tacit. Hist. v. 16. *Proprios deinde* stimulos *legionibus* admovebat. Noster vi. 11.

Ut videt ad nullos *exciri* posse tumultus

Pompeium sequimur? nec, si fortuna favebit,
Hunc quoque totius sibi jus promittere mundi
Non bene compertum est: ideo me milite vincat,
Ne sibi se vicisse putet. Sic fatur: et acres
Irarum movit stimulos: juvenisque calorem
Excitat in nimios belli civilis amores.
Interea, Phœbo gelidas pellente tenebras,
Pulsatæ sonuere fores; quas sancta relicto
Hortensi mœrens irrupit Marcia busto.
Quondam virgo toris melioris juncta mariti:
Mox ubi connubii pretium, mercesque soluta est
Tertia jam soboles, alios fecunda penates
Impletura datur; geminas e sanguine matris
Permistura domos, sed postquam condidit urna
Supremos cineres, miserando concita vultu,
Effusas laniata comas, concussaque pectus,
Verberibus crebris, cineresque ingesta sepulcri,

In pugnam generum.

326. *Interea, Phœbo gelidas pellente tenebras,*] Placet codex Bersmanni, qui verba sic disponit,

nterea *gelidas Phœbo* pellente tenebras.

334. —— *Miserando concita vultu,*
Effusas laniata comas,] Nec *miserandus ille vultus* cuiquam eleganti formarum spectatori placebit, nec *concita vultu*, quid sibi velit vel Œdipus conjecerit. *Concita ira, furore, cursu*, recte. Sed nihil huc faciunt, neque honeste *curret* hic Marcia; nec miserandus cursus placet. ne dubites quin dederit auctor,

—— miserando *SORDIDA CULTU.*

Sordes istas et cultum mox describit, *comam effusam et laceram, planctibus contusum pectus, caput cineribus sparsum. Sordida cultu*, ut Ovid. Amor. iii. 6.

Ilia cui placuit, quamvis erat *HORRIDA CULTU.*

335. ——— *Concussaque pectus*] MSS. rectius *contusaque*. Grotius. Codices universi, cum Romana ac Veneta, *Contusaque pectus:* ut Poëtæ passim. Noster Supra. v. 38.

Nunc, ait, o miseræ, *contundite pectora*, matres.

336. —— *Cineresque ingesta sepulcri,*] Versu ab hinc secundo habuimus,

——— sed postquam condidit urna
Supremos *Cineres.*

Utrum horum in mendo cubet, dispiciendum est. Et profecto *Ingesta cineres sepulcri*, ne Latinum quidem est. Quippe in omnibus hujus formæ Hellenismis, quales priore versu, *Laniata comas, contusa pectus*, reciprocus semper est sensus, et pronomen *Suus* subintelligitur; quod et admonuimus ad Horat. iii. Carm. 5. castigantes summi viri errorem, qui *vellera exuta costas* recte dici existimavit. Atqui Marcia *ingesta cineres* non *suos*, utique sed *sepulcri*. Quid, quod si *Ingesta cineres* esset, non sparsa, sed tota cooperta foret atque obruta: ut Ovid. 462.

Saucius *ingesta* contumuleris *humo.*

Verum non cineribus *Sepulcri*, sed *Rogi*

Non aliter placitura viro, sic mœsta profatur:
Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi
Jussa, Cato, et geminos excepi fœta maritos.
Visceribus lassis, partuque exhausta, revertor
Jam nulli tradenda viro. da fœdera prisci
Illibata tori: da tantum nomen inane
Connubii: liceat tumulo scripsisse, Catonis
Marcia: nec dubium longo quæratur in ævo,
Mutarim primas expulsa, an tradita, tedas.
Non me lætorum sociam, rebusque secundis
Accipis: in curas venio, partemque laborum.
Da mihi castra sequi: cur tuta in pace relinquar,
Et si civili propior Cornelia bello?

spargi debuerit: quippe qui *urna conditi* clausique erant, antequam ad sepulcrum ventum erat. Singula igitur, ut vides, verba mendosa sunt: duroque nodo durior cuneus efflagitatur. *Crines* et *Cineres* passim inter se mutantur; illud *cnes*, hoc *cines* compendio scribitur. Repono igitur,

——— contusaque pectus
Verberibus crebris, *CRINESQUE INSPERSA FAVILLA.*

In luctu, favillis seu cineribus crinem spargere, frequentissimum. Seneca Tro. ad. 85.

Per colla fluant mœsta capilli
Tepido Trojæ pulvere turpes.

et mox,

Coma demissa est libera nodo
Sparsitque cinis fervidus ora.

Cæterum ubi semel CRINES in CINERES transierunt; tum consequens erat, ut Corrector aliquis pro *Favilla* reponeret *Sepulcri*; quod *cineres et favilla* idem essent. *Comas laniata* et mox *crines inspersa:* sic alibi *crines* et *cæsariem* conjungit. vide ad i. 188.

338. *Dum sanguis inerat,*] Producit syllabam posteriorem vocis *sanguis*, ut et alibi: *sanguis ibi fluxit Achæus*. et Valerius Flaccus: *jussa sanguis exuberet ulna*. Grotius. *Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi Jussa Cato,*] *Justa* clare habet Colbertinus veterrimus, ut recte emendat præstantissimus Gronovius Observat. i. 19. *Peregi Justa*, ut *Justa reddere, percipere, exigere*. Idem Gronovius Observat. iv. 6. Nonnihil indignatur, se summo viro emendationem suam non probasse. Si Nic. Heinsium, ut sane videtur, intelligit; mirum profecto. Probasset vero si veram distinctionem percepisset, quæ hæc est.

Dum sanguis inerat, dum vis; *materna peregi Justa*, Cato, et geminos excepi fœta maritos.

Non *Justa* absolute, sed *Justa materna*, sunt concipere, parere, alere, matris officium implere.

342. ——*Da tantum nomen inane Connubii:*] Placet Conjugii, supra enim habuimus *Connubii.*

344. ——*Nec dubium longo quæratur in ævo,*] Melius Cod. Trin. cum duobus Bersmanni, NE dubium.

350. ——*Et tempora quanquam Sunt aliena toris,*] Illud ET, mutando distinctionem, jugulavit sententiam. Fœdera, inquit, placent sola, sine pompa et cæremoniis: *Quamquam*

Hæ flexere virum voces, et tempora quanquam
Sunt aliena toris, jam fato in bella vocante:
Fœdera sola tamen, vanaque carentia pompa
Jura placent, sacrisque deos admittere testes
Festa coronato non pendent limine serta;
Infulaque in geminos discurrit candida postes,
Legitimæque faces, gradibusque acclivis eburnis
Stat torus, et picto vestes discriminat auro:
Turritaque premens frontem matrona corona,
Tralata vetuit contingere limina planta.
Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem
Lutea demissos velarunt flammea vultus:
Balteus haud fluxos gemmis astrinxit amictus,

tempora sunt toris aliena. Immo *Quia sunt*, non *Quamquam sint*. Unius literulæ mutatio tam turpi vitio medebitur. lege, et distingue:

> Hæ flexere virum voces, *EA* tempora quamquam
> *SINT* aliena toris, jam Fato in bella vocante.
> Fœdera sola tamen———

SINT codices plerique omnes, cum Romana ac Veneta.

354. *Festa coronato non pendent limine serta;*

Infulaque] Illud NON, quod nostro familiare est, continuandum est per versus sequentes: adeo ut QUE perinde sit ac NEC vel AUT. notent hæc tirones.

359. *Tralata vetuit contingere limina planta.*] Citat Servius ad Æn. 11. *Translataque vetat.* At manuscripti tres P. T. et regiorum antiquior, *Tralata vitat.* Quam lectionem in textum recipiendam censeo, ut matrona intelligatur, non pronuba, sed nova nupta. Vestæ consecratum est: unde nubentes puellæ limen non tangunt. Servius ad Æn. 11. Grotius. Veteres quattuor, et plerique alii *Vitat*. *Vetuit* in nullo est, nec præteritum hic convenit. Illud *Vitat* vir magnus in textum recipi velit; ut Matrona, non pronuba, sed *nova nupta* intelligatur. Quis vero sponsam, quæ jam nunc ducitur domum a sponso, *Matronam* appellavit? Præterea, si hæc nova nupta est, cur iterum mox inculcat, *non timidum* NUPTÆ? Nihil prius de nupta dictum esse, vel inde scias; quod a NON veluti novo principio ordiatur. Denique hæc *Matrona* turrito capite alteque exædificato est; at mox Nupta demisso vultu et flammeolo leviter velata. Quare hæc pronuba esto; et vitet ipsa limen tangere, ut suo exemplo nuptæ præcipiat.

360. *Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem*
Lutea demissos velarunt flammea vultus:] Scriptum fuisse veri-simile est, *prvelant;* et cum litera *p* forte excidisset, ex *velant* ad metrum supplendum factum esse *velarunt*. Atqui præterito non egemus, sed præsenti. Restituo,

> Lutea demissos *PRÆVELANT* flammea vultus.

Fidem facit Claudianus, qui hunc ipsum locum ob oculos habuit: ii. Proserp. 325. de nova nupta:

> Et sparsos religant crines, et vultibus addunt
> *FLAMMEA* sollicitum *PRÆVELATURA PUDOREM.*

et vi. Honor. 648.

> Et sextas Getica *prævelans* fronde secures.

362. *Balteus haud gemmis adstrinxit*

Colla monile decens; humerisque hærentia primis
Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.
Sic, ut erat, mœsti servans lugubria cultus,
Quoque modo natos, hoc est amplexa maritum.
Obsita funerea celatur purpura lana.
Non soliti lusere sales: nec more Sabino
Excepit tristis convicia festa maritus.
Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui.
Junguntur taciti, contentique auspice Bruto.
Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore
Cæsariem, duroque admisit gaudia vultu:
(Ut primum tolli feralia viderat arma,
Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, mœstamque genis increscere barbam.
Uni quippe vacat studiisque odiisque carenti,
Humanum lugere genus) nec fœdera prisci

amictus,] Uno errato admisso, progeneratur alterum. Postquam *velarunt* in textum adscivissent, id scilicet restabat, ut *Adstrinxit* eodem tempore efferretur. Atqui veterrimi tres, Colbertini duo, et Puteaneus ADSTRINGIT: omnes autem ubique AUT, non HAUD. Lege igitur,

Balteus *AUT* fluxos gemmis ADSTRINGIT amictus.

365. *Sic, ut erat, mœsti servans lugubria cultus,*
Quoque modo natos, hoc est amplexa maritum.] Sequere modo filum orationis; *servans lugubria cultus sic amplexa est maritum, quo*QUE *modo natos;* et videbis QUE redundare; et dictum oportuisse *Quo modo natos.* Restituas vel sine libris,

Sicut erat, mœsti *SERVAT* lugubria cultus.

Sed et sic habent quinque nostri, Colbertinus prior, Puteaneus, Cantab. Trin. Regius.

367. *Obsita funerea celatur purpura lana.*] En versum spurium, dignumque qui ab omnibus Musis furcillis ejiciatur. Pro *celatur* unus et alter *velatum.* Nec sensus ei, nec sermo constat. *Obsita erat squalore vestis, fœdior corporis habitus,* dixit Livius, ii. 23. At quis umquam dixit vestem *obsitam* alia veste, purpuram lana; vel *funeream lanam?* Unde *purpuram* in paupere et parca domo Catonis? Desierat auctor de novæ nuptæ ornamentis loqui: *Sic Martia maritum amplexa est, quo modo natos: non lusere soliti sales.* Vides hæc sic conjuncta connexaque esse, ut ne bonum quidem versum inserere possis, nedum omnium pessimum.

372. *Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore*
Cæsariem,] Plut. de eodem Catone: ἀπ' ἐκείνης δὲ λέγεται ἡμέρας μήτε κεφαλὴν ἔτι κείρασθαι μήτε γένεια μήτε στέφανον ἐπιθέσθαι, πένθος δὲ καὶ κατηφείας καὶ βαρύτητος, ἐπὶ ταῖς συμφοραῖς τῆς πατρίδος ἓν σχῆμα νικώντων ὁμοίως καὶ νικωμένων, ἄχρι τελευτῆς διαφυλάξαι. Grotius. *Horrificam vero* Cæsariem? crederis certe vel Gorgonis vel Eumenidum crines designari, at Lucanus omnino scripsit,

Ille nec *HORRENTEM* sancto dimovit ab ore
Cæsariem.

Sunt tentata tori: justo quoque robur amori
Restitit. hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, servare modum, finemque tenere,
Naturamque sequi, patriæque impendere vitam;
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.
Huic epulæ, vicisse famem: magnique penates,
Submovisse hyemem tecto: pretiosaque vestis,
Hirtam membra super Romani more Quiritis
Induxisse togam: Venerisque huic maximus usus,
Progenies: Urbi pater est, Urbique maritus:
Justitiæ cultor, rigidi servator honesti:
In commune bonus: nullosque Catonis in actus
Subrepsit, partemque tulit sibi nata voluptas.
Interea trepido discedens agmine Magnus,
Mœnia Dardanii tenuit Campana coloni.
Hæc placuit belli sedes, hinc summa moventis

Horrentem, neglectam, intonsam, impexam, Tibullus ii. 3. de Apolline Admeto serviente,

> Sæpe *HORRERE* sacros doluit Latona *CAPILLOS*,
> Quos admirata est ipsa noverca prius.
> Quisquis *inornatumque caput crinesque solutos*
> Aspiceret, Phœbi quæreret ille comam.

Horatius Epod. v. 28.

> *Horret capillis* ut marinus asperis
> Echinus.

Seneca Herc. Furent. 468.

> Fortem vocemus, cujus *horrentes comæ*
> Maduere nardo?

et Œdip. 230.

> Incipit Cirrhæ vates spargere *horrentes comas*.

et Troasin 884. de Polyxena.

> Dedisce captam: deprime *horrentes comas*:
> Crinemque docta patere distingui manu.

377. *Uni quippe vacat*] Aliis quos partium studia occuparant, non vacat cogitare de communi malo humani generis et hoc serio deplorare. Grotius.

387. *Venerisque huic maximus usus, Progenies:*] Credo ab auctore scriptum

> Venerisque huic *UNICUS* usus.

Ne Cato in hac continentiæ laude, Zenobiæ vel cuiquam concedat, ideo et supra, *Non fœdera prisci sunt tentata tori:* effœta nempe uxore.

388. —— *Urbi pater est, Urbique maritus:*] Citat Servius ad xi. Æneid. illud, *generumque adsciverat Urbi*, id est, propter urbem. Grotius.

394. *Hæc placuit belli sedes,*] *Belli sedes*, si suo loco, recte dicitur. ut Tacito Hist. i. 65. *Irent ultores, exscinderent sedem Gallici belli:* et iii. 32. *Cremona belli sedes*. Cum autem de *eligenda* sede agitur, tum dativus Casus adhibetur. Idem ii. 19. *Laudare, quod Coloniam validam sedem bello legisset;* et iii. 8. *Quæsitum inde, quæ sedes bello legeretur.* Repone ergo.

> Hæc placuit *BELLO* sedes.

Ibidem. *Hinc summa moventis Hostis in occursum sparsas extendere partes,*] Variant hic codices: Colbertini duo et Cod. Trin. MOVENTEM. Puteaneus et Harleianus cum

Hostis in occursum sparsas extendere partes,
Umbrosis mediam qua collibus Appenninus
Erigit Italiam, nullo qua vertice tellus
Altius intumuit propiusque accessit Olympo.
Mons inter geminas medius se porrigit undas
Inferni Superique maris: collesque coërcent
Hinc Tyrrhena vado frangentes æquora Pisæ,
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.
Fontibus hic vastis immensos concipit amnes,
Fluminaque in gemini spargit divortia ponti.
In lævum cecidere latus, veloxque Metaurus,

aliquot aliis et Romana MOVENTI. Cæteri cum Veneta MOVENTIS. Omnes tamen SUMMA habent, communi errore. Quid enim est *summa movere?* Scripsit auctor:

> Hæc placuit *BELLO* sedes: hinc *SIGNA MOVENTEM*
> Hostis in occursum sparsas extendere partes.

Ordo est, *Placuit, hinc moventem signa extendere sparsas partes in occursum hostis. Placuit* bis sumitur, prius personaliter, postea impersonaliter. Vide nos ad Horat. Carm. i. 1. *Movere signa,* passim et ubique. VIRES Puteaneus pro varia lectione, loco τῦ *Partes.*

397. ——— *Nullo qua vertice tellus Altius intumuit propiusque accessit Olympo.*] Vetusti nostri, NULLOQUE A *vertice:* et ita Servius ad Æneid. xii. 703. ut etiam PROPRIORQUE. Codex Bersmanni, PROPRIUSVE, Lego

> ——— nullo*QUE A* vertice tellus
> Altius intumuit, proprius*VE* accessit Olympo.

399. *Mons inter geminas medius se porrigit undas*] Cur iterum *Medius;* cum tertio ante versu dixisset, *mediam* Italiam erigit? Rescribo,

> Mons inter geminas *LONGUM* se porrigit undas.

ut Æneid. x. 892.

> Tollit se arrectum quadrupes.

et xi. 742.

> Concitat, et Venulo adversum se turbidus infert.

400. ——— *Collesque coërcent Hinc Tyrrhena vado*] Non placent isti *Colles,* versu ante quarto jam habuimus, *Mediam qua* collibus *Appenninus Erigit Italiam.* Crediderim sic ab auctore profectum,

> ——— *COSTASQUE coërcent.*

Claudianus vi. Honor. 286. de Apennino,

> ——— hunc esse ferebat
> Incola, qui *Siculum* porrectus ad usque *Pelorum*
> Finibus ab Ligurum *populos complectitur omnes*
> Italiæ, geminumque *latus* stringentia longe
> Utraque perpetuo discriminat æquora tractu.

ubi clara vides imitationis vestigia. Noster 438. *Siculo cessere Peloro,* et 431. *Amplexus rupibus omnes Indigenas,* Latii populos. et hic *Costas,* quod illic *Latus.* Persius i. 95.

> Sic costam longo subduximus Apennino.

402. *Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.*] *Fluctus* de mari dici solent et debent, non de continente, ut Dalmatia. Lege,

> Illinc Dalmaticis obnoxia *FLATIBUS* Ancon.

ut v. 379.

> ——— Ausoniam qua torquens frugifer oram,
> *Dalmatico Boreæ* Calabroque *obnoxius* Austro,
> Appulus Adriacas exit *Garganus* in undas.

Ancona et Garganus in eodem Ausoniæ litore sita sunt, exadversum Dalmatiæ.

406. ——— *Et junctus Isapis Isauro,*]

Crustumiumque rapax, et junctus Isapis Isauro,
Semnaque, et Adriacas qui verberat Aufidus undas:
Quoque magis nullum tellus se solvit in amnem,
Eridanus, fractasque evolvit in æquora silvas,
Hesperiamque exhaurit aquis. hunc fabula primum
Populea fluvium ripas umbrasse corona:
Cumque diem pronum transverso limite ducens,
Succendit Phaëthon flagrantibus æthera loris,
Gurgitibus raptis penitus tellure perusta,
Hunc habuisse pares Phœbeis ignibus undas.
Non minor hic Nilo, si non per plana jacentis

Est in Strabonis libris Ἴσαπις, sed *Sapis* hic habent MS. P. et R. A. Et sic scribit Plinius lib. III. et ne quid de lectione dubites, Silius:

Hoc Æsus Sapisque lavant. *Grotius.*

409. ——— *Fractasque evolvit in æquora silvas,*] Lege.

Quoque magis nullum tellus se solvit in amnem,
Eridanus fractas *DEVOLVIT* in æquora silvas.

Sic libri, quod sciam omnes, in vulgata lectione QUE redundat.

410. ——— *Hunc fabula primum Populea fluvium ripas umbrasse corona:*] *Fabula est, hunc primum fluvium,* &c. Sed nonne otiose et supervacue *Fluvium*, cum jam antea *amnem* eum vocasset? Nescio an auctor sic scripserit:

——— hunc fabula primum
Populea *NARRAT* ripas umbrasse corona.

Fabula, id est Historia mystica: et in eo sensu passim reperies, *Fabula dicit, tradit, narrat.*

416. *Non minor hic Nilo,*] Julius Scaliger in Hypercritico: *Quid hic est,* inquit. *Non minor Nilo, nisi Nilus major esset? Insanit vero in alia collatione, Non minor hic Istro. Quis enim non videt, longe pauciores amnes in Istrum ferri, quam in Padum?* Quid agimus? utinam hos quinque versiculos amoliri hinc aliquo modo possemus; ut hanc Scaligeri censuram liceret evadere. verum omnes quinque laudat Servius ad Georg. i. 482.; ut impudentis fuerit, tamquam nothos criminari. videamus ergo, an defendi vel saltem excusari queant. Ac primum, de *Nilo*, aperte calumniatur Scaliger: Sententia enim est, *non minor Nilo*, si alveum utriusque spectes: quod autem latius stagnet Nilus; id per accidens fit, quia Ægyptus planior est, quam regio Circumpadana. De Istro autem, vide ne Scaliger ipse præ accusandi libidine *insanire* videatur. *Pauciores*, inquit, *in Istrum amnes.* Audiamus jam Plinium, iii. 20. *Padus, omni numero* TRIGINTA *flumina in mare Adriaticum defert,* et iv. 24. *Danubium per innumeras lapsus gentes, et unde primum Illyricum alluit, Ister appellatus,* SEXAGINTA *amnibus receptis, medio ferme eorum numero navigabili, in Pontum evolvitur,* Ecce tibi amnes in Istrum duplo plures, quam in Padum. sed in primis notanda illa verba sunt, *Casuros in quælibet æquora fontes Accipit:* hoc est, alios fontes ab Istri fontibus remotissimos, qui quovis potius fluxuri videantur, quam in Istrum, adeo ut pene ad angulos rectos in eum incidant, Hic ergo loci sensus est; *non minor Istro,* si nativas Istri aquas spectaveris: nec alias illi adnumeres, quæ aliunde in eum deferuntur e regionibus diversissimis; non ut in Padum; qui quicquid aquarum accipit, suis montibus Appennino et Alpibus debet.

Ægypti Libycas Nilus stagnaret arenas.
Non minor hic Istro, nisi quod, dum permeat orbem
Ister, casuros in quælibet æquora fontes
Accipit; et Scythicas exit non solus in undas.
Dexteriora petens montis declivia Tybrim
Unda facit, Rutubamque cavum. delabitur inde
Vulturnusque celer, nocturnæque editor auræ
Sarnus, et umbrosæ Liris per regna Maricæ
Vestinis impulsus aquis, radensque Salerni
Culta Siler, nullasque vado qui Macra moratus
Alnos, vicinæ procurrit in æquora Lunæ.
Longior educto qua surgit in aëra dorso,
Gallica rura videt, devexasque excipit Alpes.
Tunc Umbris Marsisque ferax, domitusque Sabello
Vomere, piniferis amplexus rupibus omnes
Indigenas Latii populos, non deserit ante
Hesperiam, quam cum Scyllæis clauditur undis,

424. —— *Et umbrosæ Liris per regna Maricæ*

Vestinis impulsus aquis,] Lege VESCINIS; ut Cluverius aliique viderunt. *Vescia* urbs apud Livium viii. 11. et ix. 25. Stephano Βεσκία. Vescini populi x. 20. Campaniæ, ubi Liris, proximi. Ibidem 21. *Placuit ut duæ Coloniæ circa Vescinum et Falernum agrum deducerentur, una ad ostium* LIRIS *fluvii, quæ Minturnæ appellata, altera in saltu Vescino, Falernum contingente agrum, Sinuessa appellata.* At *Vestini* longe hinc siti erant, ultra Apenninum versus Hadriam. Porro cum *regna Maricæ* dicit, Nympham intelligi, necesse est: de qua Virgilius et Horatius. Unde ergo *umbrosæ?* etsi præter libros nostros scholiastes Horatii sic laudet. Certe si *Regna* legas, Maricam Nympham intelligas; si *Umbrosæ*, non nympham, sed *Lucum*, *Nemus*. Martialis xiii. 83.

Liris, quem Silva Maricæ
Protegit.

Claudian.

Flavæque tenens querceta Maricæ.

Livius xxvii. *Lucum Maricæ de cœlo tactum, Regna* igitur, et *Umbrosæ* consistere simul nequeunt. Dedit, opinor, auctor,

—— et umbrosæ Liris per *STAGNA* Maricæ
VESCINIS impulsus aquis.

428. *Longior educto qua surgit in aëra dorso,*] Non placet LONGIOR; quia septimo abhinc versu iterum venit, *Longior Italia.* Deinde nullo sensu hic *Longior:* cum non de toto monte loquatur, sed de extremitate ejus, qua Alpes fere contingit. auctorem scripsisse credo,

CELSIOR educto qua surgit in aëra dorso.

433. —— *Quam cum Scyllæis clauditur undis,*] Omnes nostri cum Romana et Veneta UNDIS; *Antris,* perperam, quomodo enim claudunt Apenninum quæ pars Apennini sunt? et nisi ab intrantibus conspici non possunt? reducatur igitur vetus lectio. sic et vi. 421.

Qui mox *Scyllæis* exul grassatus in *undis.*

Extenditque suas in templa Lacinia rupes,
Longior Italia, donec confinia pontus
Solveret incumbens, terrasque repelleret æquor.
At postquam gemino tellus elisa profundo est,
Extremi colles Siculo cessere Peloro.
  Cæsar in arma furens, nullas, nisi sanguine fuso,
Gaudet habere vias, quod non terat hoste vacantes
Hesperiæ fines, vacuosque irrumpat in agros,
Atque ipsum non perdat iter, consertaque bellis
Bella gerat. non tam portas intrare patentes
Quam fregisse juvat: nec tam patiente colono
Arva premi, quam si ferro populetur, et igni.
Concessa pudet ire via, civemque videri.
Tunc urbes Latii dubiæ, varioque favore
Ancipites, quanquam primo terrore ruentis
Cessuræ belli, denso tamen aggere firmant
Mœnia, et abrupto circundant undique vallo:

435. *Longior Italia, donec confinia pontus*
Solveret incumbens, terrasque repelleret æquor.] Apage tam ineptam repetitionem; donec *Pontus* solveret, et *æquor* repelleret: quasi non idem sint *æquor* et *pontus*. Lege

—— donec confinia *MONTIS*
Solveret incumbens, terrasque *REVELLERET* æquor.

Ordo est, *Donec æquor incumbens solveret confinia montis, et revelleret terras. Revelleret, abscinderet, abrumperet, dissociaret.* Plin. Hist. v. 40. *Impetum deinde sumit Hellespontus, et mare* INCUMBIT, *vorticibus limitem fodiens, donec Asiam* ABRUMPAT *Europæ.* Cæterum, quia bella occasio est, et de *Confiniis* agitur; quid si Virgilii locum tentemus, jam diu conclamatum. Georg. iv. 290.

Quaque pharetratæ vicinia Persidis urget,
Et viridem Ægyptum nigra fecundat arena,
Et diversa ruens septem discurrit in ora
Usque coloratis amnis devexus ab Indis.

ubi ordo sit necesse est, *Amnis urget vicinia Persidis:* atqui *Vicinium* nusquam invenitur. Reponerem libenter,

Quaque pharetratæ *CONFINIA* Persidis urget.

Plin. Hist. ii. 110. *Flagrat in Medis et Sittacene,* confinio *Persidis.* et v. 12. *Arabia sterilis, præterquam ubi Syriæ* confinia *attingit.* Tacitus Hist. iv. 72. *Stare in* confinio *Germaniæ integram sedem.*

440. —— *Quod non terat*] Gaudet hoc ipso quod vacuam non invenit Italiam. Grotius.

441. —— *Vacuosque irrumpat in agros,*] *Vacuosque* Lucano est, *Nec vacuos.* ut *Consertaque, Sed conserta.*

442. —— *Non perdat iter,*] Perit iter Cæsari in quo non vincit. ita infra:

Sic hostes mihi deesse nocet, damnumque putatur
Armorum, nisi qui vinci potuere rebellent.

Grotius. Hinc Silius de Hannibale iv. 758. sed non tam argute,

—————— non frontis parcit honori,
Dum ne perdat iter.

Silio *perdat* est *omittat;* Nostro, *pacatum habeat,* nullo hoste occurrente.

Saxorumque orbes, et quæ super eminus hostem
Tela petant, altis murorum turribus aptant.
Pronior in Magnum populus, pugnatque minaci
Cum terrore fides: ut cum mare possidet Auster
Flatibus horrisonis, hunc æquora tota sequuntur:
Si rursus tellus pulsu laxata tridentis
Æolii, tumidis immittat fluctibus Eurum,
Quamvis icta novo, ventum tenuere priorem
Æquora, nubiferoque polus cum cesserit Euro,
Vindicat unda Notum. Facilis sed vertere mentes
Terror erat, dubiamque fidem fortuna ferebat.
Gens Hetrusca fuga trepidi nudata Libonis,
Jusque sui pulso jam perdidit Umbria Thermo.
Nec gerit auspiciis civilia bella paternis
Cæsaris audito conversus nomine Sylla.
Varus, ut admotæ pulsarunt Auximon alæ,
Per diversa ruens neglecto mœnia tergo,
Qua silvæ, qua saxa, fugit. depellitur arce
Lentulus Esculea. victor cedentibus instat,
Divertitque acies: solusque ex agmine tanto
Dux fugit, et nullas ducentia signa cohortes.
Tu quoque nudatam commissæ deseris arcem

456. *Si rursus tellus pulsu laxata tridentis*] *Rursus tellus*, quam absonum hoc! sed recte codex Pulmanni,

Si rursus pulsu tellus ——

459. —— *Cum cesserit*] Ita emendavimus. ante fuit, *concesserit*. Grotius. Quattuor nostri veterrimi et Veneta *Cum cesserit*.

468. —— *Depellitur arce*
Lentulus Esculea.] Harleianus *Æsculea*, lege cum Editione Romana, ASCULEA. Nomen urbi est *Asculum*. Cæsar Bel. Civ. i. 15. *Cum his* Asculum *Picenum proficiscitur: id oppidum* Lentulus *Spinther decem cohortibus tenebat: qui Cæsaris adventu cognito profugit ex oppido: cohortesque secum abducere conatus, a magna parte militum deseritur*, Vides, eandem rem, eodem modo narratam.

470. *Divertitque acies:*] A duce ad se avocat. Grotius. Atqui hoc non est *Divertere*, sed *Avertere*, atque ita Colbertinus secundus AVERTITQUE. *acies*, recte. Tacitus Hist. iv. 13. *Avertere accita a Vitellio auxilia, et retentare legiones jubebatur*.

472. *Tu quoque nudatam commissæ*] Recentior unus ex nostris, et Pulmanni aliquot, cum Editione Romana, meliorem ordinem dant.

Tu quoque *commissæ nudatam* deseris arcem
Scipio, Luceriæ.

473. —— *Quanquam fortissima pubes*] Veteres quatuor, et cæteri plerique cum

Scipio Luceriæ: quanquam fortissima pubes
His sedeat castris, jampridem Cæsaris armis
Parthorum subducta metu: quæ Gallica damna
Supplevit Magnus, dumque ipse ad bella vocaret,
Donavit socero Romani sanguinis usum.
At te Corfini validis circundata muris
Tecta tenent pugnax Domiti: tua classica servat
Oppositus quondam polluto tiro Miloni.
Ut procul immensam campo consurgere nubem,
Ardentesque acies percussis sole corusco
Conspexit telis, Socii decurrite, dixit,
Fluminis ad ripas, undæque immergite pontem:
Et tu montanis totus nunc fontibus exi,
Atque omnes trahe gurges aquas, ut spumeus alnos
Discussa compage feras. hoc limite bellum
Hæreat, hac hostis lentus terat otia ripa.
Præcipitem cohibete ducem: victoria nobis
Hic primum stans Cæsar erit. nec plura locutus,
Devolvit rapidum nequicquam mœnibus agmen.
Nam prior e campis, ut conspicit amne soluto
Rumpi Cæsar iter, calida prolatus ab ira,
Non satis est muris latebras quæsisse pavori?

Veneta, *Firmissima.* recte. Cæsar Bell. Civ. iii. 88. *Has cohortes firmissimas se habere Pompeius existimabat.*

474 —— *Jampridem Cæsaris armis Parthorum subducta metu:*] Nostri omnes SEDUCTA. utrumvis satis commode. in re pari pluribus codicibus auscultandum est.

476. —— *Dumque ipse ad bella vocaret,*] Sic i. 387. *Quæcumque ad bella vocaret.* sed longe elegantius, quod in Colbertinis duobus comparet. et pro varia lectione in Trin. et Arund.

—— dumque ipse ad bella *VACARET.*

Dum Pompeius, a civilibus muneribus liber, bello Parthico vacaret. Illud *vocaret* hoc habet incommodi, quod falso significet, eas legiones dum apud Cæsarem erant, non in *bellis*, sed in pace et otio versatas.

481. —— *Campo consurgere nubem,*] Colbert. prior, Arund. et duo Bersmanni *Campis,* Recte, sic et infra 492. 495. numero plurali.

493. —— *Calida prolatus ab ira,*] Quid est prolatus ab ira? vel quis sic umquam locutus est? illud quoque observabis, deesse in oratione sequente *Ait,* vel *Inquit.* aut valde fallor, aut dedit auctor,

Rumpi Cæsar iter, calida *PROCLAMAT* ab ira.

Silius ix. 110.

EXCLAMAT Juvenis subita flammatus *AB IRA.*

et ix. 99.

Obstruitis campos, fluviis arcere paratis,
Ignavi? non si tumido me gurgite Ganges
Summoveat, stabit jam flumine Cæsar in ullo,
Post Rubiconis aquas. equitum properate catervæ:
Ite simul pedites: ruiturum ascendite pontem.
Hæc ubi dicta, levis totas accepit habenas
In campum sonipes: crebroque simillima nimbo
Trans ripam validi torserunt tela lacerti.
Ingreditur pulsa fluvium statione vacantem
Cæsar, et ad tutas hostis compellitur arces.
Et jam moturas ingentia pondera turres
Erigit, et mediis subrepsit vinea muris.
Ecce, nefas belli, reseratis agmina portis
Captivum traxere ducem, civisque superbi
Constitit ante pedes. vultu tamen alta minaci
Nobilitas recta ferrum cervice poposcit.
Scit Cæsar pœnamque peti, veniamque timeri.
Vive, licet nolis, et nostro munere, dixit,
Cerne diem. victis jam spes bona partibus esto,
Exemplumque mei: vel, si libet, arma retenta;
Et nihil hac venia, si viceris ipse, paciscor.
Fatur: et astrictis laxari vincula palmis

Fulminea torvum *EXCLAMAT* Marcellus *AB IRA.*

et vi. 669.

Arridens Pœnus lenta *PROCLAMAT AB IRA.*

496. —— *Non* ————
—— *Stabit jam flumine Cæsar in ullo,*
Post Rubiconis aquas.] Hinc Silius de Hannibale iv. 747.

Ire jubet, prior extingui labique videtur
Gloria, post Alpes si stetur montibus ullis.

Sed apud Nostrum STABO repone pro *stabit:* præcedit enim, *si* ME *Ganges* summoveat.

500. —— *Levis totas accepit habenas*
In campum sonipes:] Ecce tibi denuo CAMPUM; cum jam ter intra pauculos versus *Campis, Campis, Campos* habuerimus. corrigendum,

———— totas accepit habenas
In *COLLUM* Sonipes.

Silius xv. 727.

——— cedentes urget, *totas largitus habenas*
Livius acer equo,
——— et turmis abeuntibus infert
Cornipedem.

505. —— *turres*] Nam e turribus missilia librabantur. Grotius.

506. —— *Et mediis subrepsit vinea muris.*] Elegantius Colbertinus prior.

Erigit, et mediis *SUBREPIT* vinea muris.

Erigit, Subrepit, ejusdem temporis utrumque.

515. *Et nihil hac venia, si viceris ipse, paciscor.*] Distingue alio modo,

Et nihil hac venia, si viceris ipse paciscor.

Imperat. heu quanto melius vel cæde peracta
Parcere Romano potuit fortuna pudori!
Pœnarum extremum civi, quod castra secutus
Sit patriæ, Magnumque ducem, totumque Senatum,
Ignosci. premit ille graves interritus iras:
Et secum: Romamne petes, pacisque recessus
Degener? in medios belli non ire furores
Jamdudum moriture paras? rue certus, et omnes
Lucis rumpe moras, et Cæsaris effuge munus.
  Nescius interea capti ducis arma parabat
Magnus, ut admixto firmaret robore partes.
Jamque secuturo jussurus classica Phœbo,
Tentandasque ratus moturi militis iras,
Alloquitur tacitas veneranda voce cohortes:
O scelerum ultores, melioraque signa secuti:
O vere Romana manus: quibus arma Senatus
Non privata dedit, votis deposcite pugnam.
Ardent Hesperii sævis populatibus agri:
Gallica per gelidas rabies effunditur Alpes:
Jam tetigit sanguis pollutos Cæsaris enses.
Dii melius, belli tulimus quod damna priores:
Cœperit inde nefas. jamjam me præside Roma

519. —— *Civi,*] Vera lectio ex manuscripto. Romano homini maximum est supplicium, venia opus habere quod publica arma privatis prætulerit. Antea fuit, *cui fit.* Grotius. Nostri omnes cum Romana et Veneta *Civi.* et ordo est, *Pœnarum extremum, ignosci civi, quod,* &c.

527. —— *Ut admixto firmaret robore partes.*] Colbertinus prior, Puteaneus aliique plurimi cum Rom. ut Ven. *Inmixto.*

528. *Jamque secuturo jussurus classica Phœbo,*
Tentandasque ratus moturi militis iras,] Unde vero tot Futuri in unum conclusi, vim ac tædium auribus inferentes, *secuturo, jussurus, moturi?* Quiescent paulo aures, si unum ex his amoliamur; illum scilicet qui nihil sententiæ confert. Si enim die insequente jubere classica constituerat, eo ipso notum facit, *moturum* fore militem. Quid quod ineptum est, miles *movet* vel *moturus est,* sic absolute positum. auctorem aliud dedisse credo, sensu longe meliore:

Tentandasque ratus *MATURE* militis iras.

Mature, nempe crastino signa moturus, pridie tentare statuit iras animosque militum. Infra v. 597.

Nec *matura* petunt promissæ classica pugnæ.

Valerius tamen MOTURI hic legit, p. 1436. *Futuri temporis participium a verbo dissentit: nam longam recipit, ut Lucanus,*

Tentendasque ratus *Moturi* militis iras,

Hoc enim vult, a *Moveo,* quod primam corripit, *Moturus* eandem producere.

537. *Dii melius, belli tulimus quod damna priores:*

Supplicium, pœnamque petat. neque enim ista vocari
Prælia justa decet, patriæ sed vindicis iram.
Nec magis hoc bellum est, quam cum Catilina paravit
Arsuras in tecta faces, sociusque furoris
Lentulus, exertique manus vesana Cethegi.
O rabies miseranda ducis! cum fata Camillis
Te, Cæsar, magnisque velint miscere Metellis,
Ad Cinnas, Mariosque venis. sternere profecto,
Ut Catulo jacuit Lepidus, nostrasque secures
Passus, Sicanio tegitur qui Carbo sepulcro,
Quique feros movit Sertorius exul Iberos.
Quanquam, si qua fides, his te quoque jungere Cæsar
Invideo, nostrasque manus quod Roma furenti
Opposuit. Parthorum utinam post prælia sospes,
Et Scythicis Crassus victor remeasset ab oris,

Cœperit inde nefas. jamjam me præside Roma] Ob malam distinctionem, cum hiulca et scabra oratio est, tum et dictio vitiosa. *Cœpit* enim dicendum fuit, non *Cœperit*. Tu sic lege et distingue.

Dii melius, belli tulimus quod damna priores:
Cœperit inde nefas; *DUM* jam, me præside, Roma
Supplicium, pœnamque petat.

Dum jam, hoc est, dummodo jam. *Cœperit inde nefas, dum jam* a me puniatur. ut notum illud, *Oderint, dum metuant.* et mox 561. Dux *sit* in his castris senior, *dum* miles in illis.

544. *O rabies miseranda ducis!*] Vix intelligo, quo colore dictum sit *Rabies miseranda:* Si rabies est, teterrimum malæ mentis vitium, non utique *miseratione*, sed odio et vindicta excipienda erit. et quidem quod statim sequitur, *Sternere profecto* non misericordiæ est, sed ultionis. crediderim ab auctore profectum:

O rabies *INFANDA* ducis!

codex Bersmanni, MIRANDA. *Miseranda*, compendiose scribitur, *Misanda.* *infanda.*

553. *Et Scythicis Crassus victor remeasset ab oris,*] Colb. prior, Harleianus, Regius, cum Bersmanni duobus, et Pulmanni uno, suaviore compositione,

Et Scythicis *victor Crassus* ——

Insuper etiam, ARVIS Colb. prior.

555. *Te quoque si Superi titulis accedere nostris*
Jusserunt,] Ex Ovidio, Heroid. ix.

Gratulor Œchaliam *titulis accedere vestris.*

557. *Fervidus hæc iterum circa præcordia sanguis*
Incaluit:] Si jam *Fervidus*, quomodo *Incaluit;* quod minus est quam fervere? Quomodo autem *iterum* incaluit, nisi medio tempore vel refrixerit vel intepuerit? et forsan scripsit Lucanus,

FRIGIDUS hæc iterum circa præcordia sanguis
Incaluit.

Pompeius jam senior; et proprium senectutis *sanguis frigidus.* Entellus de se, Æneid. v. 396.

Sanguis hebet, frigentque effœtæ in corpore vires.

558. —— *Disces non esse ad bella fugaces,*
Qui pacem potuere pati.] Colbertinus prior, Puteaneus, Regius, Pulmanni

Ut simili causa caderes, qua Spartacus hostis.
Te quoque si Superi titulis accedere nostris
Jusserunt, valet in torquendo dextera pilo:
Fervidus hæc iterum circa præcordia sanguis
Incaluit: disces non esse ad bella fugaces,
Qui pacem potuere pati. licet ille solutum,
Defectumque vocet, ne vos mea terreat ætas.
Dux sit in his castris senior, dum miles in illis.
Quo potuit civem populus perducere, liber,
Ascendi, supraque nihil nisi regna reliqui.
Non privata cupit, Romana quisquis in urbe
Pompeium transire parat. hinc Consul uterque,
Hinc acies statura ducum. Cæsarne Senatus
Victor erit? non tam cæco trahis omnia cursu,
Teque nihil Fortuna pudet. multisne rebellis

duo, cum Editione Venet. *Discet.* Placet: quia sequitur, *Licet Ille.*

561. *Dux sit in his castris senior, dum miles in illis.*] Quintilianus Declam. cccxvii. *Itaque hercle* militem *legimus robustum, legimus* juvenem: imperatorem *facimus* senem.

564. *Non privata cupit, Romana quisquis in urbe*
Pompeium transire parat.] Colbertinus alter, et Harleianus cum duobus Pulmanni, elegantius,

Non privata CUPIS, Romana quisquis in urbe
Pompeium transire PARAS.

Quid vero *Romana urbs*, an simpliciter? vide an scripserit auctor,

Non privata *CUPIS ROMANO* quisquis in *ORBE*
Pompeium transire *PARAS*.

Noster viii. 211.

Quando, ait, Emathiis amissus cladibus *ORBIS*
Qua *ROMANUS* erat.

567. —— *Non tam cæco trahis omnia cursu,*
Teque nihil Fortuna pudet.] Etiam refragante codicum turba, reponendum puto,

—— non tam cæco trahis omnia CASU.

Cursus ad Fatum pertinet, ad Fortunam *Casus.* Juvenalis,

Sunt in *Fortunæ* qui *casibus* omnia ponant.

Noster vii. 446.

Cum *cæco* rapiantur sæcula *casu.*

Cæco casu, præcipiti casu, passim.

568. —— *Multisne rebellis*
Gallia jam lustris,] *Multisne* vero *lustris?* cum nondum bina lustra completa fuerint? nondum decimus annus exactus? Apage tam spissum mendacium; quod omnes cohortes statim agnoscerent. Dederat auctor.

—————— *GEMINIS*ne rebellis
Gallia jam lustris.

ut i. 283.

Bellantem *geminis* tenuit te Gallia *lustris.*

Simile erratum in Senecæ Agamemnone, 42.

Post decima Phœbi lustra devicto Ilio.

Quid audio? an per quinquaginta annos obsessum est Ilion? an potius *Lustrum* non quinquennii, ut creditum est, sed unius anni erit? *Decima* est Florentini

Gallia jam lustris, ætasque impensa labori
Dant animos? Rheni gelidis quod fugit ab undis,
Oceanumque vocans incerti stagna profundi;
Territa quæsitis ostendit terga Britannis?
An vanæ tumuere minæ, quod fama furoris
Expulit armatam patriis e sedibus urbem?
Heu demens, non te fugiunt, me cuncta sequuntur:
Qui cum signa tuli toto fulgentia ponto,
Ante bis exactum quam Cynthia conderet orbem,
Omne fretum metuens pelagi pirata reliquit,
Angustaque domum terrarum in sede poposcit.
Idem per Scythici profugum divortio Ponti
Indomitum regem, Romanaque fata morantem,
Ad mortem, Sylla felicior, ire coëgi.

codicis lectio, cæterorum *Dena*. Corrige, vel ex illo *Gemina*, vel ex his *Bina*.

570. —— *Rheni gelidis quod fugit ab undis,*] Iterum habes paulo inferius, *Gelidas ad Phasidos undas.* Mendum igitur subesse hic, juste suspicere possis. neque difficilis correctio: *Fugit* enim per se hic positum plane friget. legendum arbitror,

Rheni TREPIDUS quod fugit ab ARVIS.

Quippe Cæsar, narrante Plutarcho, non amplius dies xviii. ultra Rhenum in Germania moratus, rediit in Galliam.

579. *Angustaque domum terrarum in sede poposcit.*] Puteaneus cum Edit. Rom. ANGUSTAQUE: Omnes nostri cum Veneta ANGUSTAMQUE. Hoc dicit auctor, Piratas, *metuentes* jam *Pelagi*, petiisse ut vel procul a mari in intimas terras deducerentur. Atqui hoc significare nequit, *In sede terrarum;* quoniam et loca maritima comprehendit. Scripsit, aut fallor, Poëta,

Omne fretum, metuens pelagi, Pirata reliquit
ANGUSTAMQUE domum TERRESTRI in sede poposcit.

Paterculus de hac re ii. 32. *Reliquias eorum contractas in urbibus, remotoque a mari loco in certa sede constituit.* Servius ad Georg. iv. 127. *Pompeius victis piratis Cilicibus, partim ibidem, partim in Græcia, partim in Calabria agros donavit.* Vide et Plutarchum aliosque. potes etiam TERRENA.

587. —— *Atque umbras nusquam flectente Syene.*] Colbertinus uterque et Trin. cum duobus Pulmanni Bersmannique totidem, NUMQUAM. Citat hoc Priscianus, p. 887. ubi Codex insignis Cantab. NUMQUAM. Sic quoque se olim legisse clare ostendit Macrobius, in Somn. Scip. vii. *Civitas,* inquit, *Syene sub ipso Æstivo tropico constituta est; et eo die quo sol certam partem ingreditur Cancri, hora diei sexta (quoniam sol tunc super ipsum invenitur verticem civitatis) nulla illic potest in terram de quolibet corpore umbra jactari; et hoc est quod Lucanus dicere voluit, nec tamen plene, ut habetur, absolvit. Dicendo enim,*

Atque umbras *NUMQUAM* flectente Syene.

rem quidem attigit, sed turbavit verum: non enim numquam flectit, sed uno anni tempore. Recte sane censuisset Macrobius, si auctor dedisset *Numquam;* sed codices vetusti Puteaneus et Harleianus cum magna aliorum turba, NUSQUAM

Pars mundi mihi nulla vacat: sed tota tenetur
Terra meis, quocunque jacet sub sole, trophæis.
Hinc me victorem gelidas ad Phasidos undas
Arctos habet: calida medius mihi cognitus axis
Ægypto, atque umbras nusquam flectente Syene.
Occasus mea jura timet, Tethynque fugacem
Qui ferit, Hesperius post omnia flumina Bætis.
Me domitus cognovit Arabs, me marte feroces
Heniochi, notique erepto vellere Colchi.
Cappadoces mea signa timent, et dedita sacris
Incerti Judæa Dei, mollisque Sophene.
Armenios, Cilicasque feros, Taurosque subegi.
Quod socero bellum, præter civile, reliqui?
Verba ducis nullo partes clamore sequuntur,

habent; et vere. Nisi enim NUSQUAM posuisset Lucanus, non dixisset *Flectente umbras*, sed *Faciente*, vel *Faciente flectere umbras;* absolute, nisi *quorsum* addatur, ineptissimum est. *Nusquam* igitur flectit umbras Syene, scilicet ipso meridie solstitiali, sive solstitii die medio. Quid autem profuit, veram lectionem comparuisse? cum adhuc tam maligne quidam agant, quam si credidisset Lucanus, nullam per totum annum umbram Syene fieri. Iniqua vero judicia: Cur ergo loca quædam Ascia (sine umbra) dicuntur? an ulli Ascii sunt, nisi semel vel bis in anno? et tamen licuit magnis scriptoribus absolute Ascios dicere. Plinius Hist. ii. 75. *Onesicritus dux Alexandri Magni scripsit, Quibus in locis Indiæ umbræ non sint, Septentrionem non conspici, et ea loca appellari Ascia.* et iterum, vii. 2. *Onesicritus scribit quibus locis Indiæ umbræ non sint corpora hominum cubitorum plus quinum existere.* Eadem utrumque facie generaliter dicitur, Et *umbras non esse*, Et *umbras nusquam flecti:* licet semel hoc tantum, vel plurimum bis quotannis contingat.

588. *Occasus mea jura timet,*] Quarto abhinc versu iterum habes et in eadem versus cæsura,

Cappadoces mea signa timent.

Jura TENET Cod. Arundel. et pro varia lectione Cantab. Repono,

Occasus mea jura *TREMIT.*

Martialis viii. 55.

Sed cujus *tremerent* ipsi quoque jura leones.

590. *Me domitus cognovit Arabs,*] Quanto melius quod in solo Arundeliano reperi,

Me domitus COGNOSCIT Arabs.

præsenti tempore, ut alia illa vicina, *Vacat, Tenetur, Habet, Tremit, Timent,* Quid quod plus est, jam *cognoscere*, terrore scilicet nominis adhuc hærente, quam quondam cognovisse.

590. —— *Me marte feroces Heniochi, notique erepto vellere Colchi.*] *Noti vellere*, ut Seneca Thyeste, 379.

Seres vellere nobiles.

sed versu priore posuit COGNOSCIT *Arabs:* iterumne ergo et tam proxime NOTI *Colchi?* Numquam hoc credam. Quin et hoc perpende; si *Notos* voluisset; non utique *Erepto*, sed *Aurato vellere* subjecisset. *Noti* quippe erant ob vellus *aureum:* at priusquam eriperetur. Cum

Nec matura petunt promissæ classica pugnæ.
Sensit et ipse metum Magnus; placuitque referri
Signa, nec in tantæ discrimina mittere pugnæ
Jam victum fama non visi Cæsaris agmen.
Pulsus ut armentis primo certamine taurus
Silvarum secreta petit, vacuosque per agros
Exul in adversis explorat cornua truncis;
Nec redit in pastus, nisi cum cervice recepta
Excussi placuere tori: mox reddita victor
Quos libet in saltus comitantibus agmina tauris
Invito pastore trahit: sic viribus impar
Tradidit Hesperiam, profugusque per Appula rura
Brundisii tutas concedit Magnus in arces.
  Urbs est Dictæis olim possessa colonis,
Quos Creta profugos vexere per æquora puppes
Cecropiæ, victum mentitis Thesea velis.
Hanc latus angustum jam se cogentis in arctum

itaque *Erepto* dixerit, ne dubita, quin more suo *moratum* aliquod Epitheton addiderit. Scripsit auctor.

NUDIQUE erepto vellere Colchi.

Ideo *nudi* et pauperes, quia vellere erepto. *nudi vellere*, ut Horatius,

Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis.

Sil. Ital. ix. 358.

Hesperidum pauper spoliatis frondibus hortus.

Idem i. 392.

Et *erepto nudum clypeo* latus haurit Hiberi.

599. —— *Nec in tantæ discrimina mittere pugnæ*] Altero abhinc versu dixerat, *Promissæ classica pugnæ.* alterutrum mendosum sit, necesse est, prius vero non sollicitandum. *Promissa* enim *pugna* est, quam orationis exordio v. 533. pollicitus est, *Votis deposcite pugnam.* Restat itaque ut posterius in mendo cubet, manu medica curandum. Quod non difficulter fiet; si, ut plane existimo, scripsit auctor,

Nec in tantæ discrimina mittere *CAUSÆ.*

Causa tanta, i. 128.

Victrix *Causa* deis placuit, sed victa Catoni.

et ix. 230.

—— Ille jacet, paci quem prætulit orbis:
Causaque nostra perit.

Tacitus Hist. v. 15. *Ejus prælii eventus utrumque ducem ad maturandum* summæ rei discrimen *erexit.* Pompeius ipse de his ipsis copiis. Cic. ad Atticum viii. 12. *Neque enim eorum militum, quos mecum habeo, voluntati satis confido, ut* de omnibus fortunis Reip. *dimicem.*

605. —— *Mox reddita victor*
Quos libet in saltus comitantibus agmina tauris
Invito pastore trahit:] Julius Scaliger in critico c. xiv. ubi hanc Lucani comparationem adduxerat, *Considerabis*, inquit, *an Tauri comitentur novum victorem.* Recte sane vir summus: tantum enim abest, ut *tauri* comitentur; ut secundum ipsum Lucanum taurus *victus* mox *silvarum secreta exul petat.* Quomodo igitur victorem comitatur? Ergo aut Librariorum negligentiæ, aut ipsius Poëtæ incuriæ, crimen hoc impingendum

Hesperiæ, tenuem producit in æquora linguam,
Adriacas flexis claudit quæ cornibus undas.
Nec tamen hoc arctis immissum faucibus æquor
Portus erat, si non violentos insula Coros
Exciperet saxis, lassasque refunderet undas.
Hinc illinc montes scopulosæ rupis aperto
Opposuit natura mari, flatusque removit,
Ut tremulo starent contentæ fune carinæ.
Hinc late patet omne fretum, seu vela ferantur
In portus, Corcyra, tuos, seu læva petatur
Illyris Ionias vergens Epidamnus in undas.
Huc fuga nautarum, cum totas Adria vires
Movit, et in nubes abiere Ceraunia, cumque
Spumoso Calaber perfunditur æquore Sason.
Ergo ubi nulla fides rebus post terga relictis,
Nec licet ad duros Martem convertere Iberos,
Cum mediæ jaceant immensis tractibus Alpes:

erit; minime vero huic, sic enim ab eo profectum,

> Quos libet in saltus, comitantibus agmina *PARVIS*
> Invito pastore trahit.

Parvi hic sunt vituli, ut generatim in quoque genere minores. Seneca Troad. 537. de Bubus,

> Sic ille magni, *PARVUS* armenti *COMES*,
> Primisque nondum cornibus findens cutem.

et Hippol. 17.

> Vos, qua Marathon tramite lævo
> Saltus aperit; qua *comitatæ*
> Gregibus *parvis* nocturna petunt
> Pabula parvæ.

Statius Silv. i. 6.

> Una vescitur omnis ordo mensa,
> Parvi, femina, plebs, eques, senatus.

609. *Brundisii tutas concedit Magnus in arces.*] Colb. autem alter et Puteaneus et alii quoque cum Veneta CONCESSIT. atque hoc amplectimur; nam Præteritum hic requiritur, ut alterum illud *Tradidit*. Statius Silv. iii. 3. 163.

> Et Diomedeas *concedere jussus in arces*.

616. *Nec tamen hoc arctis immissum faucibus æquor Portus erat,*] Non admittendum est *Arctis*; cum tertio ante versu habuerimus *Arctum*. Præterea si fauces *arctæ* erant; portus profecto erat sine insulæ ope, quæ objectu laterum portum efficeret. Scripsit, opinor, auctor:

> Nec tamen hoc *PATULIS* immissum faucibus æquor.

Mox Noster, v. 619. *Aperto mari*, ut hic, *patulis faucibus*, de re eadem.

617. —— *Si non violentos insula Coros Exciperet saxis, lassasque refunderet undas.*] Cum *Coros* dixisset, cur a ventis ad *undas* transgreditur? Accedat huc, quod tertio ante versu, in fine etiam ut hic, *undas* habuimus: quo nullum certius errati indicium. Dedit, ut videtur, auctor,

> ——— si non violentos insula Coros
> Exciperet saxis, lassasque refunderet *AURAS*.

Auras, Oras, Undas, Umbras, hæc quatuor sæpe a Librariis confunduntur.

619. *Hinc illinc montes scopulosæ rupis aperto*

Tunc sobole e tanta natum, cui firmior ætas,
Affatur: Mundi jubeo tentare recessus.
Euphratem, Nilumque move, quo nominis usque
Nostri fama venit, quas est vulgata per urbes
Post me Roma ducem: sparsos per rura colonos
Redde mari Cilicas: Pharios hinc concute reges.
Tigranemque meum. nec Pharnacis arma relinquas,
Admoneo, nec tu populos utraque vagantes
Armenia, Pontique feras per littora gentes,
Riphæasque manus, et quas tenet æquore denso
Pigra palus Scythici patiens Mæotica plaustri.

Opposuit natura mari,] Cui hominum umquam auditum est, *Montes rupis?* An una rupes plures habet montes? Pudet tam apertum mendum tam diu latuisse. Scripsit auctor,

Hinc illinc *MOLE* scopulosæ rupis.

Motes, Moles.

631. *Tunc sobole e tanta natum, cui firmior ætas,*] Quorsum autem TANTA *Soboles?* cum notissimum sit duos tantummodo liberos Pompeio tum fuisse, Cnæum et Sextum. Repone,

Tum sobole e *GEMINA.*

636. —— *Pharios hinc concute reges.*] Colbertinus alter, et Puteaneus cum duobus Pulmanni, PARTHOS *hinc concute reges.* quod quidem quam *Pharios* mallem, Hi enim propiores Tigrani et Pharnaci. Et cum *Nilum move* dixerit, eo ipso *Pharios reges* tum significavit. sed neque *Parthos,* satis placet. Hanc enim οἰκονομίαν servant poëtæ nobiles; ut si vaticinentur, si vota faciant, si jubeant quid agendum; semper id quod prædicitur, vovetur, imperatur, eventum suum habeat. Atqui *Parthi* non *concutiebantur,* neutras partes secuti, iii. 265.

Fallaces dubium *Parthi* tenuere favorem,
Contenti fecisse duos.

Quamobrem, ut sæpe accidit, utraque lectio mendosa est, tam *Pharii,* quam *Parthi;* dum veterem et veram hi uno modo, alii alio contorquent. Scripsit Poëta

BACTROS hinc concute reges.

Bactri enim in *Pompeii* partibus militabant; iii. 367.

—————— tinxere sagittas
Errantes Scythiæ populi, quos gurgite *Bactros*
Includit gelido, vastisque Hyrcania Silvis.

Paulum infra, *Tigranen* et *Euphraten* libri vetustiores. et Cod. Trin. *Mæotia.* *Pharnacis* autem a recto *Pharnax,* non a *Pharnaces.* Priscianus p. 724. *Barbara nomina in x corripiunt penultimam; ut Volux Volucis, Pharnax Pharnacis: Lucanus in* ii. *Tigranemque meum. nec Pharnacis arma relinquas.*

642. —— *Totos mea, nate, per ortus Bella seres,*] Omnes nostri cum Veneta et Romana FERES. Illud *seres* ex unico codice olim asseruit Modius Epist. lxxx. Livius xxi. 10. *Si ex bellis* bella serendo *succinctus armis legionibusque vivat.* Sed aliud est *Bella serere;* aliud esset *Mea bella serere: mea* enim, quæ ipse olim *sevi:* quæ non jam iterum *serenda,* sed *colligenda* sunt. Atque hoc postulat, quod mox sequitur; *Omnes triumphi in castra* REDEANT. Quare vix dubitandum, quin sic scripserit auctor,

——— totos mea, nate, per ortus
Bella LEGES, totoque urbes agitabis in orbe
PRÆDOMITAS; omnes redeant in castra triumphi.

Et quid plura moror? totos mea, nate, per ortus
Bella seres, totoque urbes agitabis in orbe
Perdomitas: omnes redeant in castra triumphi.
At vos, qui Latios signatis nomine fastos,
Primus in Epirum Boreas agat: inde per arva
Graiorum, Macedumque novas acquirite vires:
Dum paci dat tempus hyems. Sic fatur: et omnes
Jussa gerunt, solvuntque cavas a littore puppes.
At nunquam patiens pacis, longæque quietis
Armorum, ne quid Fatis mutare liceret,
Assequitur, generique premit vestigia Cæsar,

ubicumque ego olim bella gessi, et victor populis peperci, eos tu in mea castra colligendos curato. *Prædomitas*, nimirum a me olim. Seneca Patruus Epist. cxiii. *Doce me nullum animal felix esse sine fortitudine; nisi omnes casus, antequam exciperet, meditando* PRÆDOMUIT.

645. *At vos, qui Latios signatis nomine fastos,*] ET *vos*, codices fere omnes cum Romana et Veneta, Recte. sed iidem omnes mendose LATIO. Deinde Colbertini duo, Cantab. Trin. cum magna recentiorum turba SIGNASTIS; tum scilicet, cum novo anno Consules facti estis, Reponendum igitur,

> *ET* vos qui Latios *SIGNASTIS* nomine *FASTOS.*

Mox, *Macetumque* meliores omnes, a recto *Macetes;* non *Macedumque.*

648. —— *Sic fatur: et omnes Jussa gerunt,*] Primo, AT substituendum pro ET, Deinde, quid sodes est *Jussa gerere?* vel quis omnium sic locutus est? an *gerere* erit *portare, ferre?* ut Æneid. ix. 804.

> ———— nam Juppiter Irim
> Demisit, germanæ haud mollia *jussa ferentem.*

Atqui hi Consules cum filio, non ut *nuntii* dimittuntur; sed ad res agendas, non narrandas. An potius *gerere jussa*, perinde erit ac *facere*, et exsequi? Quomodo autem jam nunc *jussa ista faciunt*, per totum terrarum orbem peragenda, qui adhuc Brundisii in portu hærent? Repono.

> ———— sic fatur: *AT* omnes
> Jussa *PARANT*, solvuntque *CITAS* a litore puppes.

Jussa parant, accingunt se ad ea exequenda. Æneid. iv. 503.

> ———— nec tantos mente furores
> Concipit; aut graviora timet quam morte Sichæi:
> Ergo *JUSSA PARAT.*

Citas autem reposuimus, pro ignavo isto Epitheto *cavas puppes.* Quid enim ad rem facit; si cavæ sint? At CITAS morato Epitheto, ut summum festinandi studium notet. *Puppis, ratis, navis, classis, cita,* poëtis frequentissima sunt.

650. *At nunquam patiens pacis, longæque quietis*] Pro PACIS Colbert. prior, Putean. Harleianus, Trin. Caianus cum tribus Pulmanni SEGNIS. addit Puteaneus antiqua manu, *segnis* esse *pro segnitiei.* commentum sane lepidum: sed ut certum est, numquam sic dicere voluisse Nostrum, *segnis longæque;* ita et æque certum non dixisse *Pacis;* quia altero ante versu dixerat, *Dum* PACI *dat tempus hiems.* Nescio an recte divinaverim,

> At nunquam patiens *OTI*, longæque quietis.

Oti, hoc est, *Otii;* ut *Corfini* supra, *Corfinii*, et alia apud hunc plura. Georg. iv. ipso fine,

Sufficerent aliis primo tot mœnia cursu
Rapta, tot oppressæ dejectis hostibus arces:
Ipsa caput mundi, bellorum maxima merces,
Roma capi facilis: Sed Cæsar in omnia præceps,
Nil actum credens, dum quid superesset agendum,
Instat atrox: et adhuc, quamvis possederit omnem

Studiis florentem ignobilis *OTI.*

Curtius vi. 2. de Alexandro: *Militarium rerum, quam* QUIETIS OTIIQUE PATIENTIOR. Sallustius Jugurth. 70. *Vulgus, cupidum novarum rerum,* QUIETI et OTIO *adversum.*

650. —— *Longæque quietis*

Armorum, ne quid Fatis mutare liceret,] *Impatiens quietis armorum;* inepte et invenuste. Immo, *Impatiens quietis,* ut ex Curtio et Sallustio jam didicisti. Tum et illud nimis laxe *ne quid* omnino, nusquam gentium, *mutare liceret;* Scripsit enimvero auctor,

ACTORUM nequid Fatis mutare liceret.

Ne quid actorum, ne quid ex iis quæ jam acta erant, cum Magnum in Brundisium compulisset, a Fatis mutari possent.

652. *Assequitur, generique premit vestigia Cæsar,*] Quid hoc est? primum *assequitur,* et postea *premit vestigia?* Certe *Assequi* perinde est ac *Consequi, Pervenire* ad eum quem sectaris. dedit auctor *Persequitur* vel *Insequitur.* Æneid. xii. 748.

——— nec minus Æneas
Insequitur, trepidique pedem pede fervidus urget.

Hoc ipsum est, *Insequitur et premit vestigia.*

653. *Sufficerent aliis primo tot mœnia cursu*

Rapta,] Veteres quatuor, cum magna comitum turba, *Tot primo:* quod ideo placet, quia TOT proximum quoque colon inchoat.

654. ——— *Tot oppressæ dejectis hostibus arces:*] Nostri omnes cum Romana et Veneta DEPULSIS. Illud alterum ex uno Modii codice adscitum est perperam, cum paulum infra v. 662. redeat, *Dejectis rupibus.* Porro pro OPPRESSÆ, quod plerique libri exhibent, Colbertinus prior INFESTÆ, secundus OBSESSÆ. Locus, ad hunc modum corrigendus

Sufficerent aliis *tot primo* mœnia cursu
Rapta, tot *INSESSÆ DEPULSIS* hostibus arces.

Lippiens aliquis Librarius pro *Insesse,* legebat *Infestæ.* subierunt postea Correctores, qui cum *Infestæ* minime huc quadrare intelligerent, *Obsessæ* et *Oppressæ* interpolabant. Atqui in promtu erat veram lectionem ex falsa illa exsculpere. Tot arces insessæ, possessæ, occupatæ Cæsaris præsidiis, hostium depulsis. Tacitus Hist. ii. 98. *Pannonicæ Alpes præsidiis insessæ: Annalium* xiii. 39. *Per montes ducebantur nostris præsidiis insessos. et* iv. 4. *Quamquam insideret urbem proprius miles.* sic Historici passim.

656. ——— *Sed Cæsar in omnia præceps,*] Quarto ante versu dixerat, *Premit vestigia Cæsar.* Filum ergo orationis persequere: *Cæsar* premit generi vestigia: sufficerent aliis tot oppida capta: sed *Cæsar* præceps in omnia. Placetne hoc tam putide repetitum? Immo ab auctore, sic profectum est,

——— Sed *DUCTOR* in omnia præceps

supra v. 489. de Cæsare,

PRÆCIPITEM cohibete *DUCEM.*

Præceps quidem ductor erat, omnia conficiens celeritate armorum: at non *præceps Cæsar,* non præceps totus: quippe

Italiam, extremo sedeat quod littore Magnus,
Communem tamen esse dolet: nec rursus aperto
Vult hostes errare freto, sed molibus undas
Obstruit, et latum dejectis rupibus æquor.
Cedit in immensum cassus labor: omnia pontus
Haurit saxa vorax, montesque immiscet arenis:

qui lentissimis artibus et consiliis regnum sibi fecerit.

657. *Nil actum credens, dum quid superesset agendum,*] Justinianus in Cod. vi. 35. 10. *Nihil etenim actum esse credimus, dum aliquid addendum superest.* Ubi forte ex Nostro AGENDUM reponi debet pro *Addendum.*

660. *Communem tamen esse dolet:*] Si seriem orationis evolvas, videbis illud TAMEN sententiam onerare caudamque male trahere. scripsit, opinor, Poëta,

Communem TERRAM esse dolet.

Tum aptissime succedit id, quod sequitur: *Nec rursus aperto vult hostes errare freto. Rursus* idem est quod *Contra: Terra* igitur et *Fretum* hic opponuntur, dolenter et ægre tulit Cæsar, vel *terra* Pompeium vel *mari* consistere. *Terram, Tamen,* apud veteres Librarios faciunt *Tr̄am, T̄am.*

661. —— *Sed molibus undas*
Obstruit, et latum dejectis rupibus æquor.] Mira hic seu Librarii sive Correctores facinora ediderunt. Illud vide: *Obstruit undas molibus, et latum æquor dejectis rupibus:* ubi posterius colon sine verbo incedit, pondere gravi et inutili: nihil enim sensui addit, nihil habet ex more geniove Lucani. Quid, quod *Latum æquor,* ineptissime hic dictum? quis enim tam demens ut tale irct obstructum? Quid denique est *dejectis rupibus?* injectis potius, aggerem enim injectum esse significat. Favebit lector non malignus, si tot in una sententia vitiis poëtam liberavero; sic ut non meam manum sed veterem Autoris restituam. Lege igitur.

———— sed molibus undas
Obstruit *ELIDITQUE INGESTIS* rupibus æquor.

Elidit æquor ingestis rupibus, ut Noster, vi. 56.

Tot potuere manus aut jungere Seston Abydo,
INGESTOQUE solo Phryxeum *ELIDERE PONTUM.*

Petronius, v. 120.

Expelluntur aquæ saxis, mare nascitur arvis.

Curtius de re simili, iv. 2. *Jamque a fundo maris in altitudinem montis opus excreverat* (lege ex codice vetusto, in altitudinem MODICAM) *nondum tamen aquæ fastigium æquabat: et quo longius* MOLES *agebatur a litore, hoc magis quicquid* INGEREBATUR *præaltum absorbebat mare.* Cæsar ipse Bel. Civ. i. 25. *Qua fauces erant* angustissimæ *portus, molem atque aggerem ab utraque parte litoris jaciebat, quod his locis erat mare vadosum. longius progressus, cum agger altiore aqua contineri non posset, rates duplices quoquo versus pedum* xxx. *e regione maris collocabat.* Vides, quod in vulgata lectione *latum æquor* est, id apud Cæsarem esse *fauces angustissimas.* unde locum esse depravatum certo intelligas; nec minus dubites de certa emendatione. nam et literarum ductus non multum abludunt, *elatudeiectis, eliditigestis.*

663. *Cedit in immensum cassus labor:*] *Cedere, cadere, in cassum, in vanum, in irritum,* intelligo quid velint. Seneca Thyeste, 1066. *Cecidit in cassum dolor.* Hyppolito, 182. *Cedit in vanum labor.* Sed *cedere in immensum,* aut nihil est, aut sententiæ plane contrarium. aut fallor, aut scripsit Poëta.

CRESCIT in immensum cassus labor.

Ut maris Ægæi medias si celsus in undas
Depellatur Eryx, nullæ tamen æquore rupes
Emineant, vel si convulso vertice Gaurus
Decidat in fundum penitus stagnantis Averni,
Ergo ubi nulla vado tenuit sua pondera moles,
Tunc placuit cæsis innectere vincula silvis,

Plinius Hist. xiv. 1. *Unde nobis crevit labor*. Met. iv. 660.

——— tum partes auctus in omnes.
Crevit in immensum.

Fast. v. 537.

Creverat immensum.

Duo igitur dicit auctor, et laborem crevisse in immensum, et incassum quoque cecidisse.

665. *Ut maris Ægæi medias si celsus in undas*
Depellatur Eryx,] Eryx Siciliæ mons ad promontorium Lilybæum. Quid ergo illi est cum mari *Ægæo*, quasi una ex Cycladibus esset? Certe in mare tam longinquum non *Depellatur*, sed *Projiciatur* dictum oportuit. unde factum, ut pro *Eryx* jam olim Sabellicus *Athos* substituerit? Atqui de Atho mox agetur v. 677. *In medium deferret Athon.* alius igitur lapis movendus est. Recte habet Eryx; sed pro *Ægæi*, vel, reponendum erit *Ausonii*, vel *Ionii*, vel *Æolii*. Strabo lib. ii. Τὸ Αὐσόνιον μὲν πάλαι, νῦν δὲ καλούμενον Σικελικὸν πέλαγος: *Quod olim Ausonium, nunc Siculum vocatum mare*. et. v. Τῶν δ' Αὐσόνων οὐδ' ἅπαξ οἰκησάντων ἐπὶ τῇ Σικελικῇ, τὸ πέλαγος ὅμως Αὐσόνιον καλεῖται. *Quamvis Ausones numquam habitaverint ad mare Siculum, id tamen pelagus Ausonium vocatur.* Pindarus ad Syracusas ponit Ἰόνιον θάλασσαν, Pyth. iii. ubi Scholiastæ, Ἰόνιον πέλαγος τὸ περὶ Σικελίαν, *Ionium pelagus, quod ad Siciliam est.* Lucretius i. 712. de Empedocle.

Insula quem triquetris terrarum gessit in oris;
Quam fluitans *CIRCUM* magnis anfractibus æquor
IONIUM glaucis adspergit virus ab undis.

Vides hunc totum *circa* Siciliam pelagus *Ionium* vocare. Alii pro tribus promontoriis tria maria assignant Ionium, Libycum, Tuscum. Claud. i. Proserp. 145.

Nunc illam, socia raptam tellure, trisulcam
Opposuit Natura mari: caput inde *Pachyni*
Respuit *Ionias* prætentis rupibus iras:
Hinc latrat *Gætula* Thetis, Lilybæaque pulsat
Brachia consurgens; hinc dedignata teneri
Concutit objectum rabies *Tyrrhena Pelorum*.

Silius xiv. 72.

Hic versi penitus Pelopea ad regna *Pachyni*
Pulsata Ionio respondent saxa profundo.

Denique et *maris Æolii* recte possis substituere. Silius xiv. 232.

Litora Thermarum, prisca dotata camena,
Armavere suos: qua mergitur Himera ponto
ÆOLIO.

Eryx, Himera sive Thermæ, Æoliæ insulæ, in eodem Siciliæ latere sitæ sunt: inde mare Æolium: Atque hoc vel ideo prætulerim, quia ab *Æolii* ad *Ægei* pronus et facilis lapsus est.

670. *Tunc placuit cæsis innectere vincula silvis,*] Quod Cæsar per *rates duplices* se effecisse dicit; id Noster per σχεδίαν et trabes connexas factum esse narrat. Potuit fide historica sic dixisse,

Tunc placuit *junctis* innectere vincla *carinis*.

672. *Tales fama canit tumidum super æquora Xerxem*
Construxisse vias,] Numquam commiserat Noster, ut versus tam scabre aspereque exiret, *Æquora Xerxem*. Recte igitur Colbertinus veterrimus PERSEN: *Tumidus Perses* satis superque Xerxem signat, ut *Medus* Juvenali x. 177.

Roboraque immensis late religare catenis.
Tales fama canit tumidum super æquora Xerxem
Construxisse vias, multum cum pontibus ausus,
Europamque Asiæ, Sestonque admovit Abydo,
Incessitque fretum rapidi super Hellesponti,
Non Eurum, Zephyrumque timens: cum vela, ratesque

————————— credimus altos
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente.

Cæterum pro *Construxisse* Bersmanni codex CONSTITUISSE; unus e recentioribus nostris, CONTRASSISSE. Tu auctoris manum repone,

Tales fama canit tumidum super æquora *PERSEN*
CONSTRAVISSE vias.

Plinius Hist. iv. 24. *Primas angustias Hellespontum vocant: hac Xerxes Persarum rex,* CONSTRATO *in navibus* PONTE, *duxit exercitum,* Justinus ii. 10. *Xerxes ante experimentum belli, fiducia virium, veluti naturæ ipsius dominus quædam maria* PONTIBUS STERNEBAT. Livius x. 47. VIA *a Martis Silice ad Bovillas* PERSTRATA *est.* Virgilius et Lucretius, STRATA VIARUM.

673. —— *Multum cum pontibus ausus, Europamque Asiæ, Sestonque admovit Abydo,*] Nihil tam putidum, tam ridiculum in quoquam, opinor, scriptore occurrit, quam *multum ausus pontibus.* piget eventilare; neque ullus Editorum probare hoc potuit; utcumque dissimulaverit. Ex Pomponii Melæ loco fluxisse hoc arbitror, ii. 2. *Est et regio, in qua Persarum exercitus divisas spatio pelagoque terras ausus pontibus jungere (mirum atque ingens facinus) ex Asia in Græciam pedes, et non navigata maria transmisit.* Cum hic dixisset, *ausus pontibus jungere,* Corrector aliquis hoc arripuit, et Lucano illevit. Atqui VIAS jam dixerat Noster, ut *Pontibus* addere ineptum fuerit. neque exitum habet oratio; deest enim *jungere* vel simile quid. Spero me sententiam saltem Auctoris e tenebris reduxisse: legere ergo poteris,

Constravisse vias; *TUM CUM DEMENTIBUS AUSIS*
EUROPEN Asiæ, Sestonque admovit Abydo.

Et *Ausis* quidem, quod vel sine codice in promtu erat, Colbertinus veterrimus habet. *Europen* autem Græca terminatione, ut *Seston*, Ovid. Met. v. 648.

Jam super *Europen* sublimis et Asida terram.

Sententia per se clara est. *Tum cum* et *multum cum*, passim habes, tam separatim quam junctim. Ovid. Heroid. i.

O utinam, *tum cum* Lacedæmona classe petebat,
Obrutus insanis esset adulter aquis.

ubi mendum obiter corrigendum. Cur enim *insanis aquis?* crediderim *sanas* potius dicendas fuisse, si justis fluctibus adulterum obruissent. Repono,

Obrutus *INCANIS* esset adulter aquis.

Incanus, πολιὸς, legitimum maris epitheton. Idem erratum in Virgilio hæsit Eclog. ix.

Huc ades, o Galatea, quis est nam ludus in undis?
Huc ades: insani feriant sine litora fluctus.

Legendum puto INCANI: quippe ex Theocrito verbum verbo expressum, Idyll. xi.

'Αλλ' ἀφίκευ τὺ ποτ' ἄμμι, καὶ ἑξεῖς οὐδὲν ἔλασσον
Τὰν ΓΛΑΥΚΑΝ δὲ θάλασσαν ἔα ποτὶ χέρσον ὀρεχθεῖν.

Poteris etiam, et fortasse verius;

Constravisse vias, *OLIM* cum *INGENTIBUS* ausis.

ut Mela, *Mirum atque* INGENS *facinus.*

675. *Incessitque fretum rapidi super Hellesponti,*

In medium deferret Athon. sic ora profundi
Arctantur casu nemorum: tunc aggere multo
Surgit opus, longæque tremunt super æquora turres.
Pompeius tellure nova compressa profundi
Ora videns, curis animum mordacibus angit,
Ut reseret pelagus, spargatque per æquora bellum.
Sæpe Noto plenæ, tensisque rudentibus actæ
Ipsa maris per claustra rates fastigia molis
Discussere salo, spatiumque dedere carinis:
Tortaque per tenebras validis ballista lacertis,
Multifidas jaculata faces. Ut tempora tandem
Furtivæ placuere fugæ: ne littora clamor
Nauticus exagitet, neu buccina dividat horas,
Neu tuba præmonitos perducat ad æquora nautas
Præcepit sociis. jam cœperat ultima Virgo
Phœbum laturas ortu præcedere Chelas,

Non Eurum, Zephyrumque timens:] Nihil sani coloris præfert iste versus: scripsit, ut reor, Poëta,

Incessitque *PEDES* rapi*DUM* super *Helles-ponTUM.*

Pedes peditis, quod pro accusativo plurali acceptum correctori alicui caliginem offudit. *Pedes, πεζὸς, incessit:* ut supra Mela, *Ex Asia in Græciam* PEDES *maria transgressus est*, *Zephyrumve* autem pro *Que* sensu ipso flagitante.

677. —— *Sic ora profundi Arctantur casu nemorum:*] Non hoc solo loco Interpolator aliquis vel in medios versus laciniam suam inseruit. credebat scilicet deesse hic aliquid, quo superior comparatio sequentibus aptaretur: ignarus, illud TALES *fama refert* ad priora, non posteriora vi ipsius verbi respicere. Unde vero tam bellum hoc sarcinavit? ex proximis nimirum versibus. versu 660 erat *Cæsis silvis;* istinc *casu nemorum* confecit; quasi *cadere* idem esset ac *cædere.* in eo vero et se et stuporem suum prodidit; quod *ora profundi* ex altero post versu est mutuatus; *compressa profundi Ora videns:* ne vulpeculæ quidem solertia imbutus, quæ numquam ex proximo furatur. Tolle igitur hoc alienum emblema; et auctorem sibi vindica,

In medium deferret Athon, [*sic ora profundi Artantur casu nemorum*] Tunc aggere multo
Surgit opus.

690. *Neu tuba præmonitos perducat ad æquora nautas*] Satis speciose confictus est hic versus. Tuba enim nautæ admonebantur ad vela et remos; cum e portu exeundum erat. Seneca Troad. 1044.

Et *tuba* jussi dare vela nautæ.

Idem Agamem. 427.

Signum recursus regia ut fulsit rate,
Et clara lentum remigem monuit *tuba.*

sed in eo deficit, quod quos in navibus paratos tuba Senecæ velis remisque incumbere jubet, hujus tuba ex tabernis et popinis *ad æquora perducat.* Atqui versu priore jam *nautæ* oppidum reliquerant,

Cum taciti solvere rates. non anchora voces
Movit, dum spissis avellitur uncus arenis:
Dum juga curvantur mali, dumque ardua pinus
Erigitur, pavidi classis siluere magistri:
Strictaque pandentes deducunt carbasa nautæ,
Nec quatiunt validos, ne sibilet aura, rudentes.
Dux etiam votis hoc te, Fortuna, precatur,
Quam retinere vetas, liceat sibi perdere saltem
Italiam. vix fata sinunt. nam murmure vasto
Impulsum rostris sonuit mare, fluctuat unda,
Totque carinarum permistis æquora sulcis,
  Ergo hostes portis, quas omnes solverat urbis
Cum fato conversa fides, murisque recepti,
Præcipiti cursu flexi per cornua portus
Ora petunt, pelagusque dolent contingere classes.
Heu pudor, exigua est fugiens victoria Magnus.

ne litora clamor Nauticus exagitet. Quid quod repetitio ipsa, primo *Nauticus*, mox versu sequente *Nautas*, et septimo post rursus *Nautæ*, manifeste Interpolatorem redarguat? Quamobrem, qui me audiet, inter spurios numerabit.

693. *Cum taciti solvere rates.*] Colbertinus prior, Trin. Arund. Bersmanni unus, et Pulmanni duo,

Cum *TACITAS* solvere rates.

Placet, ut figuratum magis et Poëticum.

697. *Strictaque pandentes deducunt carbasa nautæ,*] Nescio unde venerit illud *Pandentes:* nostri omnes veteres novique cum Rom. et Ven. PENDENTES. Silius iii. 129.

Et promota ratis, *pendentibus arbore nautis,*
Aptabat sensim pulsanti *carbasa* vento.

ubi frustra dubitat Heinsius, an *Pandentibus* scribendum sit. Ovid. Metam. vi. 232.

——— veluti cum præscius imbris
Nube fugit visa, *pendentiaque* undique rector
Carbasa deducit, ne qua levis effluat aura.

702. —— *Sonuit mare, fluctuat unda Totque carinarum permistis æquora sulcis.*] Quot nomina significationis ejusdem, *Mare, unda, æquora* in acervum congesta sunt? *Fluctuat unda æquoraque:* an quicquam pote putidius? *Que* etiam alieno loco venit: dicendum utique fuit *æquoraque;* nisi casu recto accipias TOT; *tot æquora,* non tot *carinarum.* Hæc non scripsisse Nostrum certo scio; ista vero, quæ daturus sum, scripsisse eum existimo,

——————— fluctuat unda
TORTA carinarum permixtis *VERBERE* sulcis.

Torta unda, ut Ovid. Fast. v. 644.

Ille meas *remis* advena *torsit aquas.*

Georg. iv. 528.

Hæc Proteus: et se jactu dedit æquor in altum.
Quaque dedit, spumantem *undam* sub vertice *torsit.*

Verbere scilicet remorum: *Fluctuat unda*, et sulcis carinarum et remorum verbere torta. Noster iii. 535.

——————— Bruti prætoria puppis
Verberibus senis agitur.

Angustus puppes mittebat in æquora limes
Arctior Euboica, qua Chalcida verberat, unda.
Hic hæsere rates geminæ, classique paratas
Excepere manus: tractoque in littora bello,
Hic primum rubuit civili sanguine Nereus.
Cætera classis abit summis spoliata carinis:
Ut Pagasæa ratis peteret cum Phasidos undas,
Cyaneas tellus emisit in æquora cautes,
Rapta puppe minor subducta est montibus Argo,

Silius xi. 493.

Centeno fractus spumabat *verbere* pontus.

et xiv. 360.

Verberibus torsere fretum: salis icta frequenti
Albescit pulsu facies: perque æquora late
Spumat canenti *sulcatus* gurgite limes.

707. —— *Pelagusque dolent contingere classes.*] Quot, quæso, classes, in uno portu? præsertim cum ex historia notum sit, et una et modica classe e Brundisio evasisse Pompeium. Sic mox v. 714. *Cætera classis abit;* non *cæteræ classes.* et iii. 1. *Propulit ut classem.* Colbertinus veterrimus CLASSIS. si CLASSEM reponere velis; acumen in eo erit, quod hi doleant classem contingere *Pelagus;* cum navigantes optent contingere *Portum.* Sin CLASSI magis arrideat, *Contingere* erit Evenire, apertum esse: et nullum erit, ut in duobus accusativis, ambiguum,

Scilicet ut Turno *contingat* regia conjunx.

711. —— *Classique paratas
Excepere manus:*] *Manus ferreas* seu uncos accipiunt hic interpretes: Cæsar ipse nihil tale habet. Bel. Civ. i. 28. *Duas,* inquit, *naves cum militibus, quæ ad moles Cæsaris adhæserant, scaphis lintribusque deprehendunt milites, deprehensas* EXCIPIUNT. ubi nota illud *Excipiunt;* et vel inde discas, veram hic esse Bersmanniani codicis lectionem PARATÆ: totumque adeo sic corrigendum:

—— *CÆDIQUE PARATÆ*
Excepere manus.

Quippe *Excipere* et hic et apud Cæsarem perinde est ac *Occidere.* *Paratæ cædi* active, expeditæ ad cædem. ut Æneid. ii. 334.

—— stat ferri acies, mucrone corusco
Stricta, *parata neci.*

Cædi sine dubio, non classi: ne v. 706. *classi,* hic iterum *classi,* et mox 714. *classis* summo tædio inculcentur.

714. *Cætera classis abit summis spoliata carinis:*] *Summis* interpretantur *extremis, ultimis,* ut iv. 155. *Jamque agmina summa Carpit eques.* Sed animum adverte, quod ex historia hoc redarguitur; non enim ideo captæ, quod *ultimæ* essent; sed quod *hærerent ad moles.* remis scilicet confractis, proris ad cautes illisis, carinis fundo insidentibus. Quis vero, nisi ligneus plane Poëta, *summas carinas* vel de totis navibus dixerit? id adeo, quia proprie pars *ima* navis carina est. scripsit auctor, aut augur ego vanus sum.

Cætera classis abit *SOCIIS* spoliata carinis.

Sociæ carinæ, ut *Socia arma, Socia agmina, Sociæ acies:* Ovid. Met. xiii. 352.

Nec tu cum *socia* clypeum pro *classe* tenebas.

Æneid. v. 35.

At procul e celso miratus vertice montis
Adventum *sociasque rates,* occurrit Acestes.

716. *Cyaneas tellus emisit in æquora cautes,*] Non tum solum, cum Argo Phasin peteret, Cyaneæ petræ concurrere solebant; sed antea semper. præterea

Vanaque percussit pontum Symplegas inanem,
Et statura redit. jam Phœbum urgere monebat
Non idem Eoi color ætheris, albaque nondum
Lux rubet, et flammas propioribus eripit astris,
Et jam Pleias hebet, fessi jam plaustra Bootæ
In faciem puri redeunt languentia cœli,
Majoresque latent stellæ, calidumque refugit
Lucifer ipse diem. pelagus jam, Magne, tenebas,
Non ea fata ferens, quæ, cum super æquora toto

hiulca et ἀσύνδετος oratio est, nec sapit auctorem, quem scripsisse credo,

> Cyaneas tellus *QUA* misit in æquora cautes.

Emisit *q̄misit*. Cum peteret Phasin, *qua* misit, &c. hoc est, cum peteret per cautes Cyaneas.

717. *Rapta puppe minor subducta est montibus Argo,*] Si rapta et abscissa erat *puppis;* vix fieri potuit, quin Argo mergeretur statim, et in mare desideret: et Tiphys gubernator, in puppe sedens, elideretur. nec famam igitur Auctor hic secutus est, si ita scripsit, nec sensum communem. satis utique est, si non tota *puppis*, sed pars ejus rapta sit; ut Æneid. v. 858.

> Et super incumbens, cum *puppis parte* revolsa
> Cumque gubernaclo, liquidas projecit in undas.

Ergo hic vel reponendum,

> Rapta *PARTE* minor subducta est montibus Argo.

parte Argus scilicet. Valerius Flac. iv. 690. de re eadem,

> Saxa sed extremis tamen increpuere corymbis
> *PARSQUE* (nefas) deprensa jugis: nam cætera cœlo
> Debita.

et viii. 194.

> Sat mihi non totis Argo, redit ecce corymbis.

Apollonius quoque ii. 603. Ἔμπης δ' ἀφλάστοιο παρέθρισαν ἄκρα κόρυμβα. vides non *puppem* ipsam, sed κόρυμβα τοῦ ἀφλάστου, extremam puppis partem abscissam fuisse: vel denique ex tribus Bersmanni libris, et Veneta, reponendum, RUPTA *puppe:* ut vel eo ipso pars tantum puppis *rapta* intelligatur. Priscianus tamen, ut nostræ omnes membranæ, p. 761. ubi de ablativis *puppi* et *puppe* agit, *Rapta puppe* habet: et sic ibi codex insignis Cantab. Mox quod sequitur,

> Vanaque percussit pontum Symplegas inanem,

imitatus est Valer. Flaccus iv. 221.

> Et ponto volitet Symplegas inani.

722. —— *Fessi jam plaustra Bootæ*] *Piger* quidem et *tardus* recte dicitur Bootes; qui non longe a polo situs in minore circulo tardius ire videatur necesse est. Aut cur *fessus* dicatur, qui æquali semper tenore circumagitur, nec ratio nec exemplum est. FLEXI habent omnes codices cum Rom. et Ven. *Flexi plaustra Bootæ* vel poëtice pro *flexa plaustra;* vel, quod verum est, quia quibus neutrum sidus umquam occidit, *flecti* et *verti* tam Bootes quam plaustrum videtur. Noster iv. 523.

> ——— *flexoque* Ursæ *temone* paverent.

Ovid. Met. x. 447.

> *Flexerat* obliquo *plaustrum temone* Bootes.

Seneca Herc. Fur. 129.

> Signum celsi glaciale poli
> Septem stellis Arcades ursæ
> Lucem *verso temone* vocant.

ubi corrigendum obiter, ut puto:

> Signum *celso* glaciale *polo*
> Septem Stellis *Arcados* ursæ

Prædonem sequerere mari. lassata triumphis
Descivit fortuna tuis. cum conjuge pulsus,
Et natis, totosque trahens in bella penates,
Vadis adhuc ingens populis comitantibus exul.
Quæritur indignæ sedes longinqua ruinæ.
Non quia te Superi patrio privare sepulcro

Lucem verso temone *vocat.*

Non enim utraque ursa Arcades; minor Cressa est, nec temonem habet.

726. —— *Quæ, cum super æquora toto*
Prædonem sequerere mari.] Lepida vero oratio, *Toto mari super æquora.* sed et vulnus et auxilium hic ferunt Librarii. MARIS habent Puteaneus et Harleianus. Pro *Toto,* Meadianus, Arundelianus, *Tota;* Bersmanni codex, et pro varia lectione Colbert. secundus, VICTOR: quod Interpolator aliquis, vulgata lectione merito offensus, videtur substituisse. scripsit enim auctor.

——— Quæ cum super æquora *TOTA*
Prædonem sequerere *MARIS.*

Prædo maris est Pirata. Nepos in Themistocle: *Deinde* maritimos prædones *consectando, mare tutum reddidit.* Val. Maximus vi. 9. *C. Cæsar a* maritimis prædonibus *circa insulam Pharmacusam exceptus.* TOTA *æquora,* ut de re eadem Florus iii. 6. *Sic per omnes æquoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas, quicquid piratarum fuit, quadam indagine inclusum et oppressum est.*

727. —— *Lassata triumphis*
Descivit Fortuna tuis.] Ita scribi convenit, non *deseruit.* Nullus enim sequitur accusativus. Grotius. Codices plerique cum Ed. Rom. DESTITUIT. Pulmanni duo DESERUIT, unus CESSAVIT; Veneta RECESSIT. Colbertini duo et Cantab. et Pulmanni unus DESCIVIT. atque ita Lactantius ad Statii Theb. ii. 311.

Respiciens *DESCISSE* deos, trepidoque tumultu
Dilapsos comites.

ubi Scholiastes, *Descisse, quasi ab amicitiis, ut civitas, quæ ad hostes decurrit, Descire dicitur: ut Lucanus: Lassata triumphis Descivit Fortuna tuis.* Hanc autem lectionem merito Grotius in textum adscivit. Primus insurgit vero Gronovius ad Senecam De ira ii. 10. ubi Grotii verba citans (Descivit, ita *scribi convenit non* Deseruit, *nullus enim sequitur accusativus*) *Neque necesse erat,* inquit, *sequi; et phrasis non erat reprehendenda.* Deinde satagit, ut verbum *Deserere* absolute poni ostendat. cum larvis hic luctatur vir egregius: certum enim mihi est, et si in notula est *Deseruit,* in animo tamen habuisse Grotium *Destituit.* Quippe ita habent Editiones Grotianæ priores; nulla omnino *Deseruit.* et cum dixit, *nullus enim sequitur accusativus,* de *Destituit* id dictum volebat; et ea phrasis recte reprehensa est, Quippe, si *Destituit* tibi magis arrideat, tam sic refinges

——— lassata trium*PHOS*
Destituit Fortuna tuos.

Lassata destituit. *Destituit,* quæ defatigata sustinere amplius nequit; at *Descivit* infida, non lassa. Seneca Epist. lxxi. Scipionem in Africa nominis sui *fortuna destituit.* Seneca Controv. i. *Dederunt victis terga victores, et quos provexerat* Fortuna, DESTITUIT. Idem Controv. ix. *Omnis fortunæ blandientis speciosus cum periculo nitor: et sine causa sæpe fluit, et sine ratione* DESTITUIT. ubi pro *Fluit,* reponendum *Fovit.* Silius xi. 39.

Maluerint: Phariæ busto damnantur arenæ:
Parcitur Hesperiæ, procul hoc ut in orbe remoto
Abscondat Fortuna nefas, Romanaque tellus
Immaculata sui servetur sanguine Magni.

Sic tum fortuna fovebat.

Lassata absolute, sine ablativo sequente. ut Ovid. Met. vi. 353.

——————— non ego nostros
Abluere hic artus *lassataque* membra parabam.

734. *Parcitur Hesperiæ, procul hoc ut in orbe remoto*
Abscondat Fortuna nefas,] Vitiosa hæc ratio est; non enim *parcitur Hesperiæ*, ut Fortuna procul abscondat nefas: sed Fortuna nefas procul abscondit, *ut parcatur Hesperiæ*. Hæc igitur sententia Lucano redonanda est. Colbert. duo, Harleianus, Trin. Cantab. Regius, Bersmanni quattuor cum Rom. ET habent, non UT. unus autem ex Bersmanni penu ABSCONDIT et SERVATUR. Lege igitur,

Parcitur Hesperiæ: procul hoc *ET* in orbe remoto
ABSCONDIT Fortuna nefas: Romanaque tellus
Immaculata sui *SERVA*tur sanguine Magni.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER TERTIUS.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER TERTIUS.

PROPULIT ut classem velis cedentibus Auster
Incumbens, mediumque rates tenuere profundum,
Omnis in Ionios spectabat navita fluctus:
Solus ab Hesperia non flexit lumina terra

1. *PROPULIT ut classem velis cedentibus Auster Incumbens,*] Ventos *velis marique incumbentes* legisse memini, ut Æneid. i. 88.

Incubuere mari, totumque a sedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt.

Valer. Flaccus ii. 59.

Adde quod in noctem venti veloque marique
Incumbunt magis.

Sed et absolute *Incumbunt*, ut xii. 367.

Qua venti incubuere, fugam dant nubila cœlo.

Illud hic observandum; totum illud *velis cedentibus auster* in Colbertino veterrimo a manu secunda esse, priore lectione quæcumque esset erasa. Eam vero e sepulcro me reduxisse arbitror; tu arbiter sedebis.

Propulit ut classem, *REMIS CESSANTIBUS*, Auster
Incumbens.

Nimirum vento secundo incumbente et valide aspirante, remiges otiantur. Æneid. v. 832.

—— Ferunt sua flamina classem——
—— placida laxarant membra quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautæ.

Atque hanc emendationem unice probat versus tertius,

Omnis in Ionios spectabat navita fluctus.

Si enim ad remos sedissent nautæ; necesse erat ut ipsi quoque non Ionium mare, sed Italiam spectarent. *Incumbens*, absolute ut Virg. supra et Noster v. 419.

Hic utinam summi curvet carchesia mali,
Incumbatque ferens, et Graia ad mœnia perflet.

Restat jam, ut quid plumbeus ille AUSTER afferat, tandem videamus. Certe in veterrimo codice, ut dictum est, non a prima manu fuit; sed ab interpolatrice. Cicero ad Attic. ix. 6. *Conscendisse dicitur* (Pompeius a Brundisio) A. D. iv. *nonas Mart. ex ea die fuere Septentriones venti.* Consules autem duo, qui eundem, quem nunc Pompeius, cursum tenebant, non *Austro* e Brundisio exibant, sed *Borea:* ii. 646.

Et vos, qui Latios signastis nomine fastos,

Magnus, dum patrios portus, dum littora nunquam
Ad visus reditura suos, tectumque cacumen
Nubibus, et dubios cernit vanéscere montes.
Inde soporifero cesserunt languida somno
Membra ducis: diri tum plena horroris imago
Visa caput mœstum per hiantes Julia terras
Tollere, et accenso furialis stare sepulcro.
Sedibus Elysiis, campoque expulsa piorum
Ad Stygias (inquit) tenebras, manesque nocentes,

Primus in Epirum *Boreas* agat.

Et Cæsar etiam, e Brundisio soluturus eodemque tendens, Aquilonem seu Borean optat v. 416.

Nec maris anfractus lustrandaque litora nobis,
Sed recti fluctus soloque *Aquilone* secandi:
Hic utinam summi curvet carchesia mali,
Incumbatque ferens, et Graia ad mœnia perflet.

Et Antonius quoque cum sociis v. 703. ex Brundisio eandem regionem petens.

Nec non Hesperii lassatum fluctibus æquor
Ut videre duces, puroque insurgere cœlo
Straturum pelagus *Borean*, solvere carinas.

Tantum abest, ut a Brundisio in Græciam Auster ferat; ut ex eo portu Italiæ litora legentibus Austro opus sit. Strabo vi. *A Brundisio Barium tendentibus, sive terra sive mari, Egnatia diversorium est:* ὁ δὲ πλοῦς νότῳ, *navigatur autem Austro.* Quod si a Brundisio ad Barium in eodem litore situm, Auster ducit; quomodo ad opposita Græciæ litora? Si omnes alii Borea seu Aquilone feruntur, quomodo Pompeius Austro? Rescribe integrum locum,

Propulit ut classem, *REMIS CESSANTIBUS, AURA*
Incumbens.

Aura incumbens, ut Noster v. 717.

Cum Primum redeunte die violentior *AER*
Fluctibus *INCUBUIT*, Phœbeo concitus ortu.

8. *Inde soporifero cesserunt languida somno Membra ducis:*] Scribe Somno; ut deus notetur, alioqui *somnus soporifer* perinde esset ac *somnus somnifer*.

9. —— *Diri tum plena horroris imago*] Omnes quidem codices TUM; sed reponendum est, CUM; quod verum esse scient, qui bonos auctores bene legerunt. Æneid. i. 40.

Vix e conspectu Siculæ telluris in altum, *&c.*
CUM Juno æternum servans sub pectore vulnus.

et ii. 690.

Talia vociferans gemitu tectum omne replebat;
CUM subitum dictuque oritur mirabile monstrum.

Ita passim, et ubique.

11. —— *Et accenso furialis stare sepulcro.*] Julius Scaliger in Hypercritico suo, *Quis*, inquit, *cum ferat excientem Juliæ umbram; quam ab Elysiis exactam scribit, ob culpam crimenque viventium?* Quis vero patienter ferat tantum virum præ livore quod lubet calumniantem? non *exciet* umbram sacris magicis; sed Pompeio somnium modo affingit, quod ille vanum esse pronuntiet? nec magis aut æque injustum, pias umbras ex Elysio per tempus aliquantum propter crimina patris et mariti; quam Tonantis matronam ob unius Paridis judicium omnes Troas et ipsum pium Ænean internecino odio prosequi: quod idolum Scaligeri Virgilius per totum opus inducit. Quid autem filia Tonantis e capite ipso nata? nempe innocentes perdere sustinuit;

———— exurere classem

Post bellum civile trahor. vidi ipsa tenentes
Eumenidas, quaterent quas vestris lampadas armis,
Præparat innumeras puppes Acherontis adusti
Portitor: in multas laxantur Tartara pœnas.
Vix operi cunctæ dextra properante sorores
Sufficiunt: lassant rumpentes stamina Parcas.
Conjuge me lætos duxisti, Magne, triumphos:
Fortuna est mutata toris: semperque potentes
Detrahere in cladem fato damnata maritos

Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto
Unius ob noxam et furias Ajacis Oilei.

Si cœlestium animarum talis apud Maronem justitia est; quam injusta Scaligeri querela est de Diis Inferis Lucani? Adeo cæcutiunt et favor et simultas. Quanto justius accusasset Scaliger, quod *Furialem* fecerit Juliam; quod *accenso* sepulcro processisse finxerit, et tamen per *hiantes terras?* sed ne hæc quidem Lucani crimina sunt, sed injuriæ Librariorum. Pro *Furialis* dedit ille *Feralis*, lugubris, mœsta, ut vi. 623. *Feralis strideat umbra.* Probat hoc v. 35.

Umbra per *amplexus* trepidi dilapsa mariti.

An ille vel in somnio *furialem* amplexu peteret? neque *Accenso* a manu Poëtæ est. Equidem fateor, non semel hic occurrere *Sepulcrum* pro *Rogo*, ut vi. 526.

——— et *accenso* rapuit quæ tura *sepulcro*,

et 765.

——— tali sua membra *sepulcro*,
Talibus exuram ———

et ix. 54.

Ostenditque rogum non justi *flamma sepulcri.*

Sed cum *hiantes terras* jam dixerit, vel inde constat *sepulcrum* non de *rogo* aut *pyro*, sed proprie de tumulo seu monumento accipi. Legerim ergo,

Visa caput mœstum per hiantes Julia terras
Tollere, et *EFFRACTO FERALIS* stare sepulcro.

Hiantes terræ et *effractum sepulcrum* unius et ejusdem rei variatio est. sic et Patruus in Troad. 180. de Achillis umbra ex inferis prodeunte,

Et *hiatus* Erebi pervium ad superos iter
Tellure fracta præbet, et *tumulum* levat.

Ovid. de eadem xiii. 442.

Exit humo late rupta.

Noster i. 383.

Agricolæ *fracto* Marium fugere *sepulcro.*

et vi. 544.

Effractos circum *tumulos* et busta vagati.

16. *Præparat innumeras puppes Acherontis adusti Portitor:*] Cum *innumeras puppes* dixerit, moratius hic Epitheton fuisset *Acherontis avari;* sed noluit, credo, Virgilio hoc debere. *Adusti*, de *Phlegetonte* frequentius, quam de *Acheronte* usu venit, sed sic et alibi, vi. 704.

——— Tuque o flagrantis portitor undæ.

et Silius xi. 476.

——— pallida regna
Bistonius vates *flammisque Acheronta sonantem.*
Placavit plectro.

20. *Conjuge me lætos duxisti, Magne, triumphos:*] Hoc ex historia falsum: tertius enim et postremus Magni triumphus ante Juliæ nuptias actus est, A. DCXCII; illæ factæ A. DCXCV.

23. *Innupsit tepido pellex Cornelia busto.*] Ita scribendum, non *enupsit.* vide Nonium voce *innubere.* Grotius. *Tepido busto* legitima sane phrasis, ut contra *Gelido.* Martial. v. 37.

Innupsit tepido pellex Cornelia busto.
Hæreat illa tuis per bella, per æquora signis,
Dum non securos liceat mihi rumpere somnos,
Et nullum vestro vacuum sit tempus amori,
Sed teneat Cæsarque dies, et Julia noctes.
Me non Lethææ, conjux, oblivia ripæ
Immemorem fecere tui, regesque silentum
Permisere sequi. veniam, te bella gerente,
In medias acies. nunquam tibi, Magne, per umbras,
Perque meos manes generum non esse licebit.
Abscindis frusta ferro tua pignora. bellum
Te faciet civile meum. Sic fata, refugit
Umbra per amplexus trepidi dilapsa mariti.
Ille, Dei quamvis cladem, manesque minentur,
Major in arma ruit, certa cum mente malorum.
Et, quid (ait) vani terremur imagine visus?
Aut nihil est sensus animis a morte relictum,
Aut mors ipsa nihil. Titan jam pronus in undas
Ibat, et igniferi tantum demerserat orbis,

Adhuc recenti *tepet* Erotion *busto*

Stat. Silv. v. 3. 243.

——— certe sejungere matrem
Jam *gelidis* nequeo *bustis*.

Sed *innubere busto* vereor, ne minus hic conveniat. Nonius Grotio citatus, *Innubere positum transire* (lege, *transitive*) *quod hæ quæ nubunt, ad domos mariti transeunt.* Lucilius Sat. lib. vi. *Suam enim invadere atque innubere censent.* Ergo hac sententia, in Juliæ bustum transiit Cornelia? Sola, credo, sic busto innupsit Priami filia Polyxena, quæ ad Achillis bustum ut sponsa illi mactata est. *Innupsit* Colbertini duo, et totidem Pulmanni, et pro varia lectione Puteaneus: non ut cæteri cum Rom. et Ven. EN NUPSIT. Corrigendum,

Innupsit tepido pellex Cornelia *LECTO*.

Fidem tibi faciet Ovidius Met. vii. 860.

——— per nostri fœdera *lecti*
Perque deos supplex oro superosque meosque,
Ne *thalamis* Auram patiare *innubere* nostris.

et Heroid. vi.

Quod gemit Hypsipyle, *lecti* quoque *subnuba* nostri
Mœreat.

Quintilianus Declam. cccxxxviii. *In torum adhuc prioris uxoris vestigio calentem adducta est nova nupta.*

31. —— *Nunquam tibi, Magne, per umbras,*
Perque meos manes generum non esse licebit.] Colbertinus prior, Puteaneus, Trin. Meadianus, Pulmanni unus, GENERO. Rectissime,

Nobis non licet esse tam *disertis*.

Mox ABSCIDIS, Codices plerique omnes cum Rom. et Ven. a *Cædo* scilicet, non a *Scindo*.

37. —— *Certa cum mente malorum.*] Repono:

Certa *JAM* mente malorum.

Sic enim solet Noster, ut vi. 1.

Quantum deesse solet lunæ, seu plena futura est,
Seu jam plena fuit: tunc obtulit hospita tellus
Puppibus accessus faciles: legere rudentes,
Et posito remis petierunt littora malo.
Cæsar, ut emissas venti rapuere carinas,
Absconditque fretum classis, et littore solus
Dux stetit Hesperio, non illum gloria pulsi
Lætificat Magni: queritur quod tuta per æquor
Terga ferant hostes. neque enim jam sufficit ulla
Præcipiti fortuna viro: nec vincere tanti,
Ut bellum differret, erat. tunc pectore curas
Expulit armorum, pacique intentus agebat,
Quoque modo vanos populi conciret amores,
Gnarus et irarum causas, et summa favoris
Annona momenta trahi. namque asserit urbes
Sola fames, emiturque metus, cum segne potentes
Vulgus alunt. nescit plebes jejuna timere.
Curio Sicanias transcendere jussus in urbes,
Qua mare tellurem subitis aut obruit undis,

Postquam castra duces, pugnæ jam mente, propinquis
Imposuere jugis.

40. *Aut mors ipsa nihil.*] Hoc ex Patruo sumsit mutuum; Troad. 397.

Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil.

47. —— *Et littore solus*
Dux stetit Hesperio,] *Cæsar stetit litore Hesperio solus dux:* altero nempe duce Pompeio extra Hesperiam fugato.

54. *Quoque modo vanos populi conciret amores,*] Codices duo Regii, *Populi vanos.* Cur vanos amores? Jure hoc olim displicuit Francisco Modio Epist. lxv. *Qui enim* vani *amores populi; quos in bello deditiones oppidorum et gentium, fere subsequuntur?* sed cum Idem VARIOS substituit pro *vanos*, dum apicibus literarum serviliter adhæret, inepto uno relegato, ineptius aliud sufficit. *veros* potius oportebat, quam *varios*, sed aliud est in hoc versu intolerabile, Modio non animadversum. Quis enim umquam sic locutus est, *Concire amorem? Concire iram, odium, invidiam, simultates,* passim invenies; *amorem* aut *gratiam* nusquam. sed esto hoc: erga quem *conciret?* se an Pompeium? dictum hoc, non intellectum oportuit. Non patiemur nitidissimum poëma vel socordia vel flagitio Librariorum obsolescere: Habeant illi suum sibi *vanos;* quod ideo inseruerunt, quia pes ex versu exciderat. Derat auctor,

Quoque modo populi *SIBI CONCILIARET* amores.

56. —— *Namque asserit urbes*
Sola fames] Corrige URBEM: hoc est, Romam. Ibi enim nec alibi, Frumentum publice et gratuito plebi datum. Appianus diserte hoc dicit.

58. —— *Nescit plebes jejuna timere.*] Ex eodem fonte prudentiæ illud Severi

Aut scidit, et medias fecit sibi littora terras.
Vis illic ingens pelagi, semperque laborant
Æquora, ne rupti repetant confinia montes:
Bellaque Sardoas etiam sparguntur in oras.
Utraque frugiferis est insula nobilis arvis,
Nec plus Hesperiam longinquis messibus ullæ,
Nec Romana magis complerunt horrea terræ.
Ubere vix glebæ superat, cessantibus Austris,
Cum medium nubes Borea cogente sub axem,
Effusis magnum Libye tulit imbribus annum.

Imperatoris: *Miles non timet nisi vestitus, calceatus, satur, et habens aliquid in zonula.* Grotius.

66. *Nec plus Hesperiam longinquis messibus ullæ,*
Nec Romana magis complerunt horrea terræ.] Colbertinus alter et Harleianus, *nec* PRIUS. Colb. veterrimus nec PRIMUS *longinquis:* omisso illo *Hesperiam.* latet hic ulcus. Quid enim est, *nec plus* (vel prius) *Hesperiam, nec Romana magis horrea?* quid interest inter illam, et hæc? eadem prorsus sunt: aut verbo saltem distinxisse oportuit; et *Hesperiam totam, et in hac præsertim Romam.* sed huic distinctioni non erat locus: Hesperia enim, si Romam demseris, suis ipsa cultoribus sine messe aliena sufficiebat. Illud in veterrimo codice MUS ex prima veræ lectionis syllaba profluxit; quæ, aut fallor, aut hæc erat,

> Nec plus *MASSILIAM* longinquis messibus ullæ
> Nec Romana magis complerunt horrea terræ.

Massilia, urbs nobilissima, Roma ipsa quondam major, et ipsa propter solum saxosum aliena messe indigebat, et eam in regiones dissitas in suo portu emtam navibus deportabat. Strabo. iv. *χώραν ἔχουσιν οἱ Μασσαλιῶται ἐλαιόφυτον μὲν καὶ κατάμπελον, σίτῳ δὲ λυπροτέραν διὰ τὴν τραχύτητα· ὥστε πεποιθότες τῇ θαλάττῃ μᾶλλον ἢ τῇ γῇ, τὸ πρὸς ναυτιλίας εὐφυὲς εἵλοντο μᾶλλον.* Hoc est, *Massilienses solum habitant oleis et vitibus accommodum; a frumento vero* propter asperitatem alienum. fiducia igitur peritiæ nauticæ, hoc importato utuntur.

71. *Hæc ubi sunt provisa duci, tunc agmina victor*
Non armata trahens,] Colbertinus prior, cum majore nostrorum parte, ut et Pulmanni Bersmannique, DUCTOR, non *victor.* Certe *Duci* et *Victor* in eodem colo non nimis venuste: neque *Victor* satis apposite, cum inermes milites incederent. scripsit, opinor, auctor,

> Hæc ubi sunt provisa *SATIS;* tunc agmina *DUCTOR.*

Prior syllaba τοῦ *Satis* a præcedente absorpta est.

77. —— *Celsos ut Gallia currus*
Nobilis, et flavis sequeretur mista Britannis!] Multa hic mendosa sunt; *Gallia* hic debet simulacrum esse Galliæ in pompa ductum: cur itaque *Nobilis?* potius certe *Flebilis;* sic enim formabantur effigies gentium triumphatarum. Quale vero illud, *Nobilis Et mista Britannis?* nusquam vidi conjunctionem tam putide intrusam. Qui autem fieri potuit, ut *effigies Galliæ vivis Britannis misceretur?* Denique quid illud, *Sequeretur currus*, contra omnem Romanorum morem? *præcederet* certe, non sequeretur. Scripsit, ni valde fallor, Lucanus,

> ———— Celsos ut GalliCA currus
> NobiliTAS flavis *ANTEIRET* mista Britannis.

Hæc ubi sunt provisa duci, tunc agmina victor
Non armata trahens, sed pacis habentia vultum,
Tecta petit patriæ, pro! si remeasset in urbem,
Gallorum tantum populis, Arctoque subacta,
Quam seriem rerum longa præmittere pompa,
Quas potuit belli facies! ut vincula Rheno,
Oceanoque daret! celsos ut Gallia currus
Nobilis, et flavis sequeretur mista Britannis!
Perdidit, o! qualem vincendo plura triumphum!
Non illum lætis vadentem cœtibus urbes,

Jam verba legitima sanamque sententiam habes. *Gallica nobilitas*, hoc est, *Nobiles Galli*, flavis Britannis mixti. Noster ii. 101.

> Nobilitas cum plebe perit.

et vii. 58.

> ——— permista secundo
> Ordine nobilitas.

Cicero de Natura Deorum, *sed negligentia nobilitatis, veritas auspiciorum spreta est, species tantum retenta.* et pro Rabirio, *Cum omnes Prætores, cuncta nobilitas.* Nobiles Galli: nimirum duces et principes gentium devictarum catenati *ante ibant* currum triumphantis. Cicero in L. Pisonem 25. *Disseres de triumpho, Quid tandem habet iste currus? quid vincti* ANTE *currum duces? quid simulacra oppidorum?* Lactantius i. 11. *Non insulse quidam Poëta, triumphum Cupidinis scripsit et inseruit pompam in qua Juppiter cum cæteris Diis* ANTE *currum triumphantis ducitur catenatus.* Ovid. Pont. ii. 8.

> Sic fera jam primum pavido Germania vultu,
> *Ante* triumphantes serva feratur equos.

et Trist. iv. 2.

> Ergo omnis poterit populus spectare triumphos,
> Cumque ducum titulis oppida capta leget.
> Vinclaque captiva reges cervice gerentes
> *Ante* coronatos ire videbit equos.

et mox,

> *Hos super* in curru, Cæsar, victore veheris.

et Arte Amat. i. 215.

> Ergo erit illa dies, qua tu, pulcherrime rerum,
> Quattuor in niveis aureus ibis equis?
> Ibunt *ante* duces, onerati colla catenis:
> Ne possint tuti qua prius esse fuga.

Silius de Scipionis triumpho xvii. 630.

> *ANTE* Syphax, feretro residens, captiva premebat
> Lumina.

Claudian, vi. Honor. 377.

> Jamque parabantur pompæ simulacra futuræ
> Ut Massyla tuos *ANTEIRENT* oppida currus.

et de Scipione Africano Præf. ad ii. Stilich.

> Cum longi Libyam tandem post funera belli
> Ante suas mœstam cogeret ire rotas.

Seneca quidem in Troasi, de Priamo, 153.

> Non assuetas ad sceptra manus
> Post terga dabit; currusque *sequens*
> Agamemnonios, aurea dextra
> Vincula gestans, lætis fiet
> Pompa Mycenis.

Sed Lucanus neque nescire potuit morem patrium, nec oblivisci.

80. *Non illum lætis vadentem cœtibus urbes,*
Sed tacitæ videre metu.] Repone,

> ——— sed taci*TO* videre metu.

Non lætis cœtibus, sed tacito metu. Lucretius vi.

> Mussabat *tacito* medicina *timore.*

Sed tacitæ videre metu. non constitit usquam
Obvia turba duci: gaudet tamen esse timori
Tam magno populis, et se non mallet amari.
   Jamque et præcipites superaverat Anxuris arces,
Et qua Pontinas via dividit uda paludes,
Qua sublime nemus, Scythicæ qua regna Dianæ;
Quaque iter est Latiis ad summam fascibus Albam:
Excelsa de rupe procul jam conspicit Urbem,
Arctoi toto non visam tempore belli:
Miratusque suæ, sic fatur, mœnia Romæ:
Tene, Deum sedes, non ullo marte coacti
Deseruere viri! pro qua pugnabitur urbe?
Dii melius, quod non Latias Eous in oras
Nunc furor incubuit; nec juncto Sarmata velox
Pannonio, Dacisque Getes admistus: habenti
Tam pavidum tibi, Roma, ducem Fortuna pepercit,
Quod bellum civile fuit. Sic fatur, et Urbem
Attonitam terrore subit. namque ignibus atris
Creditur, ut captæ, rapturus mœnia Romæ,
Sparsurusque Deos. fuit hæc mensura timoris:

81. —— *Non constitit usquam Obvia turba duci:*] Præstantissimus N. Heinsius ad Claud. ii. Rufin. 427. *Vacuo plebs obvia muro Jam secura fluit;* ex isto loco sic apud nostrum corrigendum censet,

—— Non *CONFLUIT* usquam
Obvia turba duci.

Cæsar Brundisio Romam petebat, via Appia. de *urbibus*, quæ in ista via sunt, dixerat auctor, tacito eas metu vadentem Cæsarem transmisisse: nunc de ipsa *via* narrat, eos qui Cæsari occurrebant, non *constitisse*, sed iter continuasse, neglecto eo et insalutato, Quare recte, opinor, habet CONSTITIT; et, quod omnes fere codices cum Ed. Veneta, NEC *constitit.*

85. *Et qua Pontinas*] Scribendum *Pomtinas.* Est enim a Pometia, omissa vocali. Grotius.

88. *Excelsa de rupe procul jam conspicit Urbem,*] Deest orationi Conjunctio, quam codex Academicus subministrat,

ET CELSA de rupe procul jam conspicit urbem.

Simile mendum Virgilio inhæret, Æn. v. 35.

At procul excelso miratus vertice montis
Adventum sociasque rates, occurrit Acestes.

Legendum enim, *At procul* E CELSO: ut viii. 112. *Et procul e tumulo.*

95. —— *Dacisque Getes admistus:*] Codex Trin. pro varia lectione *Ducis* VE. illud recte. sed et aliud restat: quale enim illud *Admixtus?* quasi de medicamento componendo, non de hominibus ageretur. Quin et si *Admixtus Getes* recte dici possit; nimis adfine tamen esset *Juncto Pannonio.* codex Bersmanni ADMOTUS; sed egregie Arundelianus, ADIUTUS.

Velle putant, quodcunque potest. non omnia festa,
Non fictas læto voces simulare tumultu:
Vix odisse vacat. Phœbea palatia complet
Turba Patrum, nullo cogendi jure Senatus,
E latebris educta suis: non Consule sacræ
Fulserunt sedes: non proxima lege potestas
Prætor adest: vacuæque loco cessere curules.
Omnia Cæsar erat. privatæ Curia vocis
Testis adest. sedere Patres censere parati,
Si regnum, si templa sibi, jugulumque Senatus,
Exiliumque petat. melius, quod plura jubere
Erubuit; quam Roma pati. tamen exit in iram
Viribus an possent obsistere jura per unum
Libertas experta virum. pugnaxque Metellus
Ut videt ingenti Saturnia templa revelli
Mole, rapit gressus, et Cæsaris agmina rumpens,
Ante fores nondum reseratæ constitit ædis.
(Usque adeo solus ferrum, mortemque timere
Auri nescit amor. pereunt discrimine nullo
Amissæ leges: sed pars vilissima rerum

101. —— *Non omnia festa,*
Non fictas læto voces] Colbertinus alter, Puteaneus, Harleianus, Cantab. NEC *fictas*. *Festa omina*, habent omnes. Corrigendum tamen videtur FAUSTA. *Non omina fausta.* Justinus xx. 2. *Faustisque profecti ominibus, solatia suis pro auxiliis deportant.* Tacitus Annal. i. 35. *Faustis in Germanicum* ominibus; ubi plura vide apud Gronovium.

105. ——— *Non consule sacræ*
Fulserunt sedes:] Non placent istæ *sedes*, quæ si Consules tum adfuissent, non fulsissent, sed tectæ essent. Sed *Sedes sacræ* erant, sed totum Apollinis templum. Quid quod, tertio, post versu, *Sedere* est. Corrigendum igitur,

——————— Nec Consule sacræ
Fulserunt *ÆDES.*

Plinius Hist. xxxv. 6. *Exstant hodieque Ardeæ in* ædibus sacris. et xxxvi. *Alcamenis sunt opera Athenis complura in* ædibus sacris.

110. —— *Jugulumque Senatus,*
Exiliumque petat.] Lege *Exilium*VE: non enim utrumque, et jugulum et exilium: *Senatus* autem, absentis, qui cum Pompeio erat: quippe hi, qui *sedere Patres*, Senatus nomine indigni.

113. *Viribus an possent obsistere jura*] Puteaneus, Harleianus, Cantab. Bersmanni unus, POSSINT. Recte: non an eo solum tempore *possent*, sed an quovis tempore *possint*.

120. ——— *Sed pars vilissima rerum*
Certamen movistis, opes] Colbertinus prior, Harleianus, et Bersmanni unus, ET *pars*. *Et* melius cum sententia quadrat, quam *Sed*. Olim scribebant *set;*

Certamen movistis, opes) prohibensque rapina
Victorem clara testatur voce Tribunus:
Non nisi per nostrum vobis percussa patebunt
Templa latus, nullasque feres nisi sanguine sacro
Sparsas, raptor, opes. certe violata potestas
Invenit ista Deos. Crassumque in bella secutæ

et cum litera *s* in *Leges* præcederet; ea geminata, *set* fecerunt ex *et*.

121. —— *Prohibensque rapina Victorem*] Nondum certe *Victor*, vivo Pompeio, totque ejus exercitibus salvis. neque *Victor* tum præsertim recte dicitur; cum Tribunus eum in ordinem cogit: nam, ut ait Flaccus, *cum Victore durum est contendere.* DUCTOREM igitur hic repono. Ordo est, *Testatur Ductorem*, non *Prohibens Ductorem*. Val. Flaccus v. 624.

Questuque Jovem testatur acerbo.

124. —— *Nisi sanguine sacro Sparsas, raptor, opes.*] Aspersas tribunitio sanguine. Grotius. Recte *Sacro:* Tribuni enim plebis sacro sancti. Colbertinus tamen prior, et codicum pars major *Nostro.* Error ex compendiosa scriptura nro, sro.

126. —— *Crassumque in bella secutæ Sæva Tribunitiæ noverunt prælia diræ.*] Codices plerique omnes cum Rom. et Ven. VOVERUNT. Sagacissimus Heinsius ad Silii v. 660. sic reponit.

LÆVA Tribunicíæ *voverunt* prælia diræ.

Vovere sic fere usurpat Naso in Ibide v. 24.

Tempus in immensum *lacrimas* tibi *vovimus* istas.

Sed multa huic emendationi obstant. Esto enim, quod tamen dubites, recta locutio, *Diræ ipsæ voverunt*, non *Dirarum auctor:* at certe *Romæ* voverunt, Crasso ex urbe exeunte; non postquam in bella eum Parthiam usque sunt *secutæ*. Neque verum est, *læva et infausta prælia* vovisse eas; sed in Crassum modo ipsum ejusque caput diræ concipiebantur. Florus iii. 2. *Tribunus plebis Ateius exeuntem ducem (Crassum) hostilibus diris devoverat.* non *prælia*, sed πολλὰ καὶ ἄτοπα, πολλὰ καὶ δεινὰ, ut Dion, ἀρὰς δεινὰς καὶ φρικώδεις, ut Plutarchus, sed *diras et horrendas detestationes* in caput ejus effudit: et uterque animadvertit exitio pessimo publico Tribunum hoc fecisse: quippe cum Ducem devoverit, consequenter etiam exercitum et totam civitatem eisdem diris implicuisse. Non ergo *Prælia* hic stare poterit; sed aliud indagandum rectius, quod reperisse me existimo:

—— Crassumque in bella secutæ
Sæva Tribunitiæ *NOVERE PIACULA* diræ.

Florus ii. 6. *Quasi has inferias sibi Saguntinorum ultimæ diræ mandassent.* Justinus xiv. 4. *Has vobis diras atque inferias dico. Diræ, ut* vides *inferias* post se et sibi trahunt. Atqui *Inferiæ*, id ipsum, quod *Piacula.* Noster ii. 175.

—— cum victima tristes
Inferias Marius, forsan nolentibus umbris,
Pendit, inexpleto miseranda *piacula* busto.

Habes hic per Epexegesin sive Appositionem *Inferias Piacula*, ut rem prope eandem. Horatius Epod v.

Diris agam vos: dira detestatio
Nulla *expiatur* victima.

Non *victima*, sed *pœna*. et Carm. i. 28.

—— precibus non linquar inultis:
Teque *piacula* nulla resolvent.

Diræ meæ preces nescient ulla *piacula* præter ultionem et pœnam. *Novere* eleganter, ut paulo ante *invenit* deos. *Sæva* piacula, ut alibi, *Dira, miseranda, horrenda.* Codex tamen et Harleianis recentior vere et venuste, SERA.

Crassumque in bella secutæ

Sæva Tribunitiæ noverunt prælia diræ.
Detege jam ferrum. neque enim tibi turba verenda est
Spectatrix scelerum: deserta stamus in Urbe.
Non feret e nostro sceleratus præmia miles:
Sunt quos prosternas populi, quæ mœnia dones.
Pacis ad exhaustæ spolium non cogit egestas:

SERA Tribunicæ *NOVERE PIACULA* diræ. Val. Flac. iv. 252.

Dixit, et urguentis post *sera piacula* leti.

Virgil. vi. 569. etsi alio sensu,

Distulit in *seram* commissa *piacula* mortem.

Corrigendus Silius vi. 290.

Nos violasse manu *seris* monuere *piaclis*

non, ut vulgo, *periclis*. *Piaclum* ut *gubernaclum*.

130. *Non feret e nostro sceleratus præmia miles:*] *Nostro*, satis commode quidem; non *e nostro* præmia feret, sed ex *hostico*. argutius tamen, aut fallor, ab auctore datum erat.

Non feret e *SANCTO* sceleratus præmia miles.

Vides antitheton, *Sceleratus e sancto;* quale Nasonis est Metam. v. 37.

Pectora rupisset, nisi post altaria Phineus
Isset, et, indignum, *scelerato profuit ara.*

Quemadmodum autem paulo ante v. 125. pro *Sacro* plerique omnes codices, *Nostro*, ita hic pro *Sancto* omnino omnes *Nostro* dederunt, nro, sro, sto. Publicum Ærarium in Saturni templo erat; inde *Sanctum;* et quod in penitiore ædis parte erat, *Sanctius ærarium.* de hoc interiore et sanctiore agit hic Lucanus, ut ex v. 155. patet:

——————— tum conditus *imo*
Eruitur templo, multis non tactus ab annis,
Romani census populi.

132. *Pacis ad exhaustæ spolium non cogit egestas:*
Bellum Cæsar habes.] Locus, in quo omnes interpretes hæserunt, nullus se explicavit. Quid enim est *Pax exhausta?* Quid *spolium Pacis?* Quæ est ista *egestas?* qua ideo Cæsar non prematur, quod bellum habeat? Spero me, saltem veram auctoris sententiam, si non et verba, eruisse

HOSTIS ad *ÆRARI* spolium non cogit egestas:
Bellum, Cæsar, habes.

Egestas hostis, ea non trita constructio primam Librariis caliginem offudit: sic *egestas cibi, frumenti, copiarum*, &c. Seneca de Clementia i. 12. *Sylla, cui occidendi finem fecit* INOPIA HOSTIUM. Sententia est, *Bellum, Cæsar, habes;* in Germania, Britannia: inde militem tuum alas; inde prædia, mœnia, sedes ex hostico iis tribuas: non *egestas, inopia hostium cogit te* ad ærarium publicum pro stipendiis expilandum: *sunt quos prosternas populi, quæ mœnia dones: Nondum tibi defuit hostis;* ut i. 23. Tacitus Annalium xv. 3. *Quippe bellum habere Corbulo, quam gerere malebat.* Jam vero *ad spolium ærari;* id enim jam tum agebatur, ut *ærarium Saturni* effringeretur et diriperetur. Id vero verbum satis infrequens, syllaba quoque ultima truncatum, duplicata nocte Librarios obruebat. Silius xi. 541.

Adnitamur, ait, vires refovere tot haustas
Casibus, ut pateant non parca *æraria* dextris,
Quas emimus bello.

Auctor Priap. lxxxiii.

Villicus *ærari* quondam, nunc cultor agelli.

133. —— *His magnam victor in iram Vocibus accensus:*] Etiam hic, ut supra, v. 122. DUCTOR ex codice Pulmanni magis placet quam VICTOR.

T

Bellum Cæsar habes. His magnam victor in iram
Vocibus accensus: Vanam spem mortis honestæ
Concipis: haud (inquit) jugulo se polluet isto
Nostra, Metelle, manus. dignum te Cæsaris ira
Nullus honor faciet. te vindice tuta relicta est
Libertas? non usque adeo permiscuit imis
Longus summa dies, ut non, si voce Metelli
Serventur leges, malint a Cæsare tolli.
Dixerat: et nondum foribus cedente Tribuno
Acrior ira subit: sævos circumspicit enses,
Oblitus simulare togam. tum Cotta Metellum
Compulit audaci nimium desistere cœpto.
Libertas, inquit, populi, quem regna coërcent,
Libertate perit; cujus servaveris umbram,
Si, quicquid jubeare, velis. tot rebus iniquis
Paruimus victi: venia est hæc sola pudoris,
Degenerisque metus, nil jam potuisse negari.
Ocyus avertant diri mala semina belli.
Damna movent populos, si quos sua jura tuentur:
Non sibi, sed domino gravis est, quæ servit, egestas.
Protinus abducto patuerunt templa Metello.
Tunc rupes Tarpeia sonat, magnoque reclusas
Testatur stridore fores: tunc conditus imo

et mox 137. HONOS ex Colb. altero, Cod. Trin. duobus Bersmanni, quam HONOR. et deinde 141. AT *nondum* lego, non ET. et postremo 143. CUM *Cotta*, non TUM. Rationes ex aliis locis disces.

147. —— *Tot rebus iniquis*
Paruimus victi: venia est hæc sola pudoris,
Degenerisque metus,] Quomodo *victi*, qui arma nec sumserunt, nec passi sunt? muta distinctionem.

Paruimus: victi venia est hæc sola pudoris.

150. *Ocyus avertant diri mala semina belli.*] Abeant in rem malam ista belli irritamenta. Ante *avertat*, incongrue. Grotius. Colbertini duo *Avertant:* sed Puteaneus, Harleianus, Cant. Trin. et magna recentiorum turba cum Rom. et Ven. *Avertat.* Aliud agebat vir magnus, cum illam lectionem huic anteferebat. Avertere absolute, pro Avertere se, Tergum obvertere, recte dicitur: sed Avertant, pro *Abeant in malam rem*, vereor ut Latinum sit. Contra, *Avertat Cæsar pecuniam, semina belli*, pro Intercipiat, notissima locutio est. Cicero in Verrem: *Istum in quæstura publicam pecuniam avertisse.* et alibi sæpius. Vidit hoc accuratissimus Gronovius Observ. iv. v.

165. —— *Ultima gaza*] Novissima præda de regibus parta. Grotius.

Eruitur templo multis intactus ab annis
Romani census populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perses, quem victi præda Philippi:
Quod tibi, Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo te Fabricius regi non vendidit auro,
Quicquid parcorum mores servastis avorum,
Quod dites Asiæ populi misere tributum,
Victorique dedit Minoïa Creta Metello,
Quod Cato longinqua vexit super æquora Cypro.
Tunc Orientis opes, captorumque ultima regum
Quæ Pompeianis prælata est gaza triumphis
Egeritur: tristi spoliantur templa rapina;
Pauperiorque fuit tunc primum Cæsare Roma.
  Interea totum Magni fortuna per orbem
Secum casuras in prælia moverat urbes.
Proxima vicino vires dat Græcia bello.
Phocaicas Amphissa manus, scopulosaque Cyrrha;
Parnassusque jugo misit desertus utroque.
Bœoti coïere duces, quos impiger ambit
Fatidica Cephissos aqua, Cadmeaque Dirce,
Pisææque manus, populisque per æquora mittens
Sicaniis Alpheus aquas. Tunc Mænala liquit
Arcas, et Herculeam miles Trachinius Œten.

172. *Phocaicas Amphissa manus,*] *Phocaicus* a *Phocæa* Ioniæ urbe ducitur: at a *Phocide* circa Parnassum regione, ubi Amphissa est, *Phocicus* esse debuit. Iterum Noster v. 144.

Candida *Phocaica* complectitur infula lauro.

Id est, Parnassia sive *Phocica*. Rursus pro *Phocæa* Phocida posuit, iii. 340.

Et post translatas exustæ *Phocidos* arces.

Denique recte usurpat verbum, ut iii. 301.

Phocais in dubiis ausa est servare juventus.

iii. 561.

Phocaicis medias rostris oppone carinas.

iii. 583.

Phocaicis Romana ratis vallata carinis.

Ex his apparet Poëtam, non loca ipsa, sed locorum nomina confudisse; quod notabant Glareanus olim, posteaque Salmasius. Errorem quidem hunc scriptoribus Latinis communem volunt. sed in prosaicis facile est in Librarios culpam transferre: Lucanum versus ipsi redarguunt: nec Grammaticorum ferulas datur effugere.

176. ——— *Populisque per æquora mittens*
Sicaniis Alpheus aquas.] Meliores scripti *Alpheos*, ut etiam apud Senecam. Cæterum *Populi Sicani* dicuntur, prima syllaba correpta; non Sicanii.

177. —— *Tunc Mænala liquit*
Arcas,] Colbertinus vetus. Can-

Thesproti, Dryopesque ruunt, quercusque silentes
Chaonio veteres liquerunt vertice Sellæ.
Exhausit totas quamvis delectus Athenas,
Exiguæ Phœbea tenent navalia puppes,
Tresque petunt veram credi Salamina carinæ.

tab. Trin. cum aliis aliquot LINQUIT; ut mox 179. *Dryopesque ruunt.* Placet eo magis, quod mox habemus v. 180. *Liquerunt.*

180. ——— *Sellæ.*] Sic scribendum ut apud Plautum Clerumenœ, Terentium Adelphœ, apud Ciceronem V. Verrina Tanephoroe, apud Gellium Italœ, in Germanico Arctœ. Σιλλοὶ sunt Homero, Straboni, Stephano. Grotius. SELLŒ clare exhibent Colbertinus prior, Puteaneus, et Harleianus: Plinio *Selli* dicti: sed ideo gratior est archaismus hic, *Sellœ;* quia addit *Veteres.*

182. *Exiguæ Phœbea tenent*] Cum veteres editiones habeant Pirenæ, probo doctissimi Gronovii emendationem Piræa. vide ipsum capite 111. observationum. Grotius. Sed in alio etiam verbo mendum latere existimo. Quid enim est TENENT *navalia puppes?* si tenent navalia, non exeunt: quomodo igitur (quod sententia ipsa postulat) ad Pompeium et ejus arma veniunt? Dedit, aut fallor, Lucanus,

> Exhausit totus quamvis delectus Athenas;
> Exiguæ *PIRÆA TAMEN* navalia puppes,
> Tresque petunt veram credi Salamina carinæ.

Notat auctor, celeberrimas fama Athenas philosophiæ deditis magis abundasse, quam militiæ; et exigua partibus auxilia suppeditare. Ordo est, *Tamen exiguæ (parvæ) naves petunt credi Piræa navalia, et tres petunt credi veram Salamina.* Nimirum, cum florerent res Atheniensium, in magna erant fama *Piræus portus* et *Salamis vera;* plane ut ὁ Διὸς Κόρινθος. Hæ exiguæ licet copiæ ingenti se fastu ferebant, et vetere locorum fama se tutabantur. Unde vos? ex portu Piræo. unde autem vos? ex Salamine vera. vix credibile, tam paucas, tam tenues, ex locis per totum orbem celebratis, οἷα ἐξ οἵων. *Petunt igitur credi, Salamis vera,* quod jam notum est, ut a Colonia ejusdem nominis, a Teucro condita distinguatur. Seneca Troad. 844. *Numquid Ajacis Salamina veram?* Manilius v. 50.

> Vera Syracusis Salamis non merget Athenas.

Quamvis, et in redditione *Tamen; Quamquam, Tamen,* passim reperies. Virgilius Eclog. vi.

> At non tam turpes pecudum *tamen* ulla secuta est
> Concubitus, *quamvis* collo timuisset aratrum.

Ergo vide, an Georg. iv. 208. sic reponendum sit, de apibus,

> Ergo illas *quamvis* angusti terminus ævi
> Excipiat (neque enim plus septima ducitur æstas)
> *At* genus immortale *tamen*: multosque per annos
> Stat fortuna domus, et avi numerantur avorum.

Pro *Tamen,* literis inversis hodie fertur *Manet:* cui non nimium favet, quod eodem sensu sequitur *Stat.*

183. *Tresque petunt veram credi Salamina carinæ.*] Vera Salamin illa prope Athenas opposita ad eam quam in Cypro condidit Teucer, quæ ambigua Horatio. Tres autem naves parum præ vetere copia. Nam in bellum ad Trojam tredecim miserat Telamo. Hoc dicit, olim ingentes classes exibant Athenis, nunc pars inde sumta, more delectus, totam urbem exhausit. et Salaminis nomen, antiquæ illius non Cypriæ, servatum in tribus navibus. Grotius.

184. *Jam dilecta Jovi centenis venit in arma*

Jam dilecta Jovi centenis venit in arma
Creta vetus populis, Gnossasque agitare pharetras
Docta, nec Eois pejor Gortyna sagittis.
Tunc qui Dardaniam tenet Oricon: et vagus altis
Dispersus sylvis Athamas, et nomine prisco

Creta vetus populis,] *Creta vetus?* vetus urbs, vetus populus, vetus nomen regionis, sed regio ipsa cur *vetus?* an aliis regionibus veterior? Repono,

Tum dilecta Jovi, centenis venit in arma
Creta *POTENS* populis.

ut Horatius Carm. iii. 27.

Quæ simul centum tetigit *potentem*
Oppidis Creten.

Idem Epod. ix.

Aut ille centum nobilem Cretam urbibus
Ventis iturus non suis.

Ubi vides, post Pompeii tempora, etiam post victoriam Augusti Actiacam, centum urbibus nobilem Cretam.

185. —— *Gnossasque agitare pharetras Docta, nec Eois pejor Gortyna sagittis.*] Quid hoc est, an Gortyna non habuit pharetras, nisi quas a Gnosso petebat? veterrimi nostri quattuor, cum Arundeliano, GNOSOSSQUE. Sed quid est *agitare pharetras?* an eas *agitando* doctrina ostentabatur? Immo vero ea demum peritia erat, si pharetræ humeris apte insiderent, non *agitatæ*, non gerenti molestæ. Dederat sine dubio auctor,

——— Gnoss*OS*que *AP*tare pharetras
Docta, nec Eois pejor Gortyna Sagittis.

Imitatus est Nostrum Silius ii. 101.

Eois quamvis certet Gortyna Sagittis.

APTARE *pharetras*, ut Statius Theb. iv. 259.

——————— Dictæaque tela
Ipsam et Amyclæas humeris aptasse pharetras.

187. —— *Et vagus altis Dispersus sylvis Athamas,*] Sic quidem codices, sed invitis eis, suum autori reddendum, ATHAMAN. Ab *Athaman Athamanes;* ut ab *Acharnan Acharnanes:* at ab Athamas, esset Athamantes, ut ab Abas Abantes.

189. *Encheliæ versi testantes funera Cadmi.*] Vide Apollodorum lib. III. Grotius. Hoc dicit Apollodorus, a Grotio citatus, iii. 4. *Cadmum cum uxore πρὸς ἐγχελεὰς ad Encheleas venisse: quibus ex oraculo ducem electum Illyrios bello subegisse ibique regnasse; postea cum conjuge εἰς δράκοντα, μεταβαλόντα in Draconem versum, ab Jove in Elysium campum dimissum esse.* Plus dicit Dionysius Periegetes v. 320. *Et apud Illyrios Cadmum et Harmoniam in angues transformatos esse, et ἀριδείκετον τύμβον celebre et conspicuum monumentum iis positum.* Apollonius Argon. iv.

Οἱ δ' ἄρ' ἐπ' Ἰλλυρικοῖο μελαμβαθέος ποταμοῖο,
Τύμβος ἵν' Ἁρμονίης Κάδμοιο τε πύργον ἔδειμαν
Ἄνδρεσσιν Ἐγχελέεσσιν ἐφέστιοι.

Nondum tamen hæc Lucani loco commentarium faciunt. Quid enim mirum, si *funera* Cadmi testantur Encheliæ? quid in hac re testibus opus? Quis expectabat Cadmum fore immortalem? Aut valde fallor aut aliud dedit auctor,

Encheliæ versi testantes *SIBILA* Cadmi.

Eo certe nos ducit *Versi:* Horatius Arte Poët. 187.

Aut in avem Procne vertatur, Cadmus in anguem.

Claudianus i. Eutrop. 293.

In volucrem Tereus, *Cadmus se vertit in anguem.*

Nimirum hoc erat, quod Encheliæ sive Illyrii testarentur, non *obiisse* eos sed in serpentes conversos. Græcia hoc monstrum non viderat: Homines a Thebis discesserant: quod *postea* serpentes facti sint,

Encheliæ versi testantes funera Cadmi.
Colchis, et Adriacas spumans Absyrtos in undas,
Et Penei qui rura colunt, quorumque labore
Thessalus Æmoniam vomer proscindit Iolcon.
Inde lacessitum primo mare, cum rudis Argo
Miscuit ignotas temerato littore gentes,
Primaque cum ventis, pelagique furentibus undis

penes Enchelias fides erat. Necessaria hæc emendatio est; nisi ipsam in angues conversionem *funus* dici velis; et eos protenus ex quo mutati sunt interiisse. sed vetat hoc Statius, qui diu sub nova forma mansisse eos prædicat, Theb. iii. 289.

——— indigna parumne
Pertulimus, divæ Veneris quod filia longum
Reptat, et Illyricas ejectat virus in herbas.

Sibila itaque testantur Encheliæ, non *funera*. Prehendit tamen aurem Statius Theb. i. 227. ubi Juppiter in scelera et monstra Thebarum sic stomachatur.

——— quis *funera Cadmi*
Nesciat, et totiens excitam a sedibus imis
Eumenidum bellasse aciem?

Quid vero, o bone Jupiter, utramque buccam inflas, quod Cadmus funeratus est? hoccine vel flagitii quicquam vel miraculi in se habet? Immo vero et in Statio, eadem chorda aberrarunt Librarii: et SIBILA, quod Encheliis testandum restat, in FUNERA mutaverunt. Ovid. Metam. iv. 587. de Cadmo,

——— Quotiesque aliquos parat edere questus
SIBILAT: hanc illi vocem Natura relinquit.

190. *Colchis, et Adriacas spumans Absyrtos in undas,*] Tolle comma, et scribe *Absyrtis*, quomodo id nomen Plinio scribitur III. 26. Nec aliter apud Strabonem et Stephanum. Hæc autem Abysrtis Cholcis, id est Colchica, vocatur, quia Medea, et frater ejus Absyrtus ibi laceratus, ex Colchis erant. Grotius. *Colchis Absyrtis*, ita quidem legendum, ut *Lacedæmonium Tarentum*, et alia a conditoribus nominata: quæ et Micylli olim emendatio erat; modo versus non spurius sit, quod valde suspicor. Utrimque enim Populi nominantur, hinc *Encheliæ*, inde *Penei qui rura colant:* at in medio *tellus*, non incolæ. tum *spumans in undas Hadriacas*, de fluvio rectius dicatur, ac de insula.

191. *Et Penei qui rura colunt,*] Putavi delendum *Et*, quia rectus casus est πηνειὸς, non πηνεὺς; sed etiam Georgicon iv. *Penei* esse dissyllabum notat Servius. Virgilium ergo secutus Lucanus duram contractionem aut abscissionem fecit. Grotius. Scripserat in curis secundis vir magnus *Dele* ET, *manuscriptis auctoribus: nam nomen fluminis est Peneüs,* Πηνειός; *non Peneus,* Πηνεύς. in tertiis, ut vides, mutavit factum, Virgilii loco inductus Georg. iv. 335.

Tristis Aristæus *Penei* genitoris ad undam
Stat lacrimans.

ubi non notat Servius *dissyllabam esse* Penei; sed ipse versus indicat. Prior sententia lectioque verior,

PENEI qui rura colunt.

Sic omnes ubique codices cum Rom. et Ven. sic et alibi τρισυλλάβως vi. 372.

Peneo donavit aquas et gurgite rapto.

377.

Gurgite Penei pro siccis utitur arvis.

Sic omnes Poëtæ tam Latini quam Græci. Neque vero Virgilii locum sanum esse crediderim; aut Poëtarum doctissimum in fluvii nomine erravisse. Arethusa hoc dicit ad Clymenen sororem; utraque Penei filia. Atqui satis, opinor, agnoscebat Clymene genitorem suum, quamvis proprio nomine tacito. Crediderim dedisse Poëtam,

Composuit mortale genus, fatisque per illam
Accessit mors una ratem. tunc linquitur Æmus
Thracius, et populum Pholœ mentita biformem.
Deseritur Strymon tepido committere Nilo
Bistonias consuetus aves, et barbara Cone
Sarmaticas ubi perdit aquas, sparsamque profundo
Multifidi Peucen unum caput alluit Istri:

Tristis Aristæus *MAGNI* genitoris ad undam.

mox inter lineas Glossema additum *Penei:* et postea ab indocto Librario textui insertum.

193. *Inde lacessitum primo mare,*] Præferam quod in MS. P. est, *unde lacessitum.* Grotius.

Ibid. —— *Cum rudis Argo*
Miscuit ignotas temerato littore gentes,] Quomodo sodes *Litore*, immo ipso *mari* temerato. Correxeram GURGITE, posteaque Bersmanni codicem sic habere congnovi. Propertius i. 17.

Ah pereat quicumque rates et vela paravit
Primus, et *invito gurgite* fecit iter.

Val. Flaccus i. 627.

Hoc erat, inlicitas *temerare* rudentibus *undas*
Quod nostri timuere patres.

Idem tamen Flaccus i. 801.

———— nec sola mei gravia adfore nati
Arma ratemque putet: Classes et Pontica signa
Atque indignatos *temerato litore* reges
Mente agitet.

Sed et hic GURGITE reponendum: etsi magis ferendum sit, quam apud Nostrum. Cæterum locum hunc Lucani et alterum vi. 400.

Prima fretum scindens Pagasæo littore pinus,
Terrenum ignotas hominem projecit in undas.

pulchre, ut solet, imitatus est Statius, Silv. iii. 2.

Quis rude et abscissum *miseris animantibus* æquor
Fecit iter? solidæque pios telluris alumnos
Expulit in fluctus, pelagoque immisit hiantes?
Audax ingenii ————

Ubi Gronovius magno ambitu et molimine conatur hoc explicare, ANIMANTIA, ait, *sunt spirantia, quæ spirando se animant; et* HIANTES, *sunt respirantes: et opponuntur piscibus, quorum pauci adeo pulmones habent.* Quid ergo? Hoccine voluit Statius, Hominem, qui primus mare aperuit, Jasonem puta, omnia *terrestria animantia* in pelagus secum detulisse? tot aquaticos quadrupedes, aquaticas aves, qui spirantes utique sunt, primum in mare immisisse: antea scilicet in terra eos victum sibi quæritasse? Semper male rem gerunt, etiamsi ingenio præstantes, qui pravas lectiones quoquo modo defendere volunt. Tu vero lege,

Quis rude et abscissum miseris *MORTALIBUS* æquor.

Ex Nostro sumsit *Mortalibus* v. 196.

Primaque cum ventis pelagique furentibus undis
Composuit *mortale genus.*

ut et illud *Solidæ telluris alumnos* ex Nostro quoque,

Terrenum ignotas hominem projecit in undas.

Miseris mortalibus, Mortalibus ægris, quoties vel in uno Virgilio habes? Deinde pro *Hiantes* repone,

———— pelagoque immisit *HIANTI.*

Pelagus *hians* opponitur telluri *solidæ.* Noster v. 641.

———— cumque tumentes
Rursus *HIANT* undæ.

Inde jocus Catullo captatus lxxxv.

Cum subito adfertur nuntius horribili;
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset
Jam non Ionios esse, sed Hionios.

200. —— *Et barbara Cone*
Sarmaticas ubi perdit aquas,] Sane

Mysiaque, et gelido tellus profusa Caico
Idalis, et nimium glebis exilis Arisbe.
Quique colunt Pitanen, et quæ tua munera Pallas
Lugent damnatæ Phœbo victore Celenæ:
Qua celer erectis descendens Marsya ripis
Errantem Mæandron adit, mistusque refertur:
Passaque ab auriferis tellus exire metallis
Pactolon: qua culta secat non vilior Hermus:
Iliacæ quoque signa manus, perituraque castra
Ominibus petiere suis: nec fabula Trojæ
Continuit, Phrygiique ferens se Cæsar Iuli.

illa *Cone* tam barbara est, ut nullus qui nunc extat Scriptor mentionem ejus fecerit. Interpretes Nostri insulam esse volunt; prorsus contra Poëtæ sententiam. Fluvius sine dubio est; cum tres ordine recenseantur *Strymon, Cone, unum caput* sive ostium *Istri* insulam Peucen alluens. Illud quoque, *Sarmaticas ubi perdit aquas,* quid aliud notat, quam fluvium Conen ex Sarmatia fluere, et in Istrum confluere; ubi aquas et nomen perdit? Nempe ut Plinius iv. 24. *Ister sexaginta amnibus receptis in Pontum evolvitur.* Ex his sexaginta unus erat *Cone,* cujus ut aliorum, pluriumque, vetera nunc nomina interierunt. Colbertinus vetus, et Caianus COME.

203. *Mysiaque, et gelido tellus profusa Caico*
Idalis,] MYSIA Puteaneus, et Harleianus, recte, non ut alii plerique MŒSIA: Virgil. *Mysusque Caicus.* Pro IDALIS autem, quæ nulla est, recte olim Micyllus, ÆOLIS. Mela i. 18. *Proxima regio* Æolis *facta, ante* Mysia. Plin. v. 32. Æolis *proxima est, quondam* Mysia *appellata.*

207. *Qua celer erectis descendens Marsya ripis*] *Et rectis* mavult Salmasius. Grotius. Sic omnes Codices, ET RECTIS: sic Romana et Veneta: sic Priscianus p. 681. et codex ibi Cantab. sic Lactantius ad Statii Theb. iv. 186. sic et sensus ipse postulat.

210. *Pactolon: qua culta secat*] Tolle pravam distinctionem: et repone, *Pactolon, qua culta* Ordo est, *Passa Pactolon exire, qua Hermus.* Nimirum Pactolus in Hermum confluit.

214. *Accedunt Syriæ populi, desertus Orontes,*
Et felix, sic fama, Ninos: ventosa Damascus,] Locus a multis sæculis fœdissime corruptus. Primo, quod levissimum est, *Damascos* legendum, terminatione Græca: ut veterrimi nostri quattuor cum Trin. et uno Bersmanni. Valerius Probus p. 1462. *In* COS, ait, *nullum nomen repperi latinum terminatum; unum repperi Græcum, Damascos Damasci; sicut Lucanus,* VENTURA DAMASCOS, *nomen civitatis.* Locum hunc respicit; sed quid facit NINOS inter urbes Syriæ? Non *Syriæ* erat Ninos, sed *Assyriæ,* ad Tigrim fluvium sita: tantumque abest, ut *Felix* tum diceretur; ut diu ante excisa fuerit, vixque nomen nedum potentiam retinuerit. Quid quod tum sub Parthorum ditione fuit? at *Parthi* v. 265. *dubium tenuere favorem,* neque Pompeio ullas copias submiserunt. Falsum igitur *Ninos:* quid illud alterum VENTOSA *Damascos? Ventura,* quod Probi nunc editio habet, prima fronte se ipsam redarguit:

Accedunt Syriæ populi, desertus Orontes,
Et felix, sic fama, Ninos: ventosa Damascus,
Gazaque, et arbusto palmarum dives Idume.
Et Tyros instabilis, pretiosaque murice Sidon
Has ad bella rates non flexo limite ponti,
Certior haud ullis duxit Cynosura carinis.
Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat: et saxis tantum, volucresque feræque,
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.

Sed quis umquam dixit, aut dicere potuit, *χαρακτηρίζοντι* Epitheto, Damascum ventosam? illane præter alias urbes ventosa, quæ sub monte Libano in valle amœnissima sita? præstabo tibi, ni valde fallor, vera Lucani verba, quæ Librarii olim extinxerunt,

> Et felix, sic fama, *NIMIS, PRUNOSA* Damascus.

Colbertinus veterrimus, *Ninus*, iisdem apicibus ac *Nimis*. *Nimis felix*, felicissima Damascus.

> O *fortunati nimium*, bona si sua norint,
> Agricolæ!

> Felix, heu *nimium felix*, si litora tantum
> Numquam Dardaniæ tetigissent nostræ carinæ.

Silius i. 667. ut hic, de urbe:

> Cum *felix nimium* dimitteret Ardea pubem.

De felicitate vero regionis Damascenæ Strabonem solum audiamus, ἔστιν, inquit ἡ Δαμασκηνὴ χώρα, διαφερόντως ἐπαινουμένη, *Regio Damascena excellens, et apprime celebrata*. Hoc Strabo, qui Damascum viderat; Noster, *Ut fama*, dicit, quippe non testis oculatus. Jam vero PRUNOSA *Damascus* peculiari sibi Epitheto; ut mox *Idume, dives arbusto palmarum*, et *Sidon, murice pretiosa*. Singulas urbes ex singularibus naturæ donis denominat *pruna Damascena* veteribus celebratissima; quin et hodie nomen servant. Columella lib. x.

> Armeniisque, et cereolis, *prunisque Damasci*.

Samnonicus c. 29.

> Prunaque conveniunt quæ mittit clara Damascus.

Prunosa igitur Damascus; plane ut Virgilio Æn. iii. 705.

> Teque datis linquo ventis, *palmosa Selinus*.

Ut a palmis *Palmosa*, sic a prunis *Prunosa*. Quod si quis hic objiciat hoc vocabulum non hodie alibi extare: quid aliud facit, quam causam optimam proferre, cur Librarii ut ignotum corruperint? neque vero *Palmosa* nunc usquam alibi legitur, quam in loco isto Virgilii.

219. *Certior haud ullis duxit Cynosura carinis.*] Quid hoc est? *Cynosura nullis carinis certior quam Tyriis et Sidoniis?* Soli Phœnices Cynosuram servabant, reliquæ gentes Ursam majorem. Quomodo ergo certior iis, qui ea numquam utebantur? Valer. Flaccus i. 17.

> ——— neque enim in Tyrias Cynosura carinas
> Certior, aut Graiis Helice servanda magistris.

et Manilius i. 299.

> Angusto Cynosura brevis torquetur in orbe
> Quam spatio, tam luce minor: sed judice vincit
> Majorem Tyrio: Pœnis hæc *certior* auctor.

Germanicus in Arateis.

> Certior est Cynosura tamen sulcantibus æquor.

Deseritur Taurique nemus, Perseaque Tarsos,
Coryciumque patens exesis rupibus antrum,
Mallos, et externæ resonant navalibus Ægæ.
Itque Cilix justa jam non pirata carina.
Movit et Eoos bellorum fama recessus,
Qua colitur Ganges, toto qui solus in orbe
Ostia nascenti contraria solvere Phœbo
Audet, et adversum fluctus impellit in Eurum:
Hic ubi Pellæus post Tethyos æquora ductor
Constitit, et magno vinci se fassus ab orbe est.

Vides quidem ibi *Cynosura certior:* verba nempe eadem, sed orationem diversam. Hic enim *Certa* est illis, qui eam servant; at apud Nostrum *Certa* est illis, qui negligunt. Rectius utique dixisset APTIOR; ut Patruus Medea 695.

Descendat anguis; cujus immensos duæ
Major minorque sentiunt nodos feræ;
Major Pelasgis, *APTA* Sidoniis minor.

Sed verum est, quod Bersmanni codex suppeditat, ab ipso spretum;

GRATIOR haud ullis duxit Cynosura carinis.

225. ——— *Perseaque Tarsos,*] Quia a Persei talaribus nomen habere Græcis creditur. Grotius.

227. *Mallos, et externæ resonant navalibus Ægæ.*] Quo quæso nomine *Externæ*, magis quam alia loca hic memorata? Nescio unde primum venerit. Codices nostri universi cum Rom. et Ven. EXTREMÆ: nempe *Ægæ*, Cilicum urbs, in *extremo* maris mediterranei sinu.

230. ——— *Ganges, toto qui solus in orbe*

Ostia nascenti contraria solvere Phœbo] Iterum insurgit Julius Scaliger, *Quam sciens fuerit orbis terrarum, his ostendit Lucanus: An solus Ganges? nonne Padus, nonne Ister in Orientem fluunt? Quod si vult dicere, e directo solis orientis, hoc quoque falsum est, Ganges enim in Austrum exit.* In his nihil præter meram æruginem reperies. Quid *Padum* et *Istrum* narras? Hoc ut nesciverit auctor? non noverit orientem et occidentem ubique terrarum esse, vicibus pro diverso respectu mutatis? non noverit ubique *nasci* Phœbum et *occidere?* Sed *nascentem* hic *Phœbum*, cum omnibus aliis Poëtis, pro extremis Asiæ finibus orientem versus ponit. ut iv. 72. *fines Zephyri* in Hispania collocat. etsi orbem terrarum non nescius fuit rotundum esse. Quid tuus ille Virgilius, viii. 686.

Victor ab *Auroræ* populis et litore rubro
Ægyptum, viresque *orientis* et ultima secum,
Bactra vehit.

Nesciebat Maro *auroram* et *orientem* etiam in Hesperia esse? Jam vero *Gangem in Eurum fluctus impellere*, Lucani ætate crediderunt, etiam qui se Geographos professi sunt. Strabo xv. *Fluvii*, ait, *Indici a Caucaso monte orti, alii ad meridiem feruntur, ut Indus; alii* πρὸς ἕω ἐπιστρέφονται *ad orientem convertuntur, ut Ganges.* Codex Puteaneus.

——— et adversum fluctus *ATTOLLIT* in Eurum.

235. *Quaque ferens rapidum diviso gurgite fontem*

Vastis Indus aquis mistum non sentit Hydaspen;] Nova vides Correctorum flagitia. Tot fere sunt menda, quot verba. *Fontem ferens* quis mortalium intelligat? fons certe manet, rivus fertur. *Rapidum* amnem, fluvium, flumen, torrentem, ubique lego, *rapidum fontem* quis

Quaque ferens rapidum diviso gurgite fontem
Vastis Indus aquis mistum non sentit Hydaspen;
Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos,
Et qui tingentes croceo medicamine crinem
Fluxa coloratis astringunt carbasa gemmis.
Quique suas struxere pyras, vivique calentes
Conscendere rogos. proh, quanta est gloria genti
Injecisse manum fatis, vitaque repletos,
Quod superest, donasse deis! venere feroces
Cappadoces, duri populus nunc cultor Amani,

vel fando audivit? Unicum vero *fontem* toti Indo, qui tamen ingentem fluvium Hydaspen misceri sibi non sentiat, non tanta accessione crescat? Quot Veneres, quot virtutes habere debet poëma, quod tot maculis deformatum placere tamen potuit? Restituo ei formam nativam,

> Quaque *PETENS RUBRUM* diviso gurgite *PONTUM.*
> Vastis Indus aquis mistum non sentit Hydaspen.

Pro *Fontem* Bersmanni codex, ipso judice, *male* habuit PONTUM: id ipsum præfert Colbertinus veterrimus, et a manu secunda alter. cætera ex conjectura dedimus, quæ ipsa se probant. Scio *rapidum pontum* sic satis posse defendi. Val. Flaccus iv. 270.

> —— spumanti qualis in alto
> Pleiade capta ratis, trepidi quam sola magistri
> Cura tenet, *rapidum* ventis certantibus æquor
> Intemerata secat.

Tibullus i. 2.

> Nam fuerit quicumque loquax; is sanguine natam
> Is Venerem e *rapido* sentiet esse *mari*.

Sed eo differunt, quod Noster perpetuo Epitheto, qualia numquam amat, male vocat mare *rapidum*, quod sæpe lentum et tranquillum est; ille ex occasione tantum et ἠθικῶς, in tempestate, et in Veneris ira. Et tamen utrobique corrigendum, RABIDUM *æquor*, RABIDO *mari*, ut Virgil. *Rabiem cœlique marisque;* apud Tibullum sine dubio, quia quarto post versu sequitur,

> Fulminis hæc *rapidi* carmine sistit iter.

Nec minus apud Flaccum; si, ut Heinsius conjicit, *Rapta ratis*, ibi legendum, non capta. RUBRUM itaque *Pontum ;* qui ad Indiam et Taprobanam usque nomen tenet;

> Examen Eois timendum
> Partibus *Oceanoque rubro.*

Curtius viii. 9. de Indo et Gange. *Uterque Rubro mari accipitur.* Et paulum infra, *Mare quo alluitur India, ne colore quidem abhorret a cæteris:* ab Eruthra rege *inditum est nomen.* Sic et Græci. DIVISO *gurgite;* quia duobus ostiis exit, ut Strabo. PETENS *pontum*, ut passim alii, Virgil. Georg. iv. 522.

> ——— non qui per saxa volutus
> Purior electro *campum petit amnis.*

240. —— *Vivique calentes Conscendere rogos.*] Vide Strabonem p. 1048.

244. —— *Duri populus nunc cultor Amani,*] Emenda ex MSS. P. et T. *non cultor.* Hoc dicit, Amanum ita durum esse ut habitari possit, coli non possit. Est ejus montis descriptio, tum apud Geographos, tum in Ciceronis epistola ad Catonem. Grotius. Codices nostri universi cum Rom. et Ven. NON *cultor.* Claudian. i. Proserp. 161. de Ætna:

Armeniusque tenens volventem saxa Niphatem:
Æthera tangentes silvas liquere Coastræ.
Ignotum vobis, Arabes, venistis in orbem,
Umbras mirati nemorum non ire sinistras.
Tunc furor extremos movit Romanus Olostras,

——— pars cætera frondet
Arboribus: teritur nullo cultore cacumen.

246. —— *Coastræ.*] Melius *Coatræ.* MS. P. et R. recentior. Populus est ad Mæotim, Plinio memoratus libro vi. Grotius. Colbertinus vetus cum tribus Bersmanni CHOATRÆ, χοάτραι, eo ducunt alii codices, qui COHATRÆ habent cum editione Rom. et Ven. Val. Flaccus vi. 151.

Centoras, et diros magico terrore *Choatras.*

248. *Umbras mirati nemorum non ire sinistras.*] Hic quoque insultant viri sine dubio præstantissimi, sed nescio cur Lucano iniquiores, Scaliger filius hoc solum arguit; Lucani hic mentem esse, τοῖς ἀμφισκίοις, *populis inter Tropicos sitis*, semper *umbras in austrum, sive sinistras cadere.* Scaliger vero pater quid non calumniatur? Nihil sinistrum vel dextrum, *nisi animalium ratione: Pythagoran et Aristotelem dextrum mundi et sinistrum, non ad Austrum aut Aquilonem sed ad Orientem et Occidentem: denique non verisimile esse, venisse ad Thessaliam milites ex intima seu Felice Arabia.* Patrem vero hic facile repellimus, per quem nec Lucano loqui cum populo licet; nec cum poëtis rem amplificare. Quod filio dicamus hoc est: non miratos esse Arabas, non *semper* isse umbras sinistras; sed *tum* dextras isse, *cum* in sua regione irent sinistræ. Atque huc pertinent, quæ ad ii. 587. diximus, *Umbras nusquam flectente Syene.* Plinius vi. 22. *Claudii principatu legatis ex insula* (Taprobana Romam) *advectis—Septemtriones Vergiliasque apud nos veluti novo cœlo, mirabantur —Sed maxime mirum iis erat, umbras suas in nostrum cœlum cadere,* (non in suum) *Solemque a læva oriri, et in dexteram occidere, potius quam e diverso.*

Ignotum vobis Arabes———

apud Hygynum De limitibus p. 174. legitur *invisum.*

249. —— *Olostras,*] Sic quidam. Gens est Indiæ Plin. lib. vi. cap. 20. At quos vidi Manuscriptos habent *Orestas.* unde credas scribendum *Oretas.* Straboni sunt ὠρεῖται. Sed non mirum mutari vocales inter se longam et brevem. Sic ὠρίων et ὀρίων: σωφρόνη et σοφρόνη. Et in Edonis systolen a Lucano factam vult Servius. Grotius. Quin et nostri omnes cum Rom. et Ven. ORESTÆ. Oretas Scaliger legit, Prolegomenis in Manilium.

250. *Carmanosque duces,*] Bellos sane *Duces:* Egone ut tales Duces jam provecta ætate patiar, qui juvenis non passus sum Parin Alexandrum *Ducem* vocari; sed in Epistola ad amicissimum quondam Grævium verba Laodamiæ ad verum redegi? Ovid. Heroid. xiii.

Dux Pari Priamide, damno formose tuorum,
Tam sis hostis iners, quam malus hospes eras.

Quippe ex aperta Homeri imitatione legendum esse vidi, DUSPARI *Priamide.*

Δύσπαρι, εἶδος ἄριστε γυναιμανὲς, ἠπεροπευτά.

Etiam hic corrigo,

Carmanosque *TRUCES.*

Cur *Truces* dicantur, ex Strabone disces lib. xv. *Nemini,* inquit, *Carmanorum uxorem ducere fas est, nisi hostis occisi caput ad regem tulerit: Rex calvariam inter thesauros reponit, linguam farina oblitam degustat, reliquam ei qui attulit et circumstantibus comedendam dat.* Noster i. 431. *Vangiones Batavique truces.* vii. 231. *Inde*

Carmanosque duces, quorum devexus in Austrum
Æther, non totam mergi tamen aspicit Arcton.
Lucet et exigua velox ibi nocte Bootes.
Æthiopumque solum, quod non premeretur ab ulla
Signiferi regione poli, nisi poplite lapso

truces Galli. Val. Flaccus vi. 43. *Heniochosque truces,* Juvenalis xv. 125. *Sauromatæque truces.* et sic alii de aliis.

Ibid. — *Quorum devexus in Austrum, Æther,*] *In Austrum*, hoc est, ultra Cancri Tropicum. sed nostri, præter unum, cum Romana, JAM FLEXUS: Veneta JAM FLEXIT. Pulmanni unus, et alter Bersmanni DEVEXUS; ex Virgilio, credo, Georg. i. 241. *Libyæ devexus in austros. Jam flexus* perinde est ac *Paulum flexus.* Codex Regius DEFLEXUS. Colbertinus prior, ab indocto homine scriptus, qui sæpe tamen veræ lectionis vestigia retinet, *Quorum* ITAME *flexus in Austrum Æther.* An olim fuit?

—— quorum *IT* deflexus in Austrum.

ut viii. 305.

Quicquid ad Eoos tractus mundumque tepentem
Ibitur.

Sic ibi codices boni, non *Labitur.*

252. *Lucet et exigua velox ibi nocte Bootes.*] Frustra hoc exagitat vir summus Jos. Scaliger Prolegomenis ad Manilium. Carmani, ait Noster, ultra Cancri Tropicum siti vident Arcton (seu Septem Triones) in oceano mergi etsi non totam; quæ Romæ apud nos ex nulla parte mergitur;

Arctos oceani metuentes æquore tingui.

Præterea apud nos sero mergitur Bootes; Καὶ ὀψὲ δύοντα βοώτην: Carmanis tamen citius occidit quam nobis; lucet magis *exigua nocte, velox* magis illic ad horizontem descendit, quam hic: idque evenit ob diversam sphæri positionem. si hæc, ut sunt, vera sunt: quo pertinet tricari et nodum in scirpo querere? Versum tamen spurium existimo, non ob sententiam, sed ob verba; quæ cum prioribus male cohærent: *Ibi,* nempe in Carmania, at *duces* dixit, non *locum.*

253. *Æthiopumque solum, quod non premeretur ab ulla Signiferi regione poli,*] Servius ad vi. Æneidos. *Nulla terra est quæ non subjaceat sideribus: unde perite addit: Extra anni solisque vias, ut ostenderet* xii *signa in quibus est circulus solis. Significat autem Maurorum Æthiopiam, ubi est Atlas, de quo ait Lucanus:*

Æthiopumque solum, &c. Grotius.

Hic vero, inquit Julius Scaliger, *nequeo satis mirari, quid Lucano venerit in mentem. Duo hic errores; alter ab eruditis solis castigandus, alter vel a pueris Astrologorum irridendus. Primo, si extra Signiferum ungula Tauri promineat; Scorpius pene totus prominet. Deinde, si Tauri ungula supra verticem Æthiopum est; erunt et cætera signa, Gemini, Cancer, Leo, quæ in eodem parallelo sunt.* Hæc fere Scaliger, et facile quidem esset contra stultissimam lectionem plura dicere, quam indefensam reliquit prudens, ut opinor, sciensque Palmerius. Sed satius est revocare et restituere veram, quam falsam et commentitiam arrodere. minime dubito quin evincam sic a Lucano profectum esse,

—————— nisi poplite lapso
Ultima *TRUNCATI* procederet ungula *CAPRI.*

Virgil. Æn. vi. 794.

———— super et Garamantas et Indos
Proferet imperium: jacet extra sidera tellus
Extra anni solisque vias, ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

ubi Servius, Grotio etiam citatus, *Extra*

Ultima curvati procederet ungula Tauri.
Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diversis fontibus edit
Persis, et incertum, tellus si misceat amnes,
Quod potius sit nomen aquis. sed sparsus in agros
Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur undæ

anni solisque vias; ut ostenderet duodecim signa; in quibus est circulus (lege circuitus) *Solis. Significat autem Æthiopiam, de qua ait Lucanus, Æthiopumque solum, quod non premeretur ab ulla Signiferi regione poli, nisi poplite lapso Ultima curvati procederet ungula Tauri.* Ita Servii editiones, etiam vetustæ: membranas nullas vidi. Si tamen aut Servius, cum hæc commentaretur, legebat TAURI; aut Lucanus ita scribebat: non modo in Astronomia hospites erant, sed id quod nolo dicere—Quippe in Marone sententiam ipsam tenemus: Jacet Æthiopia versus Austrum *extra anni vias*, ultra Zodiaci spatium. Hanc æmulatus est Lucanus: quid de sua Æthiopia Noster? *Jaceret*, inquit, *ultra totam Signiferi regionem; nisi* TAURI *ungula extra Signiferum procedens illam attingeret.* Tauri ungula extra Signiferum? quæ a capite et tergo Tauri introrsus in medium Signiferum vergat? Quale vero illud portentum est! Vult suam Æthiopiam, *ad Austrum* porrigi, ultra fines Signiferi: unde ergo pertingat ad eam Taurus, qui in Borealibus signis est? Insanus, non indoctus dicendus, qui ita scripserit. Sed dum hoc redarguimus, ad ipsum emendationis limen pervenimus. Omnino enim requiritur signum, quo ex duodecim nullum Australius est. Is vero est CAPRICORNUS, qui nisi ungulam ad Austrum protenderet, extra totum Zodiacum Æthiopia jaceret. Pingebatur sic olim Capricornus, poplite lapso, et pede protenso; ut videbis in Grotii Arateis, vetere figura, et in Calendario vetere rustico apud Gruterum p. cxxxviii. *Capri truncati*, id vero est, Capricorni, qui dimidiatus tantum Caper est, cætera Pristis. *Truncati* lego pro Curvati, ut i. 242. omnes ibi quoque Codices *Curvataque cuspide pila*, pro *Truncata*. Quod si quis hoc abnuerit, et retinuerit *Curvati*; constabit tamen reliquæ emendationi fides; quia et Capricornus *curvatus* pingitur, ut Manilius;

——— et angusto Capricornus sidere *flexus*:

et

——— Tuque tuo, Capricorne, gelu *contractus* in astris.

Et *Caper* absolute est Capricornus. Manilius ii. 655.

Quattuor æquali cœlum discrimine signant,
In quibus articulos anni deus ipse creavit:
Ver *Aries*, Cererem *Cancer*, Bacchumque ministrans
Libra, *Caper* Brumam genitosque ad frigora menses.

Sic ibi obiter corrigendum; nunc absurdissime fertur, *Genitusque ad frigora Piscis;* sic ut ex quattuor Signis quinque fiant. Extant in catalectis veterum Poëtarum, Grammaticorum undecim de Signis Zodiaci versus: in quibus de Capricorno: i.

Armatusque arcu Chiron, et corniger *Hircus*.

iii.

Centaurusque senex Chiron, et cornua *Capri*.

iv.

Atque arcu pollens, et salsi gurgitis *Hircus*.

v.

Hinc tendens arcum, liquidi *Caper* æquoris inde.

At Tigrim subito tellus absorbet hiatu,
Occultosque tegit cursus, rursusque renatum
Fonte novo flumen pelagi non abnegat undis.
Inter Cæsareas acies, diversaque signa
Pugnaces dubium Parthi tenuere favorem,
Contenti fecisse duos: tinxere sagittas

vii.

Centaurusque biformis adest, pelagique *Capella*.

viii.

Scorpius, atque Sagittifer, æquoreique *Capri* frons.

x.

Et qui tela gerit Centaurus, et æquoris Hircus.

Postremo, licet intra eosdem parallelos sint Sagittarius et Capricornus; placuit tamen veteribus (τοῖς Ἀρχαίοις, narrante Gemino cap. i.) ut Cancrum maxime Borealem, ita Capricornum maxime Australem ex duodecim Signis existimare; sic ut neutrum horum συζυγίαν, sive combinationem cum ullo alio haberet.

256. *Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus Euphrates,*] Sallustius ita tradidit Tigrim et Euphratem uno fonte manare in Armenia, qui per diversa euntes longius dividantur spatio medio relicto multorum millium. Ex eodem Tauri monte eos circa Armeniam oriri tradit Strabo. Vide et Xenophontem Anabaseos iv. et Philostratum vita Apollonii lib. i. cap. 14. Boëtius Sallustium secutus:

Tigris et Euphrates uno se fonte resolvunt.

Plura qui volet adeat Pliniana Salmasii. Grotius.

265. *Pugnaces dubium Parthi tenuere favorem,*] Egregium vero Epitheton: tum *Parthi pugnaces*, cum minime pugnarent; cum a neutris partibus starent, sed belli eventum lente et otiose specularentur. non ea Lucano incuria, nec artis ignorantia. Dixisset potius Mendaces Parthi; ut Horatius Epist. ii. 1.

Invenior Parthis mendacior.

Vel Fallaces, ut Numidæ et Pœni. Seneca Œdip. 119.

Terga fallacis metuenda Parthi.

Sed quid tergiversamur? Numquam sic de me existimabo, ut me melius quid invenisse putem, quam auctor ipse reliquerit. Scripsit ergo Lucanus,

Inter Cæsareas acies, diversaque signa
ANCIPITES dubium Parthi tenuere favorem.

ut ii. 447.

Tunc urbes Latii *dubiæ*, varioque favore
Ancipites.

266. —— *Tinxere sagittas Errantes Scythiæ populi,*] TINXERE codices nostri omnes: sed acutissimus Heinsius in uno reperit UNXERE; quod ille amplectitur ad Silii ix. 12: Virgilii loco fretus, ix. 772.

———— quo non felicior alter
UNGERE tela manu, ferrumque armare veneno.

Frustra. Ovid. Trist. iii. 9.

Pars cadit hamatis misere confixa *sagittis:*
Nam volucri ferro *TINCTILE* virus inest.

et Pont. iv. 3.

Hic agri infrondes, hic spicula *TINCTA* venenis.

Hæc duo loca rem conficiunt, versu ipso pronuntiante: in cæteris litigare licet. Plin. Hist. xviii. 1. *Quod animal, excepto homine tela sua venenis tingit? Nos et sagittas tingimus, et ferro ipsi nocentius aliquod damus.* Ubi *Ungimus* reponit Heinsius; quia præcesserat *Tingit.* si hoc necesse est; meliore jure prius mutes, *Venenis ungit.* Quid ergo tot aliis locis fa-

Errantes Scythiæ populi, quos gurgite Bactros
Includit gelido, vastisque Hyrcania silvis.
Hinc Lacedæmonii moto gens aspera fræno
Heniochi, sævisque affinis Sarmata Moschis,
Colchorum qua rura secat ditissima Phasis:
Qua Crœso fatalis Halys, qua vertice lapsus

ciet? xvi. 20. *Sunt venena, quæ nunc toxica dicimus, quibus* sagittæ tingantur. xxi. 105. *Hoc venenum Dorycnion appellavere, ab eo quod* cuspides *in prœliis* tingerentur illo. xxvii. 11. *Limeum herba appellatur a Gallis, qua* sagittas *in venatu* tingunt, xi. 53. de Scythis, ut hic Noster: Sagittas tingunt *viperina sanie, et sanguine humano,* xxv. 5. *Galli* sagittas *in venatu helleboro* tingunt. Quo ex loco Gellius xvii. 16. *Præterea scriptum legimus, Gallos in venatibus* tingere helleboro sagittas. Periculum, credo, est, ne non hi ad Virgilium, sed ad hos ille exigendus sit. TINGUERE *tela manu, ferrumque armare veneno.* non enim *Unguere tela,* sic ut venenum *abstergi* possit; sed *tinguere;* ut perpetuo virus servent, nulla arte eluendum.

267. —— *Quos gurgite Bactros*
Includit gelido,] Solinus xlix. *Oxi amnis oras Bateni et Oxydracæ accolunt: sed præcipuam partem Bactri tenent. Bactris præterea est proprius amnis* BACTROS; *unde et oppidum quod accolunt, Bactrum.* Ubi Salmasius: *Altum,* ait, *apud veteres de Bactro amne silentium. Fefellit Solinum Plinius, cujus verba vulgo sic distinguunt; Bactri, quorum oppidum Zariaspe, quod postea Bactrum a flumine appellatum est. Fefellit et Martianum Capellam cujus verba sic corrigenda sunt. Inde Oxus amnis, qui circa Bactra cum ejusdem nominis oppido fluvioque.* Immo vero aliter corrigenda. Codex Academicus, *Bractanicum ejus nominis.* unde liquido legendum: *Inde Oxus amnis: qui circa Bactriam, cum ejus nominis oppido fluvioque.* Pergit ibi Salmasius Plinii locum et mentem interpunctione illustrare; *Zariaspe (quod postea Bactrum) a flumine appellatum est.* Nempe vult, *a Zariaspe flumine Zariaspen oppidum dictum esse: non a Bactro (quod nullum est) flumine Bactrum oppidum.* Hæc, tacito Salmasii nomine, celeberrimus Harduinus in Plinio suo recoxit, et *parenthesi* ait *se verba inclusisse: ne nos, ut Solinum, in fraudem impellerent.* Polyænus vii. 11. Persæ aquam cœlestem pellibus et vasis excipientes διεσώθησαν ἐπὶ τὸν βάκτρον ποταμὸν ad Bactrum *fluvium* evaserunt. Curtius vii. 4. Ipsa Bactra regionis caput sita sunt sub monte Parapaniso: Bactrus amnis præterit mœnia: Is urbi et regioni dedit nomen. Strabo xi. Πόλεις εἶχον τάτε βάκτρα, ἥνπερ καὶ Ζαριάσπαν καλοῦσιν, ἣν διαῤῥειομωνύμος ποταμὸς ἐκβάλλων εἰς τὸν Ὦξον. Vides, quot auctoribus dicam dixerit Salmasius: quia locus hic Lucani divinam ejus memoriam et stupendam diligentiam casu fefellerat. Postea, nisi fallor, licebit Bactro esse flumini; et Solinus cum Martiano salvi dimittentur. dimittetur et risu Harduinus, qui pro thesauro carbones a Salmasio furatus est.

269. *Hinc Lacedæmonii moto gens aspera fræno*
Heniochi,] Non placet MOTO *freno:* nec quemquam memini sic locutum. An DOCTO? Seneca Hippol. 1259.

—— Tortis hic dextræ locus
Hic læva frenis *docta* moderandis manus,
Ponenda.

Val. Flaccus i. 121.

—— simul undique cernit
Delatum nemus, et *docta* resonare bipenni
Litora.

sic ibi codices, sed Gronovius Heinsiusque *Ducta.*

Rhiphæo Tanais diversi nomina mundi
Imposuit ripis, Asiæque, et terminus idem
Europæ: mediæ dirimens confinia terræ,
Nunc hunc, nunc illum, qua flectitur, ampliat orbem.
Quaque fretum torrens Mæotidos egerit undas
Pontus, et Herculeis aufertur gloria metis,

275. *Europæ: mediæ dirimens confinia terræ,*] Consule aurem tuam, et mendosa hæc esse testabitur. Dixisset utique in hac sententia *Europes*, ut ipse alibi, aliique. Sed quale sodes illud est, MEDIÆ *terræ confinia? quæ ista terra media?* quippe ipse Tanais *medius* est, et dirimit confinia *utriusque* terræ. Sic iv. 18.

——— medius dirimit tentoria gurges.

et *Collis* ibidem 33.

Qui medius tutam castris dirimebat Ilerdam.

in membranis *Terræ* est *Træ:* inde Librariis error: qui sic in viam reducendi sunt.

Europæ, *MEDIO* dirimens confinia *TRACTU.*

Claudian. vi. Honor. 290. de Apennino.

Utraque perpetuo *discriminat* æquora *tractu.*

Idem Idyll. de Nilo,

Qui *rapido tractu* mediis elatus ab Austris,
Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem.

i. Stil. de Rheno 198.

Impiger a primo descendens fluminis ortu
Ad *bifidos tractus*, et juncta paludibus ora.

Dionysius Perieg. v. 11.

Εὐρώπην Ἀσίης Τάναϊς διὰ μέσσον ὁρίζει
Ὅς ῥά θ' ἑλισσόμενος γαίης διὰ Σαυρομάταων
ΣΥΡΕΤΑΙ ἐς Σκυθίηντε καὶ ἐς Μαιώτιδα λίμνην.

Tanais volutus TRAHITUR.

276. *Nunc hunc, nunc illum,*] Nunc enim Asiæ nunc Europæ largius indulget. Grotius.

277. *Quaque fretum torrens Mæotidos egerit undas*
Pontus, et Herculeis aufertur gloria metis,
Oceanumque negat solas admittere Gades.] Colbertinus alter, Trin. Cantab. aliique cum Veneta, MÆOTIDAS; contra alii numero plures cum Romana, MÆOTIDOS. Valerius Probus p. 1397. *Genitivus*, ait, *singularis* OS *syllaba terminatus, in Græca declinatione corripitur. Lucanus. Ut Pagasæa ratis peteret cum Phasidos.* (ii. 715.) *et in Terentio* (lege Tertio) *Quaque fretum torrens Mæotidos.* Hinc certissimum est Probi olim codices, habuisse *Mæotidos.* Bersmannus tamen, et eo multo melior Heinsius ad Claudianum, iv. Honor. 188. malunt *Mæotidas undas.* mihi vero neutrum placet, ut nunc locus fertur. Quis enim orationis exitus? nullus utique præter istum: *Pontus, fretum torrens, egerit undas seu Mæotidos, sive Mæotidas.* Quis vero ferre potest, *Pontus fretum torrens* per appositionem dici? Quale vero illud, *Pontus egerit undas Mæotidos?* Immo Pontus *accipit*, Mæotis in Pontum *egerit.* Hoc et olim et hodie notissimum: unde eam Μητέρα Πόντου, *Ponti matrem* dixerunt. Porro illud quale existimas, *Gloria aufertur*, et *negat Gades*, &c. An *Gloria neget?* offendit hoc ipsos etiam Librarios; unde æqua fere codicum pars cum editione Veneta NEGANT. *Homines* nempe voluerunt, malum malo sanaturi. Quid multis te moramur? Hæc certe Lucani non sunt, nescio an ista,

Quaque fretum torrens Mæoti*DAS* egerit undas;
ET VETUS Herculeis aufertur gloria metis
OCEANUSQUE negat solas *SE* admittere Gades.

Secutus est eorum, qui multi erant, opinionem, qui Oceanum Scythicum in Mæotida paludem, et inde in Euxinum et Mediterraneum influere putabant. Pli-

Oceanumque negat solas admittere Gades.
Hinc et Sithoniæ gentes, auroque ligatas
Substringens Arimaspe comas: hinc fortis Arius,
Longaque Sarmatici solvens jejunia belli
Massagetes quo fugit equo; volucresque Geloni.
Non, cum Memnoniis deducens agmina regnis
Cyrus, et effusis numerato milite telis
Descendit Perses, fraternique ultor amoris
Æquora cum tantis percussit classibus, unum
Tot reges habuere ducem. coïere nec unquam
Tam variæ cultu gentes, tam dissona vulgi
Ora. tot immensæ comites mistura ruinæ
Excivit populos, et dignas funere Magni
Exequias Fortuna dedit. non corniger Ammon
Mittere Marmaricas cessavit in arma catervas:
Quicquid ab occiduis Libye patet arida Mauris,
Usque Parætonias Eoa ad littora Syrtes.
Acciperet felix ne non semel omnia Cæsar,
Vincendum pariter Pharsalia præstitit orbem.
Ille ubi deseruit trepidantis mœnia Romæ,
Agmine nubiferam rapto superevolat Alpem:
Cumque alii famæ populi terrore paverent,

nius Hist. ii. 67. *Ingens argumentum paludis Mæoticæ sive ea illius Oceani Semtentrionalis sinus est, ut multos adverto credidisse, sive angusto discreti sinu restagnatio.* Hunc Oceani irrumpentis alveum *fretum torrens* appellat, ut alibi *Nilo torrente, sanguine torrente,* et Virgilius *Torrentia flumina*. *Et vetus*, ubi Correctores accesserant facile mutatum in *Pontus est:* et cum SE a præcedente S absorpta esset, necessario *Oceanus* transibat in *Oceanum*.

280. *Hinc et Sithoniæ gentes,*] Romana ac Veneta *Et Sidoniæ* ut codices bene multi. Pulmanni duo, *Essedones*. Cod. Trin. *Issidoniæ*. Colbertinus vetus et Regius ESSEDONIÆ. Recte; quod et alii viderunt. Val. Flaccus vi. 750. *Essedoniæque phalanges*. Recte et *Issedoniæ*. Stephanus. Ἰσσηδονὶς, ἔθνος Σκυθικόν. Εὑρίσκεται δὲ παρ' ἄλλοις διὰ τοῦ Ε. Ista Lucano litera placuit; unde error Librariis. vide Heinsium ad Val. Flacci vi. 95.

284. *Non, cum Memnoniis deducens agmina regnis*
Cyrus, et effusis numerato milite telis
Descendit Perses,] Ex nostris codicibus solus Academicus *Xerxes*, et Harleianus *Xerses*. vide Val. Flaccum, v. 498. Diodorus p. 109. Συμμαχία τοῖς Τρωσὶν ὑπ' Ἀσσυρίων, ἧς ἐστρατήγει Μέμνων ὁ Τιθωνοῦ. et mox, Ἀμφισβητοῦσι δὲ οἱ περὶ τὴν Αἴγυπτον ἄνθρωποι, λέγοντες ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις γεγονέναι τὸν Μέμνονα. Recte. Cyrus—descendit, Perses: de eodem dictum. Κυρὸς

Phocais in dubiis ausa est servare juventus
Non Graia levitate fidem, signataque jura,
Et causas, non fata, sequi. tamen ante furorem
Indomitum, duramque viri deflectere mentem
Pacifico sermone parant, hostemque propinquum
Orant Cecropiæ prælata fronde Minervæ.
  Semper in externis populo communia vestro
Massiliam bellis testatur fata tulisse,
Comprensa est Latiis quæcunque annalibus ætas.
Et nunc, ignoto si quos petis orbe triumphos,
Accipe devotas externa in prælia dextras.
At si funestas acies, si dira paratis
Prælia discordes, lacrymas civilibus armis
Secretumque damus. tractentur vulnera nulla
Sacra manu. si cœlicolis furor arma dedisset,
Aut si terrigenæ tentarent astra gigantes,
Non tamen auderet pietas humana vel armis
Vel votis prodesse Jovi: sortisque deorum
Ignarum mortale genus, per fulmina tantum
Sciret adhuc cœlo solum regnare Tonantem.
Adde quod innumeræ concurrunt undique gentes,
Nec sic horret iners scelerum contagia mundus,

Πέρσης. *Descendit.* Nepos in Aristide: *Nam postquam Xerxes in Græciam descendit.*

286. *Descendit Perses,*] Omnino legendum *Xerxes* ut in Manuscriptis. Nam et Cyrus Persa erat. Tres hic referuntur magnorum exercituum duces, Cyrus, Xerxes, Agamemnon. Grotius.

290. —— *Mistura ruinæ*] Præferendum *missura* consentiente manuscriptorum auctoritate. Grotius. Omnes quidem veteres nostri cum Rom. et Ven. MISSURA, non *Mixtura*. Æneid. ii. 86.

Illi me *comitem* et consanguinitate propinquum
Pauper in arma pater primis huc *misit* ab annis

302. —— *Fidem, signataque jura,*] Modius olim reponebat *Sacrataque* jura. sed non est opus. Propertius iii. 19.

Fœdera sunt ponenda prius, *signataque jura.*

Claudian. i. Eutrop. 380.

Germanis responsa dabat, legesque Caücis.
Arduus, et flavis *signabat jura* Suëvis.

309. —— *Latiis quæcunque annalibus ætas.*] Justinus xliii. 5. *Massilienses cum Romanis prope ab initio conditæ urbis fœdus summa fide custodierunt.*

311. *Accipe devotas externa in prælia dextras.*] *Externis bellis,* quarto ante versu, et secundo post *Prælia dira* habemus. Posterius hoc recte opinor: nam et vii. 689. *Fuge prælia dira,* Ergo hic aut scripsit, aut potuisset scribere,

Accipe devotas *CONCESSA* in *MUNIA* dextras.

Ut gladiis egeant civilia bella coactis.
Sit mens ista quidem cunctis, ut vestra recusent
Fata, nec hæc alius committat prælia miles.
Cui non conspecto languebit dextra parente?
Telaque diversi prohibebunt spargere fratres.
Finis adest rerum, si non committitis illis
Arma, quibus fas est. nobis hæc summa precandi,
Terribiles aquilas, infestaque signa relinquas
Urbe procul, nostrisque velis te credere muris,
Excludique sinas admisso Cæsare bellum.
Sit locus exceptus sceleri, Magnoque, tibique
Tutus, ut invictæ Fatum si consulat Urbi,
Fœdera si placeant, sit quo veniatis inermes.
Vel, cum tanta vocent discrimina Martis Iberi,
Quid rapidum deflectis iter? non pondera rerum,
Nec momenta sumus: nunquam felicibus armis

Accipe in omnia licita obsequia atque officia: modo nihil nefandum sit, quale hoc bellum civile.

324. *Sit mens ista quidem cunctis, ut vestra recusent Fata,*] Male hæc intelliguntur. Non dicit, utinam sit ista mens; sed *Si* sit, *Modo* sit, Si gentes externæ ea mente sint, ut discordiis vestris immiscere se nolint, sed soli Romani bellum hoc peragant, *Cui* non languebit dextra, viso exadversum fratre vel parente? Per quattuor ergo hos versus continuatur oratio; non ut vulgo, in secundo clauditur.

328. —— *Si non committitis illis Arma, quibus fas est.*] Id est his qui putant sibi licere bellum gerere civile: sine quibus necessario bellum civile interibit. Grotius. Recte. Sic vii. 314.

> Quique suos cives, quod signa adversa tulerunt,
> *Non credit fecisse nefas.*

et iv. 699.

> Infidusque novis ducibus dubiusque priori,
> *Fas utrimque putat.*

Cæterum illud leviter mutes, FINIS adest REBUS; non *Rerum.* Livius ii. 9. *Adesse finem regnis, rei inter deos hominesque pulcherrimæ.* et ii. 15. *Eam esse voluntatem omnium ut qui libertati erit in ea urbe finis, idem urbi sit.* Gellius xix. 9. *Ubi Eduliis finis fuit.* Porro, cum *Rebus* vel *Rerum* hic audis, cave *res hujus belli* accipias, sed universim *Res humanas.* Quintilianus Declam. xi. 6. *Actum est de rebus humanis, si de criminibus nostris tantumdem mendaciis licet.*

334. —— *Ut invictæ Fatum si consulat Urbi,*] Alibi hoc Epitheton equidem et ferrem et laudarem: ut Livius *Beatam urbem Romanam et* INVICTAM *et æternam illa concordia fore.* Sed in his discordiis belloque plusquam civili, sane alieno hic tempore *Invictæ.* Quid autem opus ut Fatum ei consulat, provideat, prospiciat, si tum cum maxime *Invicta* est? periculum certe est, ne a se saltem vincatur, ne suis ipsa viribus ruat. scripsit sine dubio Poëta,

> Ut *INVITÆ* Fatum si consulat urbi.

Urbi scilicet in se armatæ Fato fovente

Usa manus patriæ primis a sedibus exul,
Et post tralatas exustæ Phocidos arces,
Mœnibus exiguis alieno in littore tuti,
Illustrat quos sola fides. si claudere muros
Obsidione paras, et vi perfringere portas,
Excepisse faces tectis, et tela parati,
Undarum raptos aversis fontibus haustus
Quærere, et effossam sitientes lambere terram:
Et desit si larga Ceres, tunc horrida cerni,
Fœdaque contingi maculato carpere morsu.
Nec pavet hic populus pro libertate subire,
Obsessum Pœno gessit quod marte Saguntum.
Pectoribus rapti matrum, frustraque trahentes
Ubera sicca fame medios mittentur in ignes,
Uxor et a caro poscet sibi fata marito.
Vulnera miscebunt fratres, bellumque coacti

opus erat, ut vel invita servaretur: non civium certe virtute et fide, sed solius Fati munere.

347. *Et desit si larga Ceres, tunc horrida cerni,*
Fœdaque contingi maculato carpere morsu.] Colbertini duo, Trin. Cantab. recentiores quoque plerique, cum majore parte eorum, quos Bersmannus Pulmannusque viderunt, et editione Rom. ATTINGERE. Contra Puteaneus, Harleianus, cum Veneta CORPORA. Regius secundus CORPORE. Apparet alterutrum horum a Correctore, non a Scriba esse. Utrùm vero sit, his indiciis scire licet. Veteres isti duo ab indoctis Librariis scripti sunt, qui vel Latine nesciebant: hos nihil offendebant duo ista simul venientia CONTINGI et ATTINGERE: Quod cum jure nasutioribus displicuisset; illi *Corpora* interpolabant. Ex quo tamen, ut videtur, commentitio, vir magnus nova interpolatione CARPERE substituit. Atqui nimis delicatum est id vocabulum in re tam atroci. Recte se habet *Attingere*, et in alio hæret mendum: quod vide an sustulerim,

——————— tunc horrida cerni
Fœdaque *VEL FINGI*, maculato *ATTINGERE* morsu.

Nisi sententiam jam erigi sentis; opera omnis in explicando posita peribit: Quæ non modo cerni, sed fingi et imaginari sine horrore non possunt. Cæterum illud quale est, *Si desit larga Ceres?* Quid tum si *parca* sit et *rara*; sat bene in ista inopia sustentari potest. scripsit, ni fallor Poëta,

Et desit si *FORTE* Ceres.

Si panis et penus deficiet, coria, animalia fœda, carnes denique humanas comedemus.

348. —— *Carpere morsu.*] Ita substituimus pro *Corpora.* verbum enim desideratur. Accedit prope ad nostram emendationem MS. R. recentior, qui habet *corpore* MS. T. *attingere*, quod glossema putem. Grotius.

350. *Obsessum Pœno gessit quod marte*

Hoc potius civile gerent. Sic Graia juventus
Finierat: cum turbato jam prodita vultu
Ira ducis, tandem testata est voce dolorem.
Vana movet Graios nostri fiducia cursus.
Quamvis Hesperium mundi properemus ad axem,
Massiliam delere vacat. gaudete cohortes:
Obvia præbentur fatorum munere bella.
Ventus ut amittit vires, nisi robora densæ
Occurrant silvæ, spatio diffusus inani:
Utque perit magnus nullis obstantibus ignis,
Sic hostes mihi deesse nocet: damnumque putamus
Armorum, nisi, qui vinci potuere, rebellent.
Sed si solus eam dimissis degener armis,

Saguntum.] Veteres quattuor Trin. et alius recentior QUÆ, non *Quod*. Et sic Scholiastes Juvenalis ad xv. 93. Recte. Multa enim mala Saguntini tulerunt, non unum quiddam.

362. —— *Nisi robora densæ Occurrant silvæ,*] Variant hic codices, hi cum Puteaneo *Robora densæ;* alii, ut Harleianus, Trin. cum Romana, *Robore denso:* alii denique cum Colbertinis duobus, Arundeliano et Veneta, *Robore densæ*. Quævis ex his lectio ferri potest, sed placet postrema: Silius iii. 442.

Jamque per et colles et *densos abiete lucos.*

Æneid. x. 178.

Mille rapit *densos acie* atque horrentibus hastis.

Val. Flaccus iii. 484.

—— quosque dabat *densa trabe* Mysia montes.

Infra quidem v. 444.

—————— propulsaque *robore denso*
Sustinuit se silva cadens.

Sed ibi alia constructio est: non ut hic, *Silvæ robore denso*, sed, *silva cadens sustinuit se robore denso*. Porro et OCCURRUNT lege cum Cant. Trin. Caiano, Bersmannique codice, quia mox omnes veteres, et novi plerique REBELLANT; non *Occurrant, Rebellent*.

365. —— *Damnumque putamus Armorum, nisi, qui vinci potuere, rebellent.*] *Damnum armorum*, quid aliud esse potest, nisi cum *Arma perduntur*, amittantur? ut Horatius i. Ep. xvi. 67. *Perdidit arma, locum virtutis deseruit;* ubi nos, si vacat, videbis. Respuit vero hanc sententiam locus ipse. Quid quod versu proximo rursus habemus, *Dimissis degener* ARMIS? Aut fallor, aut scripsit Auctor,

—————— damnumque putamus
NOSTRORUM, nisi qui vinci potuere, rebellant.

Nostri absolute, pro *Nostri milites*, apud Livium aliosque Historicos passim habes. Ergo *damnum nostrorum militum putamus;* quippe quibus os sublinitur, si urbes non rebellent; et spoliis prædaque circumducuntur. Propinquæ admodum sunt literæ. *arorum, nrorum*.

373. —— *Tum mœnia clausa Conspicit;*] Iterum pro *Tum* vel *Tunc*, reponendum est CUM: vide ad iii. 9. sic supra 356.

Finierat: *CUM* turbato jam prodita vultu
Ira ducis.

375. *Haud procul a muris tumulus surgentis in altum Telluris,*] Ecce tibi hic SURGENTIS et quinto post versu in re pari CONSURGIT. Non adeo siccus jeju-

Tunc mihi tecta patent. jam non excludere tantum,
Inclusisse volunt. at enim contagia belli
Dira fugant. dabitis pœnas pro pace petita:
Et nihil esse meo discetis tutius ævo,
Quam duce me bellum. Sic postquam fatus, ad urbem
Haud trepidam convertit iter: tum mœnia clausa
Conspicit; et densa juvenum vallata corona.
Haud procul a muris tumulus surgentis in altum
Telluris, parvum diffuso vertice campum
Explicat: hæc patiens longo munimine cingi
Visa duci rupes, tutisque aptissima castris.
Proxima pars urbis celsam consurgit in arcem
Par tumulo, mediisque sedent convallibus arva:

nusque erat, ut variare verbum nequiret. sine dubio mendosum alterutrum est; et codex quidem Trin. cum altero, et Bersmanni codice, et editione Veneta CONSCENDIT pro CONSURGIT. Hoc a Correctore quodam fluxit, cui vox repetita displicebat. sed falsus est conjecturæ: *Conscendit* enim *in arcem* nihil nisi animatum, miles, dux, non *pars urbis* sive *telluris*. Prior ista vox *Surgentis* in mendo cubat, sic corrigenda,

Haud procul a muris tumulus *CRESCENTIS* in altum
Telluris.

Noster iv. 11.

Colle tumet modico, lenique *EXCREVIT IN ALTUM.*
Pingue solum tumulo.

Claudianus ii. Proserp. 98. de Ennæi campi pulchritudine,

Nec sic innumeros arcu mutante colores
Incipiens redimitur hiems, cum tramite flexo
Semita discretis interviret humida nimbis.
Forma loci superat flores: curvata tumore
Parvo planities et mollibus edita clivis
CREVERAT IN COLLEM.

Ubi plures versiculos descripsi, ut elegantem lectionem jam deperditam cultissimo Poëtæ restituam. Quid enim in Iride faciunt *nimbi* illi *discreti?* Repone sine dubio,

Semita discretis interviret humida *LIMBIS.*

376. —— *Parvum diffuso vertice campum Explicat:*] Mirum hoc quidem, campum *parvum* esse, verticem vero tumuli *diffusum*. Offendit hoc olim lectores; unde factum ut Puteaneus, Harleianus, Pulmannique unus, PARVO DIFFUSUM; alter DIFFUSUS. Sed hæ sunt hariolorum conjecturæ. Dedit Auctor,

Telluris, *PATULUM* diffuso vertice campum.

Sic alibi iv. 19.

Explicat hinc tellus campos effusa patentes.

et iv. 743.

———————— dum colle relicto
Effusam patulis aciem committeret *arvis.*

Claudian. i. Proserp. 220.

Et Cereris prolem *patulis* illudere *campis.*

Explicat, ut vi. 476.

———————— submisso vertice montes
Explicuere jugum.

378. —— *Tutisque aptissima castris.*] Deest conjunctio QUE in codice Regio et altero Bersmanni. Repone igitur, distinctione mutata;

——— hæc, patiens longo munimine cingi,
Visa duci rupes tutisque aptissima castris.

Tunc res immenso placuit statura labore,
Aggere diversos vasto committere colles:
Sed prius ut totam, qua terra cingitur, urbem
Clauderet, a summis perduxit ad æquora castris
Longum Cæsar opus, fontesque et pabula campi
Amplexus fossa, densas tollentia pinnas
Cespitibus, crudaque extruxit brachia terra.
Jam satis hoc Graiæ memorandum contigit urbi.
Æternumque decus, quod non impulsa, nec ipso
Strata metu, tenuit flagrantis in omnia belli
Præcipitem cursum: raptisque a Cæsare cunctis,
Vincitur una mora. quantum est quod fata tenentur!
Quodque virum toti properans imponere mundo
Hos perdit Fortuna dies! tunc omnia late
Procumbunt nemora, et spoliantur robore silvæ:

Hæc rupes visa castris aptissima; quippe quæ *patiens* erat *cingi munimine.* [Mox 382. perperam veterrimi quattuor DIVERSO VASTOS pro *Diversos vasto,* ut cæteri] Sed minus placet illud LONGO *munimine:* aptior sane castris fuisset, si *Facili.* Ne addam *Longum opus,* quod idem est ac *Longum munimen,* rursus haberi v. 385. crediderim ab Auctore fuisse:

—— hæc patiens *SUBITO* munimine cingi.

ut vi. 53. de ingenti illo munimine ad Dyrrachium:

Assyriis quantum populis telluris Eoæ
Sufficit in regnum, *subitum* bellique tumultu
Raptum claudit opus.

et i. 517.

Et *subitus* rapti munimine cespitis *agger.*

et iv. 29.

—— subita circumdedit agmina fossa.

Facit huc quod v. 381. infertur,

Tunc res immenso placuit statura labore.

Opponitur quippe priori, *Hoc immenso labore stetit,* illud modico.

393. *Quodque virum toti properans imponere mundo*] Vel ex ipsius Antitheti ratione, liquido constat corrigendum esse,

Quodque *UNUM* toti properans imponere mundo.

Sic x. 27. de Alexandro Magno,.

—————— terras tot posse sub *uno*
Esse viro.

397. —— *Structa laterum compago ligatam*
Arctet humum, pressus ne cedat turribus agger.] Quid sodes *arctet humum,* nisi ipse *Agger?* is solus hic est Nominativus. Deinde *pressus ne cedat turribus* non sapit Lucani compositionem. Tu lege et distingue:

———— structa laterum campago ligatam
Arctet humum pressus, *NEC* cedat turribus agger.

Pressus, non superne a turribus; sed a lateribus per roborum compagem.

400. *Obscurum cingens connexis aëra ramis,*] Quid hoc locutionis est? *Lucus* CINGENS *obscurum aëra et gelidas umbras?* Immo faciens. Repone,

Obscurum *EFFICIENS* connexis aëra ramis.

ut i. 140.

———— nudosque per aëra ramos
Effundens, trunco, non frondibus, *efficit umbram.*

Ut, cum terra levis mediam virgultaque molem
Suspendant, structa laterum compago ligatam
Arctet humum, pressus ne cedat turribus agger.
Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo,
Obscurum cingens connexis aëra ramis,
Et gelidas alte summotis solibus umbras.
Hunc non ruricolæ Panes, nemorumque potentes
Sylvani Nymphæque tenent, sed barbara ritu
Sacra deum, structæ sacris feralibus aræ;
Omnis et humanis lustrata cruoribus arbos.
Si qua fidem meruit Superos mirata vetustas,
Illis et volucres metuunt insistere ramis,
Et lustris recubare feræ: nec ventus in illas
Incubuit silvas, excussaque nubibus atris
Fulgura: non ullis frondem præbentibus auris,

Cingens efficiens, pares in utroque sunt literarum ductus.

403. —— *Sed barbara ritu Sacra deum, structæ sacris feralibus aræ;*] Omnes ubique codices cum Rom. et Ven. *Structæ* DIRIS ALTARIBUS *aræ;* præter unicum Bersmanni, qui habet SACRIS FERALIBUS: primus hoc et solus in textum adscivit Grotius. Offenderat nempe Correctorem aliquem, *Altaribus aræ*, ut pote idem bis dictum; unde interpolationem suam transtulit ex vi. 432.

Moverat et tristes *SACRIS FERALIBUS* aras.

Huic nimium credulus vir magnus, dum unum vitium evitare studet, majore se irretivit. Quale enim est, in eodem versiculo, *Sacra* et *Sacris?* Hoc certe ferri non potest, utcumque exeant cætera. Sed sana est antiqua lectio, *Structæ diris altaribus aræ*. Duo enim ista sæpe conjunguntur. Virgil. Eclog. v. 65.

—————— en quattuor *aras*,
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phœbo.

Prudentius Peri Steph. x. 49.

Altaris aram funditus pessumdare.

Quintilian. Declam. xii. 26. Quod *aris altaria* non imposuimus, &c. Calpurnius Declam. xxvi. *Ubi denique me feriet? Hic* inter aras et altaria, *ubi publica vota suscepi?* Statius Silv. iii. 3. 23.

—————— date serta per *aras*
Festaque pallentes hilarent *altaria* lucos.

Ex his locis, ubi altaris aram funditus pessumdare, et aris altaria imponere dicitur, videbis recte hæc accepisse Servium ad Eclog. v. 65. ubi *alii*, inquit, *dicunt Altaria, eminentia ararum, et ipsa libamina:* Aræ igitur sunt bases et fundamenta altarium.

406. *Si qua fidem meruit Superos mirata vetustas,*] *Si qua vetustas?* Hoccine tam diu et tam patienter? *Quot* quæso sunt vetustates? Repone certissime.

SIQUE fidem meruit.

407. *Illis et volucres metuunt insistere ramis,*] *Illis ramis*, et versu sequente *illas silvas?* Numquam sic dedisset Lucanus. Repone,

ILLIC et volucres metuunt *INSIDERE* ramis,
Et lustris recubare feræ.

Illic codex Regius habet, et Pulmanni;

Arboribus suus horror inest. tum plurima nigris
Fontibus unda cadit, simulacraque mœsta deorum
Arte carent, cæsisque extant informia truncis.
Ipse situs, putrique facit jam robore pallor
Attonitos: non vulgatis sacrata figuris
Numina sic metuunt: tantum terroribus addit,
Quos timeant non nosse deos. jam fama ferebat
Sæpe cavas motu terræ mugire cavernas,
Et procumbentes iterum consurgere taxos,
Et non ardentis fulgere incendia silvæ,
Roboraque amplexos circumfluxisse dracones.
Non illum cultu populi propiore frequentant,

Bersmannique editiones. *Insidere*, codex Harleianus recentior.

411. *Arboribus suus horror inest.*] Utitur ad 1. Æneidos Servius, ut probet horrorem ad religionem pertinere. Idem ad Æn. 11. *connexa sunt metus et religio.* Grotius. Æneid. i. 69. *Horrentique atrum nemus imminet umbra:* ubi Servius: *Horror plerumque ad odium pertinet; plerumque* (lege nonnumquam) *ad venerationem, ut hoc loco: sic Lucanus, Arboribus suus horror inest.* Sed nec Servius neque Grotius recte hic Lucanum accipit. Horror nihil aliud hic est, nisi tremor foliorum: sed locus a mendo laborat. Lege,

—— Non ullis frondem *QUATIENTIBUS* auris,
Arboribus suus horror inest.

Suus horror, suus tremor inest, non ab auris, sed a numine. *Frondem præbentibus*, quasi pecori pabulum præbendum esset, ridiculum hic loci est. Colbertinus veterrimus *Præventibus: Horror foliorum*, ut Horat. Carm. i. 23.

Nam seu mobilibus vepris *inhorruit*
Ad ventum foliis.

SUUS *horror*, non ab aura excitatus. Ovid. Metam. ix. 545. de Loto:

———— vidi guttas a flore cruentas
Decidere, et *tremulo ramos horrore* moveri.

Seneca Œdip. 575.

Duxere rimas robora et totum nemus,
Concussit horror.

Metam. vii. 629.

Intremuit, ramisque sonum *sine flamine* motis
Alta dedit quercus.

Auctor de Nuce,

Sæpe meas vento frondes tremuisse putastis:
Et metus in nobis causa tremoris erat.

Suus, id est proprius. Seneca Thyest. 678. de simili silva:

———————— nec dies sedat metum:
Nox *propria* luco est, et superstitio inferum
In luce media regnat.

414. *Ipse situs, putrique facit jam robore pallor Attonitos:*] Si *pallor* in simulacris attonitos spectantes facit, quid fiet, ubi signa deorum e marmore Pario sunt? cum *situm* legis et *putre robur*, nonne illico tibi succurrit, sic a Poëta datum esse,

Ipse situs, putrique facit jam robore *PÆDOR.*

Pædor, sordes, illuvies, squalor. Noster ii. 73.

—————————— mox vincula ferri
Exedere senem, longusque in carcere *pædor.*

429. *Sed fortes tremuere manus, motique verenda*

Sed cessere deis medio cum Phœbus in axe est,
Aut cœlum nox atra tenet, pavet ipse sacerdos
Accessus, dominumque timet deprendere luci.
Hanc jubet immisso silvam procumbere ferro:
Nam vicina operi, belloque intacta priori
Inter nudatos stabat densissima montes.
Sed fortes tremuere manus, motique verenda
Majestate luci, si robora sacra ferirent,
In sua credebant redituras membra secures.
Implicitas magno Cæsar terrore cohortes
Ut vidit, primus raptam librare bipennem
Ausus, et aëriam ferro proscindere quercum,

Majestate luci,] Non nimis belle procedit oratio. *Manus tremuere,* et *moti.* Quinam isti qui moti erant? *Milites,* opinor: quod post *manus* casu recto, dure et invite subintelligitur. Codex Academicus pro varia lectione TENUERE, id recte, et totam sententiam aperit, quæ hujusmodi est,

Sed *SONTES TENUERE* manus, motique verenda
Majestate loci.

Jussi milites lucum excidere, *manus tenebant. Tenuere* id est Continuere. Noster ii. 292.

—— Compressas *tenuisse* manus.

et iv. 289.

———— si conscius ensis adacti
Stat victor, *tenuitque manum.*

Fortes manus, si vera lectio est, non ad virtutem pertinet, sed ad robur. Ovid. Fast. iv. 302. de iis qui fune navem trahebant:

Quisquis adest operi, plusquam pro parte laborat,
Adjuvat et *fortes* voce sonante *manus.*

scripsisse tamen credo Poëtam SONTES *manus.* quod bipennibus armatæ essent, licet nondum arbores violaverint.

432. *Implicitas magno Cæsar terrore cohortes*

Ut vidit,] Recte *terrore,* non, ut alii, *torpore.* causam habes in his quæ jamjam dicta. Adde Virgilium,

Jam tum religio pavidos terrebat agrestes.

Grotius. Veteres nostri omnes et plerique alii cum Rom. et Ven. TORPORE; unus tantum et alter TERRORE; Priscianus p. 863. *Explico composita penultimam A vel I habent in supino; unde Lucanus in* iii. *Implicitas magno Cæsar* TORPORE *cohortes.* Sic etiam ibi habet codex egregius Cantab. Certe longe elegantius est, *Torpore* quam *Terrore.* Torpebant milites, cunctabantur, stabant ut attoniti. Noster iii. 741.

Ut *torpore* senex caruit, viresque cruentus
Cœpit habere dolor.

Claudianus ii. Eutrop. 391.

Quis novus hic *torpor,* socii? quonam usque sedemus?

et 155.

Sic eat: in nostro quoniam jam milite robur
Torpuit.

Implicitas torpore; ut Noster v. 434.

—— alto *torpore ligata.*

433. —— *Primus raptam librare bipennem*] Sic ex Pulmanni Bersmannique codicibus pars major cum Veneta, LIBRARE. Contra ex nostris Colbertinus alter, Puteaneus. Harleianus, Trin. Cantab. cum

Effatur merso violata in robora ferro:
Jam ne quis vestrum dubitet subvertere silvam,
Credite me fecisse nefas. Tunc paruit omnis
Imperiis non sublato secura pavore
Turba, sed expensa Superorum, et Cæsaris ira.
Procumbunt orni, nodosa impellitur ilex,
Silvaque Dodones, et fluctibus aptior alnus,
Et non plebeios luctus testata cupressus,
Tunc primum posuere comas, et fronde carentes
Admisere diem: propulsaque robore denso
Sustinuit se sylva cadens. gemuere videntes
Gallorum populi: muris sed clausa juventus
Exultat. quis enim læsos impune putaret
Esse deos? servat multos Fortuna nocentes:
Et tantum miseris irasci numina possunt.
Utque satis cæsum nemoris, quæsita per agros
Plaustra ferunt: curvoque soli cessantis aratro
Agricolæ raptis annum flevere juvencis.
  Dux tamen impatiens hæsuri ad mœnia martis
Versus ad Hispanas acies, extremaque mundi,

aliis et Romana VIBRARE. Passim hæc duo a Librariis confunduntur.

434. *Ausus, et aëriam ferro proscindere quercum,*

Effatur merso violata in robora ferro:] Ecce tibi Librariorum elegantias: *Ferro proscindere*, et continuo insequens *Ferro merso*. *Proscindere* autem *quercum*, pro exscindere, evertere, ne Latinum quidem est. *Proscindere terram vomere*, &c. *Proscindere æquor rostro*, &c. *Proscindere*, figurate, *convicio*, &c. hæc, et nihil aliud Latine. Quid ergo? Hanc Scribarum ignaviam ut ipse Lucanus luat? Immo suam Poëtæ lectionem restituere laborabimus,

——————— librare bipennem
Ausus, et aërlam *PROPERANS PROSTERNERE* quercum.

Claud. iii. Proserp. 360.

Et magis enodes *properat prosternere* cedros.

Ex hoc ipso loco hæc expressisse videatur.

450. *Utque satis cæsum nemoris, quæsita per agros*

Plaustra ferunt:] Libri plerique omnes cum Rom. et Ven. CÆSI. Romana insuper *utque satis cæsi* EST *nemoris*. Placet, nisi forte malis, *Utque* SAT EST *cæsi nemoris*. Georg. ii. 398.

Est etiam ille labor curandis vitibus alter:
Cui numquam *exhausti satis est*.

Ovid. Heroid. xiv.

Et queritur facti sanguinis esse parum.

469. *At saxum quoties ingenti ponderis ictu*

Excutitur,] Omnes nostri cum Rom. et Ven. VERBERIS: unus tantum Bersmanni PONDERE: unde, ut videtur, temere in textum suum intulit

Jussit bella geri. stellatis axibus agger
Erigitur, geminasque æquantes mœnia turres
Accipit: hæ nullo fixerunt robore terram,
Sed per iter longum causa repsere latenti.
Cum tantum nutaret onus, telluris inanes
Concussisse sinus quærentem erumpere ventum
Credidit, et muros mirata est stare juventus.
Illinc tela cadunt excelsas urbis in arces.
Sed major Graio Romana in corpora ferro
Vis inerat. neque enim solis excussa lacertis
Lancea, sed tenso ballistæ turbine rapta,
Haud unum contenta latus transire, quiescit:
Sed pandens perque arma viam, perque ossa, relicta
Morte fugit: superest telo post vulnera cursus.
At saxum quoties ingenti ponderis ictu
Excutitur, qualis rupes, quam vertice montis
Abscidit impulsu ventorum adjuta vetustas,
Frangit cuncta ruens: nec tantum corpora pressa
Exanimat: totos cum sanguine dissipat artus.
Ut tamen hostiles densa testudine muros

Grotius. De verbere ex balista hic agitur, nondum de pondere, quod versu demum 480 fit, *sed pondere solo contenti.* Offendit, opinor, virum magnum, *Verberis ictu;* quasi bis idem esset, perinde ac *Verberis verbere.* sed sic etiam Ovid. Metam. xiv. 820.

——— conscendit equos Gradivus, et ictu
Verberis admonuit.

Phocas, Grammaticus vetus, p. 1709. *Sunt quæ a genitivo casu singulari declinationis sumunt exordium, ut Remigis, Frondis, Verberis; ut Lucanus, At saxum quoties ingenti* verberis *ictu Excutitur.* Constat hic Phocam legisse *Verberis:* quippe *Ponderis* non caret nominativo. De *Ictu* dubitare adhuc potes; nam quattuor nostri veterrimi *Verberis* ACTU. Rectissme: *Ingenti actu, magno impetu,* Virgil. Æneid. xii. 684.

Ac veluti montis *saxum* de vertice præceps
Cum ruit avolsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas
Fertur in abruptum *magno mons improbus actu.*

Plane ut Noster, *Saxum, qualis rupes vertice montis abscissa, ingenti actu ruit.* ex eodem Virgilii loco corrigendus. Silius i. 491.

——————— corripit ingens
Aggere convulso *saxum*, et nitentis in ora
Devolvit, pronoque silex ruit incitus *ACTU.*

Non ut nunc fertur, *Ictu.* Denique *Actu* pro *Ictu* infra hic lege v. 490. ut supra ii. 77.

472. *Frangit cuncta ruens: nec tantum corpora pressa*
Exanimat:] Colbertinus secundus, et Regius, proque varia lectione Puteaneus, STERNIT. Utrimvis bene, sed illud melius. *Pressa* vero, quod omnes codices

Tecta subit virtus, armisque innexa priores
Arma ferunt, galeamque extensus protegit umbo,
Quæ prius ex longo nocuerunt missa recussu,
Jam post terga cadunt: nec Graiis flectere jactum,
Aut facilis labor est longinqua ad tela parati
Tormenti mutare modum: sed pondere solo
Contenti, nudis evolvunt saxa lacertis.
Dum fuit armorum series, ut grandine tecta
Innocua percussa sonant, sic omnia tela
Respuit: at postquam virtus incensa virorum
Perpetuam rupit defesso milite cratem,
Singula continuis cesserunt ictibus arma.
Tunc adoperta levi procedit vinea terra,

exhibent, non videtur auctoris esse, sed PRENSA. Silius xv. 535.

——————— hinc lancea turbine nigro
Fert letum cuicumque viro, quem *PRENDERIT* ictus.

475. —— *Armisque innexa priores Arma ferunt,*] De testudine oppugnatoria hic agitur. Ejus hic mos, ut alii super aliorum scuta acclivia scanderent. Tacitus historiarum III: *Innixi humeris et super iteratam testudinem scandentes.* Et historiarum iv. *invasere vallum appositis plerique scalis: alii per testudinem suorum: scandebantque jam quidem.* Quare MS. P. recte habet, *prioris,* dum et pro *innexa* scribatur, *innixa.* Grotius. INNIXA Colbertinus prior et Puteaneus: quin et Colbert. alter et Harleianus *Innixa* habent; sed superne notatum, *nex;* ut cæteri omnes cum Rom. et Ven. INNEXA PRIORIS quoque Puteaneus et Harleianus: cæteri cum editis PRIORES. Pluries vero, ni fallor, hic erratum est: abest enim ille nitor, qui in sanis nostri Poëtæ locis elucet. *Tecta virtus subit.* quid postea? *Ferunt arma:* qui? milites scilicet subaudiuntur. Tum *Umbo protegit galeam.* Videsne istos *milites,* quos subintelligas, et ex improviso induci, et continuo excludi. Quid autem est *Prioris?* an *tectæ virtutis?* atqui tecta virtus, tota testudo est, non pars. An *prioris,* militis scilicet? Quid? unusne tantum miles erat in fronte testudinis? certe plurium series. Pro *Ferunt,* Arundelianus *Gerunt.* Sed veterrimus Colbertinus, ARMA ERANT. Haud illud de nihilo est; et aut fallor, aut sic dederat Lucanus,

Ut tamen hostiles densa testudine muros
Tecta subit virtus, armisque *INNEXA PRIORIS*
Arma *HÆRENT,* galeamque extensus protegit umbo.

Arma hærent innexa armis prioris seriei, *umbo* sequentis *protegit galeam prioris.* Nota sunt de Testudine omnia. Nam quæ ex Tacito profert vir magnus non *formam* testudinis, sed *usum* ostendunt. INNEXA, ut idem Tacitus Hist. iii. 27. *Testudinem lanceis contisque scrutantur donec soluta* COMPAGE *scutorum, exsangues aut laceros prosternerent.* Si *Compage,* tum utique *Innexa,* non *Innixa.* et *Hærent* non *Ferunt.* Isidorus, *Est et Testudo scutorum* CONNEXIO, *curvata in testudinis morem.* Et iterum, *Contra balistam testudo: series enim fit armorum, umbonibus inter se* CONNEXIS. Servius

Sub cujus pluteis, et tecta fronte latentes,
Moliri nunc ima parant, et vertere ferro
Mœnia: nunc aries suspenso fortior ictu.
Incussus densi compagem solvere muri
Tentat, et impositis unum subducere saxis.
Sed super et flammis, et magnæ fragmine molis,
Et sudibus crebris, et adusti roboris ictu
Percussæ cedunt crates, frustraque labore
Exhausto fessus repetit tentoria miles.
Summa fuit Graiis starent ut mœnia voti.
Ultro acies inferre parant: armisque coruscas
Nocturni texere faces: audaxque juventus
Erupit: non hasta viris, non letifer arcus,

ad Æneid. ix. 517. *Armorumque resolvit Tegmina, Ostendit,* ait, *armorum* CONNEXIONEM *esse testudinem.* Noster vii. 493.

Pompeii densis acies stipata catervis,
Junxerat in seriem *NEXIS* umbonibus arma.

Valer. Flaccus. iii. 90.

——— sic contextis umbonibus urgent.

et mox 147.

——— pergunt rupta testudine fusi.

Contra in ascensione collis iv. 39. *Sequentis,* non Prioris;

——— adversoque acies in monte supino
Hæret, et in tergum casura, *umbone sequentis*
Erigitur.

477. *Quæ prius ex longo nocuerunt missa recussu,*] MS. P. et T. *recessu.* quod recipiendum. Subierant mœnia, ita ut jam telis impeti non possent, sicut ante eminus impetebantur. Grotius. *Recussu,* sive repercussu, nullum hic locum habet. omnes Scripti Editique *Recessu;* nisi quod Bersmanni editio, typographi utique errore, *Recussu,* quod miror virum magnum retinuisse. *Recessu,* spatio, intervallo. Valer. Max. iii. 6. 1. *Vegeta et strenua ingenia, quo plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt.*

478. —— *Nec Graiis flectere jactum, Aut facilis labor est*] Pro NEC, codex ex nostris unus *Non,* alius *Nam:* pro AUT tres vel quattuor cum Ven. *Haud.* Repone,

——— *NAM* Graiis flectere jactum
HAUD facilis labor, *ET* longinqua ad tela parati
Tormenti mutare modum.

485. *Perpetuam rupit defesso milite cratem,*] Citat Servius ad illud ix. Æn. *armorumque resolvit Tegmina:* addens armorum connexionem esse testudinem. Tacitus historiarum III. *pondera Saxorum Vitelliani provolvunt, disjectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur, donec soluta compage scutorum exsangues aut laceros prosternerent.* Grotius.

488. *Sub cujus pluteis, et tecta fronte latentes,*] Colbert. et Puteaneus, *Fronde.* Lege *Texta fronde.* Cæsar Civil. ii. 1. de hac ipsa Massiliæ oppugnatione: *Tanta multitudo tormentorum in oppido erat, ut eorum vim nullæ* contextæ viminibus *vineæ sustinere possent.* Livius xxxv. 27. *Cum multitudo alia casas ex arundinibus* textas *fronde, quæ umbram modo præberet,* texissent.

489. —— *Et vertere ferro Mœnia:*] Lege *Fundo.* Livius xxi. 11. *Tum Annibal quingentos ferme Afros cum dolabris ad subruendum ab imo murum mittit.*

Telum flamma fuit, rapiensque incendia ventus
Per Romana tulit celeri munimina cursu.
Nec, quamvis viridi luctetur robore, lentas
Ignis agit vires: teda sed raptus ab omni
Consequitur nigri spatiosa volumina fumi:
Nec solum silvas; sed saxa ingentia solvit,
Et crudæ putri fluxerunt pulvere cautes.
Procubuit, majorque jacens apparuit agger.
Spes victis telluris abit, placuitque profundo
Fortunam tentare mari. non robore picto
Ornatus decuit fulgens tutela carinas,
Sed rudis, et qualis procumbit montibus arbor,
Conseritur stabilis navalibus area bellis.
Et jam turrigeram Bruti comitata carinam
Venerat in fluctus Rhodani cum gurgite classis,
Stœchados arva tenens. nec non et Graia juventus
Omne suum fatis voluit committere robur:
Grandævosque senes mistis armavit ephebis.
Accepit non sola viros, unæ stabat in undis
Classis; et emeritas repetunt navalibus alnos.
Ut matutinos spargens super æquora Phœbus
Fregit aquis radios, et liber nubibus æther,
Et posito Borea, pacemque tenentibus Austris,
Servatum bello jacuit mare, movit ab omni
Quisque suam statione ratem, paribusque lacertis
Cæsaris hinc pubes, hinc Graio remige classis
Tollitur: impulsæ tonsis tremuere carinæ,
Crebraque sublimes convellunt verbera puppes.
Cornua Romanæ classis, validæque triremes,
Quasque quater surgens extructi remigis ordo
Commovet, et plures quæ mergunt æquore pinus,
Multiplices cinxere rates. hoc robur aperto
Oppositum pelago. lunata fronte recedunt,

553. —— *Pugnamque lacessere*] Ita rectius quam *capessere*, ob id quod sequitur. Grotius.

558. *Tunc in signifera residenti puppe magistro*] In nave prætoria. Grotius.

564. —— *Percussæ capta cohæsit.*]

Ordine contentæ gemino crevisse liburnæ.
Celsior at cunctis Bruti prætoria puppis
Verberibus senis agitur, molemque profundo
Invehit, et summis longe petit æquora remis.
Ut tantum medii fuerat maris, utraque classis
Quod semel excussis posset transcurrere tonsis,
Innumeræ vasto miscentur in æthere voces:
Remorumque sonus premitur clamore: nec ullæ
Audiri potuere tubæ. tum cærula verrunt,
Atque in transtra cadunt, et remis pectora pulsant.
Ut primum rostris crepuerunt obvia rostra:
In puppim rediere rates, emissaque tela
Aëra texerunt, vacuumque cadentia pontum.
Et jam diductis extendunt cornua proris,
Diversæque rates laxata classe receptæ.
Ut, quoties æstus Zephyris, Eurisque repugnat,
Huc abeunt fluctus, illuc mare: sic ubi puppes
Sulcato varios duxerunt gurgite tractus,
Quod tulit illa ratis remis, hæc reppulit æquor.
Sed Graiis habiles, pugnamque lacessere pinus
Et tentare fugam, nec longo frangere gyro
Cursum, nec tarde flectenti cedere clavo.
At Romana ratis stabilem præbere carinam
Certior, et terræ similem bellantibus usum.
Tunc in signifera residenti puppe magistro
Brutus ait, paterisne acies errare profundo?
Artibus et certas pelagi? jam consere bellum:
Phocaicis medias rostris oppone carinas.
Paruit, obliquas et præbuit hostibus alnos.
Tunc quæcunque ratis tentavit robora Bruti,
Ictu victa suo, percussæ capta cohæsit.
Ast alias manicæque ligant, teretesque catenæ,

Emendatio est viri prælustris Johannis Rutgersii, regis Sueonum ad Batavos legati, probata à MS. P. cum ante legeretur, *percussa et capta*. Naves invectæ in prætoriam Bruti cohæserunt, velut captæ, ipso ictus sui impetu. ita Curtius lib

Seque tenent remis: tecto stetit æquore bellum.
  Jam non excussis torquentur tela lacertis,
Nec longinqua cadunt jaculato vulnera ferro:
Miscenturque manus. navali plurima bello
Ensis agit. stat quisque suæ de robore puppis
Pronus in adversos ictus: multique peremti
In ratibus cecidere suis. cruor altus in undis
Spumat, et obducto concrescunt sanguine fluctus.
Et quas immissi traxerunt vincula ferri,
Has prohibent jungi conserta cadavera puppes;
Semianimes alii vastum subiere profundum,
Hauseruntque suo permistum sanguine pontum.
Hi luctantem animam lenta cum morte trahentes,
Fractarum subita ratium periere ruina.
Irrita tela suas peragunt in gurgite cædes:
Et quodcunque cadit frustrato pondere ferrum,
Exceptum mediis invenit vulnus in undis.
Phocaicis Romana ratis vallata carinis,
Robore diducto dextrum, lævumque tuetur
Æquo marte latus: cujus dum pugnat ab alta
Puppe Tagus, Graiumque audax aplustre retentat,
Terga simul pariter missis et pectora telis
Transigitur. medio concurrit pectore ferrum,
Et stetit incertus flueret quo vulnere sanguis,

iv: *In quarum alteram quinqueremis eadem concitata et ipsa rostro icta est, et illam invicem tenuit.* Grotius. Ut Rutgersius ex conjectura emendaverat, ita clare habet codex Collegii Trinitatis, *Percussæ capta.* Colbertinus secundus, *Percussa et capta.*

571. —— *Multique peremti
In ratibus cecidere suis.*] Imo lege cum MS. P.

—————— nullique peremti
In ratibus cecidere suis.

Quomodo et à priori manu habuisse videtur MS. T. sensus est: De puppe ita prominentes pugnabant, ut qui caderent, non in navim suam caderent, sed in hostilem, vel in mare. Grotius.

572. —— *Cruor altus in undis
Spumat,*] Manuscripti, *Undis, Unda, Undas.* Hoc ultimum recipio. Sic supra v. 190.

Colchis et Adriacas *spumans* Absyrtis in *undas.*

Ibid. —— *Cruor altus in undis
Spumat, et obducto concrescunt, sanguine fluctus.*] Antea erat, *obaucti concreto.* Sed ita, ut nos, MS. Grotius.

600. *Dum cupit in sociam Gyareus erumpere puppim,*] Codices quidem *Irre-*

Donec utrasque simul largus cruor expulit hastas,
Divisitque animam, sparsitque in vulnera letum.
Dirigit huc puppim miseri quoque dextra Telonis,
Qua nullam melius, pelago turbante, carinæ
Audivere manum: nec lux est notior ulli
Crastina, seu Phœbum videat, seu cornua lunæ,
Semper venturis componere carbasa ventis.
Hic Latiæ rostro compagem ruperat alni:
Pila sed in medium venere trementia pectus,
Avertitque ratem morientis dextra magistri.
Dum cupit in sociam Gyareus erumpere puppim,
Excipit immissum suspena per ilia ferrum,
Affixusque rati, telo retinente, pependit.
Stant gemini fratres, fecundæ gloria matris,
Quos eadem variis genuerunt viscera fatis:
(Discrevit mors sæva viros: unumque relictum
Agnorunt miseri, sublato errore, parentes,
Æternis causam lacrymis: tenet ille dolorem
Semper, et amissum fratrem lugentibus offert.)
Quorum alter, mistis obliquo pectine remis
Ausus Romanæ Graia de puppe carinæ
Injectare manum: sed eam gravis insuper ictus
Amputat: illa tamen nixu quo prenderat, hæsit,
Diriguitque tenens strictis immortua nervis.

pere; quod ad Silium recipit N. Heinsius, sententia ipsa hoc postulante. Quippe si *erupisset* in navim, et non *irrepsisset,* qui potuit fieri, ut telo affigeretur rati?

605. *(Discrevit mors sæva viros:*] Omnino parenthesi hic opus, quam visum est addere. Grotius. Nec tamen vel illa parenthesi sententia perspicua fit. Quorsum enim ista, *Discrevit mors viros*, et *Sublato errore?* cum nihil dixerat de formæ similitudine: non ita Virgilius, quem præ oculis hic Noster habuit, Æneid. x. 390.

> Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in arvis,
> Daucia, Laride Thymberque simillima proles,
> Indiscreta suis, gratusque parentibus error:
> At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas.

At Noster nihil omnino de forma:

> Stant gemini fratres, fecundæ gloria matris,
> Quos eadem variis genuerunt viscera fatis:
> Discrevit mors sæva viros.

Quid? an credidit omnes Gemellos simili facie nasci? Incredibile vero hoc est: et aut versus excidit, aut sic vel simile quid scripsit,

> Quos eadem *simili* genuerunt viscera *forma.*

610. *Ausus Romanæ Graia de puppe carinæ*
Injectare manum: sed eam gravis insuper ictus
Amputat:] Quædam interdum de historia ex affectu, aut quia sic poëma

Crevit in adversis virtus: plus nobilis iræ
Truncus habet: fortique instaurat prælia læva,
Rapturusque suam procurrit in æquora dextram.
Hæc quoque cum toto manus est abscissa lacerto.
Jam clypeo, telisque carens, non conditur ima
Puppe: sed expositus, fraternaque pectore nudo
Arma tegens, crebra confixus cuspide perstat:
Telaque multorum leto casura suorum
Emerita jam morte tenet. tum vulnere multo
Effugientem animam lassos collegit in artus:
Membraque contendit toto quicunque manebat
Sanguine, et hostilem, defectis robore membris,
Insiluit, solo nociturus pondere, puppim.
Strage virum cumulata ratis, multoque cruore
Plena, per obliquum crebros latus accipit ictus.
At postquam ruptis pelagus compagibus hausit,
Ad summos repleta foros, desedit in undas,
Vicinum involvens contorto vertice pontum.
Æquora discedunt mersa diducta carina,
Inque locum puppis cecidit mare. multaque ponto
Præbuit illa dies varii miracula fati.

melius fluit, immutat Lucanus, ut hic. nam Acilius Cæsarianus miles x. legionis dextra amissa lævam in Massiliensium navem injecit, nec prius destitit quam eam mergeret. Vide Valerium Maxim. l. III. c. xii. Est eadem apud Plutarchum historia. Grotius.

616. *Rapturusque suam procurrit in æquora dextram.*] Apage illud *Procurrit*, non in litore et vado res agitur, sed in alto mari. Nostri omnes codices recte habent PROCUMBIT; pronus scilicet ex latere navis.

625. —— *Defectis robore membris,*] Versu præcedente habuimus, *Membraque contendit.* Repone igitur ex melioribus codicibus,

———— defectis robore *NERVIS.*

Sic et iv. 372.

———— mox robora *nervis*
Et vires rediere viris.

630. —— *Desedit in undas,*] Libri fere omnes DESCENDIT. Lege DESIDIT tempore præsenti; ut supra *Accipit;* infra Discedunt.

634. *Præbuit illa dies*] Meliores codices *Ille dies;* ut Noster solet, et v. 636. pro *Lycidam*, meliores *Lycidan.*

638. —— *Nec, sicut vulnere, sanguis Emicuit lentus:*] Contrarias res indicant *Emicuit* et *Lentus:* ut vel ex his Senecæ constabit, Œdip. 345.

Utrum *citatus* vulnere angusto *micat*
An *lentus* altas irrigat plagas *cruor?*

Ferrea dum puppi rapidos manus inserit uncos,
Affixit Lycidam. mersus foret ille profundo,
Sed prohibent socii, suspensaque crura retentant.
Scinditur avulsus: nec, sicut vulnere, sanguis
Emicuit lentus: ruptis cadit undique venis,
Discursusque animæ diversa in membra meantis
Interceptus aquis, nullius vita peremti
Est tanta dimissa via. pars ultima trunci
Tradidit in letum vacuos vitalibus artus,
At tumidus qua pulmo jacet, qua viscera fervent,
Hæserunt ibi fata diu: luctataque multum
Hac cum parte viri vix omnia membra tulerunt.
   Dum nimium pugnax unius turba carinæ
Incumbit prono lateri, vacuamque relinquit,
Qua caret hoste, ratem: congesto pondere puppis
Versa, cava texit pelagus, nautasque carina:
Brachia nec licuit vasto jactare profundo,
Sed clauso periere mari. Tunc unica diri
Conspecta est leti facies, cum forte natantem
Diversæ rostris juvenem fixere carinæ.
Discessit medium tam vastos pectus ad ictus:

Sed sana fiet sententia, distinctione tantum mutata,

——— nec sicut vulnere, sanguis
Emicuit: lentus ruptis cadit undique venis.

vel potius ut ambiguum evitetur.

Emicuit: ruptis lentus cadit undique venis.

651. *Brachia nec licuit vasto jactare profundo,*
Sed clauso periere mari.] Nihil confert orationi illud *Vasto* præter sonum inanem: et mox iterum habemus, sed recte et apposite,

——— tam *vastos* pectus ad ictus.

Repone igitur,

Brachia nec licuit *VACUO* jactare profundo.

Id est, aperto et libero: et vides Antitheton,

Sed *clauso* periere mari.

657. ——— *Eliso ventre, per ora*
Ejectat saniem permistus viscere sanguis.] Expende hæc paulisper: *Sanguis,* ait, *ejectat saniem:* Quid vero impediebat, cur ambo non simul exirent, cum uterque liquidus sit? Deinde ait, *Sanguis permistus viscere.* Quo quæso viscere ex tam multis? quin in vivo et sano corpore sanguis omnibus visceribus permistus est. Ex nostris codicibus unus et alter VISCERA. Lege ergo minima mutatione,

——— eliso ventre, per ora
Ejectat *SANIE* permistus *VISCERA* sanguis.

Recte *Sanguis sanie permistus,* tabo, felle, aliis corporis humoribus. recte quoque *Ejectat viscera per ora,* liquidus nimirum solida. ut supra v. 590.

Nec prohibere valent obtritis ossibus artus,
Quo minus æra sonent, eliso ventre, per ora
Ejectat saniem permistus viscere sanguis.
Postquam inhibent remis puppes, ac rostra recedunt,
Disjectum in pelagus perfosso pectore corpus
Vulneribus transmisit aquas. pars maxima turbæ
Naufraga, jactatis morti obluctata lacertis,
Puppis ad auxilium sociæ concurrit: at illi
Robora cum vetitis prensarent altius ulnis,
Nutaretque ratis populo peritura recepto:
Impia turba super medios ferit ense lacertos:
Brachia linquentes Graia pendentia puppe,
A manibus cecidere suis: non amplius undæ
Sustinuere graves in summo gurgite truncos.
Jamque omni fusis nudato milite telis,
Invenit arma furor: remum contorsit in hostem
Alter: at hi tortum validis aplustre lacertis
Avulsasque rotant excusso remige sedes.
In pugnam fregere rates. sidentia pessum
Corpora cæsa tenent, spoliantque cadavera ferro.
Multi inopes teli, jaculum letale revulsum
Visceribus traxere suis, et vulnera læva

Donec utrasque simul largus cruor expulit hastas.

659. *Postquam inhibent remis puppes, ac rostra recedunt,*] Codices non nulli REMI habent, alii REDUCUNT. Certe aut scribendum est,

Postquam inhibent *remi* puppes, et rostra *recedunt.*

aut

Postquam inhibent *remis* puppes, et rostra *reducunt.*

Utraque lectio bene se habet: sed prior figuratior est, quia actio non hominibus, sed ipsis instrumentis tribuitur. ut supra 545.

In puppim rediere rates.

660. *Disjectum in pelagus perfosso pectore corpus*] Recedentibus rostris, corpus ab eis interceptum decidit suo pondere in pelagus. Sed cur obsecro, DISJECTUM *corpus*, quod minime in partes scissum erat, sed pectore tantum perfosso? Repone quod multo major pars codicum habet DEJECTUM.

664. *Robora cum vetitis prensarent altius ulnis,*] Quanto melius est, quod duo Pulmanni codices exhibent, *Prensarent artius? Arcte* prendere et tenere, hoc aliquid est; sed *Alte* an secus, nihil ad rem: immo unus tantum erat ad prensandum locus.

672. —— *At hi tortum validis aplustre lacertis*
Avulsasque rotant excusso remige

Oppressere manu, validos dum præbeat ictus,
Sanguis et, hostilem cum torserit, exeat, hastam.
Nulla tamen plures hoc edidit æquore clades,
Quam pelago diversa lues. nam pinguibus ignis
Affixus tedis, et tecto sulfure vivax
Spargitur: at faciles præbere alimenta carinæ
Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.
Nec flammas superant undæ: sparsisque per æquor
Jam ratibus fragmenta ferus sibi vindicat ignis.
Hic recipit fluctus, extinguat ut æquore flammas:
Hi, ne mergantur, tabulis ardentibus hærent.
Mille modos inter leti, mors una timori est,
Qua cœpere mori. Nec cessat naufraga virtus.
Tela legunt dejecta mari, ratibusque ministrant:
Incertasque manus ictu languente per undas
Exercent. nunc, rara datur si copia ferri,
Utuntur pelago. sævus complectitur hostem
Hostis, et implicitis gaudent subsidere membris,
Mergentesque mori. Pugna fuit unus in illa
Eximius Phoceus animam servare sub undis,
Scrutarique fretum si quid mersisset arenis,
Et nimis affixos unci convellere morsus,

sedes.] *Expulso* plerique omnes libri, non *Excusso*. Deinde pro *Tortum*, quo verbo hic minime opus est, cum una habeamus, *Rotant*, alii libri *Totum*. utrumque placet, *Totum simul*, non per partes, quod magnarum virium erat.

674. *In pugnam fregere rates.*] Pro quibus pugnabant, in acute notat Servius hoc loco utens ad Æneidos 11. Grotius.

682. —— *Et tecto sulfure vivax Spargitur:*] Quid vero opus, ut in tædis et facibus sulfur sit *tectum?* non astu et insidiis res agebatur, sed vi aperta. Iterum,

Non aliter quam cum *summis* circumlita tædis
Admotam rapiunt vivacia sulfura flammam.

Quid quod in tedis, sulfur semper extrorsum erat. Ovidius,

Uror ut *inducto* cæratæ *sulfure* tædæ.

Lege unius literæ mutatione,

———— et *TACTO* sulfure vivax.

687. *Hic recipit fluctus, extinguat ut æquore flammas:*] Codices nostri, Regius et Academicus, FAUCES habent. Quin et pro RECIPIT Pulmanni codex REPETIT, quam lectionem accipimus. *Repetit*, qui tabulam ardentem deserens, mari se iterum committit.

689. —— *Mors una timori est, Qua cœpere mori.*] Curtius iv. 16. 17. *Quippe ubi intravit animos pavor, id solum metuunt, quod primum formidare cœperunt.*

701. *Hic ubi compressum penitus de-*

Adductum quoties non senserat ancora funem.
Hic ubi compressum penitus deduxerat hostem,
Victor et incolumis summas remeabat in undas,
Sed se per vacuos credit dum surgere fluctus,
Puppibus occurrit, tandemque sub æquore mansit.
Hi super hostiles jecerunt brachia remos,
Et ratium tenuere fugam. Non perdere letum
Maxima cura fuit, multus sua vulnera puppi
Affixit moriens, et rostris abstulit ictus.
  Stantem sublimi Tyrrhenum culmine proræ
Lygdamus excussa Balearis tortor habenæ
Glande petens, solido fregit cava tempora plumbo.
Sedibus expulsi, postquam cruor omnia rupit
Vincula, procumbunt oculi: stat lumine rapto
Attonitus, mortisque illas putat esse tenebras.
At postquam membris sensit constare vigorem,
Vos, ait, o socii, sicut tormenta soletis,
Me quoque mittendis rectum componite telis.
Egere quod superest animæ, Tyrrhene, per omnes
Bellorum casus. ingentem militis usum
Hoc habet ex magna defunctum parte cadaver:
Viventis feriere loco. sic fatus in hostem
Cœca tela manu, sed non tamen irrita mittit.
Excipit hæc juvenis generosi sanguinis Argus,
Qua jam non medius descendit in ilia venter,
Adjuvitque suo procumbens pondere ferrum.
  Stabat diversa victæ jam parte carinæ
Infelix Argi genitor, (non ille juventæ
Tempore Phocaicis ulli cessurus in armis:

duxerat hostem,] COMPRENSUM alii codices, quod sine dubio præferendum.

730. —— *Qui funere viso,* ——
Pervenit ad puppim] Quorsum hic *funere?* homine nondum mortuo; præsertim cum in pugna navali, aut nullus sit funeri locus, aut serus. Codex Collegii Caii rectissime
—— qui *VULNERE* viso.

734. *Distentis toto riguit*] Placet quod alii codices habent, DISTENSIS. *Tensus* Noster amat dicere, non *Tentus*, fide Prisciani. Sed et sic evitatur ingratus unius literæ T concursus, *ten tis to to.*

750. —— *Letum præcedere nati*
Festinantem animam morti non credidit uni.] Non recte dicitur *Animam* cupere præcedere, Sed *Animum*, solum

Victum ævo robur cecidit, fessusque senecta
Exemplum, non miles erat) qui funere viso,
Sæpe cadens longæ senior per transtra carinæ
Pervenit ad puppim spirantesque invenit artus.
Non lacrymæ cecidere genis, non pectora tundit,
Distentis toto riguit sed corpore palmis.
Nox subit, atque oculos vastæ obduxere tenebræ,
Et miserum cernens agnoscere desinit Argum.
Ille caput labens, et jam languentia colla
Viso patre levat: vox fauces nulla solutas
Prosequitur: tacito tantum petit oscula vultu;
Invitatque patris claudenda ad lumina dextram.
Ut torpore senex caruit, viresque cruentus
Cœpit habere dolor, non perdam tempora, dixit,
A sævis permissa Deis, jugulumque senilem
Confodiam. veniam misero concede parenti,
Arge, quod amplexus, extrema quod oscula fugi.
Nondum destituit calidus tua vulnera sanguis,
Semianimisque jaces, et adhuc potes esse superstes.
Sic fatus, quamvis capulum per viscera missi
Polluerat gladii, tamen alta sub æquora tendit
Præcipiti saltu. letum præcedere nati
Festinantem animam morti non credidit uni.

Inclinant jam fata ducum: nec jam amplius anceps
Belli casus erat: Graiæ pars maxima classis
Mergitur: ast aliæ mutato remige puppes
Victores vexere suos: navalia paucæ
Præcipiti tenuere fuga. Quis in urbe parentum
Fletus erat! quantus matrum per littora planctus!

affectus et rationis potentem. Deinde, si *anima* re vero *festinabat*, cur obsecro non *credidit?* Immo vero homo ipse festinabat mori, ac idcirco morantem hærentemque animam duplici morte expulit. Lege igitur,

——— letum præcedere nati
FESTINANS, animam morti non credidit uni.

Et Bersmanni sane codex *Festinansque* habet.

757. —— *Quantus matrum per littora planctus!*] Suavius est, quod et meliores et plures habent codices,

QUANTI matrum per littora planctus!

Conjux sæpe sui, confusis vultibus unda,
Credidit ora viri, Romanum amplexa cadaver:
Accensisque rogis miseri de corpore trunco
Certavere patres. at Brutus in æquore victor,
Primus Cæsareis pelagi decus addidit armis.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER QUARTUS.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER QUARTUS.

AT procul extremis terrarum Cæsar in oris
Martem sævus agit non multa cæde nocentem,
Maxima sed fati ducibus momenta daturum.
Jure pari rector castris Afranius illis,
Ac Petreius erat: concordia duxit in æquas
Imperium commune vices, tutelaque valli
Pervigil alterno paret custodia signo.
His præter Latias acies erat impiger Astur,
Vectonesque leves, profugique a gente vetusta
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.
Colle tumet modico, lenique excrevit in altum
Pingue solum tumulo: super hunc fundata vetusta
Surgit Ilerda manu: placidis prælabitur undis
Hesperios inter Sicoris non ultimus amnes,
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu,
Hybernas passurus aquas. at proxima rupes

2. —— *NON multa cæde nocentem,*] Placet quod Bersmanni codex suppeditat, RUBENTEM: Ita supra ii. 103.

—— multaque rubentia cæde
Lubrica saxa madent.

Rem ipsam Florus habet iv. 2. *Anceps variumque sed incruentum in Hispania bellum cum legatis Cn. Pompeii Petreio et Afranio:* ubi frustra editum *Et cruentum.*

9. *Vectonesque leves,*] Meliores libri habent VETTONES.

Signa tenet Magni: nec Cæsar colle minore
Castra levat: medius dirimit tentoria gurges.
Explicat hinc tellus campos effusa patentes,
Vix oculo prendente modum, camposque coërcet
Cinga rapax, vetitus fluctus, et littora cursu
Oceani pepulisse suo: nam gurgite misto,
Qui præstat terris, aufert tibi nomen Iberus.
Prima dies belli cessavit marte cruento,
Spectandasque ducum vires, numerosaque signa
Exposuit: piguit sceleris: pudor arma furentum
Continuit: patriæque, et ruptis legibus unum
Donavere diem. prono cum Cæsar Olympo
In noctem subita circumdedit agmina fossa,
Dum primæ præstant acies, hostemque fefellit,
Et prope consertis obduxit castra maniplis.
Luce nova collem subito conscendere cursu,
Qui medius tutam castris dirimebat Ilerdam,
Imperat, huc hostem pariter terrorque, pudorque
Impulit: et rapto tumulum prior agmine cepit.
His virtus, ferrumque locum promittit: at illis
Ipse locus. miles rupes oneratus in altas
Nititur: adversoque acies in monte supina

17. —— *Nec Cæsar colle minore Castra levat:*] Codices alii habent LOCAT, et etiam MINORI.

—— Nec Cæsar colle *MINORI*
Castra *LOCAT*.

ut infra 169.

Illic exiguo paulum distantia vallo
Castra *locant*.

et sic alii passim.

21. —— *Et littora cursu Oceani pepulisse suo:*] Si *suo cursu*, quid illud erit quod statim sequitur, *Aufert* TIBI *nomen Iberus?* quippe *Illi* dictum oportuit, non *Tibi*. Corrige totam periodum,

—— camposque *coërces*,
Cinga rapax, vetitus fluctus, et littora cursu
Oceani pepulisse *tuo*: nam gurgite misto,
Qui præstat terris, aufert *tibi* nomen Iberus.

24. *Prima dies belli cessavit marte cruento,*] Compositio non olet Lucanum. Deinde, cur prima dies *belli*, si caruit bello? Lego

Prima dies belli cessavit marte cruen*TI*.

Livius vii. 7. *Quicquid hinc aut illinc communis mars belli aufert.* ubi Sigonius alia loca ex Livio adducit, *communem belli martem*.

28. —— *Prono cum Cæsar Olympo*] Meliores Codices, et Notæ variorum CUM, quod omnino retinendum.

29. —— *Subita circumdedit agmina fossa,*] *Subito* habebimus versu abhinc tertio, *collem subito conscendere cursu*. An legendum *Occulta?* ut Cæsar, *opus in occulto faciebat*.

30. *Dum primæ præstant acies,*] Quid

Hæret, et in tergum casura, umbone sequentis
Erigitur. nulli telum vibrare vacabat
Dum labat, et fixo firmat vestigia pilo,
Dum scopulos, stirpesque tenent, atque hoste relicto
Cædunt ense viam. vidit lapsura ruina
Agmina dux, equitemque jubet succedere bello,
Munitumque latus lævo præducere gyro.
Sic pedes ex facili, nulloque urgente receptus,
Irritus, et victor subducto marte pependit.
Hactenus armorum discrimina. cætera bello
Fata dedit variis incertus motibus aër,
Pigro bruma gelu, siccisque Aquilonibus hærens,
Æthere constricto pluvias in nube tenebat.
Urebant montana nives, camposque jacentes
Non duraturæ conspecto sole pruinæ:
Atque omnis propior mergenti sidera cœlo
Aruerat tellus hyberno dura sereno.
Sed postquam vernus calidum Titana recepit
Sidera respiciens delapsæ portitor Helles,
Atque iterum æquatis ad justæ pondera Libræ
Temporibus vicere dies: tunc, sole relicto,
Cynthia quo primum cornu dubitanda refulsit,

sit *Præstant* si interroges, dicent Interpretes id esse quod *Antestant*. Audio: sed nullo alio exemplo id confirmabunt. Quid moramur veram lectionem adsciscere, quod codices alii suppeditant?

Dum primæ *PERSTANT* acies.

Perstabant, permanebant in armis. Cæsar ipse Civil. i. 42. *Prima et secunda acies in armis, ut ab initio constituta erat,* permanebant: *post hos opus in occulto acies tertia faciebat: sic omne prius est perfectum, quam intelligeretur ab Afranio, castra muniri.*

43. *Cædunt ense viam.*] Cædendo viam sibi per invia faciunt. Grotius.

50. *Pigro bruma gelu, siccisque Aquilonibus hærens,*] Quid est *Bruma hærens?* Lege certissime,

Pigro bruma gelu, siccisque Aquilonibus *HORRENS.*

57. *Sidera respiciens delapsæ portitor Helles,*] Nescio an satis Latine dictum sit, *Portitor Helles:* id scio, non admodum apposite dictum, *Portitor delapsæ*, ejus scilicet quam non portavit. vix dubites corrigendum esse,

——— delapsæ *PRODITOR* Helles,

quam non pervexit, sed prodidit. Est emendatio viri egregii Petri Scriverii ad Martialis ix. 71.

Quid meruit terror Nemees, quid *proditor Helles?*

Exclusit Boream, flammasque accepit ab Euro.
Ille suo nubes quascunque invenit in axe,
Torsit in occiduum Nabatæis flatibus orbem.
Et quas sentit Arabs, et quas Gangetica tellus
Exhalat nebulas, quicquid concrescere primus
Sol patitur, quicquid cœli fuscator Eöi
Impulerat Corus, quicquid defenderat Indos:
Incendere diem nubes oriente remotæ,
Nec medio potuere graves incumbere mundo,
Sed nimbos rapuere fuga. vacat imbribus Arctos,
Et Notus; in solam Calpen fluit humidus aër.
Hic ubi jam Zephyri fines, et summus Olympi
Cardo tenet Tethyn, vetitæ transcurrere, densos
Involvere globos, congestumque aëris atri
Vix recipit spatium, quod separat æthere terram.
Jamque polo pressæ largos densantur in imbres;
Spissatæque fluunt: nec servant fulmina flammas,
Quamvis crebra micent: exstinguit fulgura nimbus.
Hinc imperfecto complectitur aëra gyro
Arcus, vix ulla variatus luce colorem,
Oceanumque bibit, raptosque ad nubila fluctus
Pertulit, et cœlo defusum reddidit æquor.
Jamque Pyrenææ quas nunquam solvere Titan
Evaluit, fluxere nives, fractoque madescunt
Saxa gelu. tum, quæ solitis e fontibus exit,

ubi codices plures ut hic, perperam habent *Portitor*.

61. *Exclusit Boream, flammasque accepit ab Euro.*] Codex Collegii Trinitatis *In Euro;* et codex Academiæ *Recepit*, Lege

EXCUSSIT Boream, flammasque *RECEPIT IN* Euro.

68. *Incendere diem nubes oriente remotæ,*] Forte *Abscondere diem.* Seneca Controv. 16. *Terribili fragore horridæ tempestates* absconderant diem.

78. *Quamvis crebra micent:*] Versus hic jam olim mihi suspectus fuit. Et certe deest in MS. P. et in MS. T. ascriptus demum manu recentiore. Grotius.

82. —— *Et cœlo defusum reddidit æquor.*] Ita emendavimus pro *diffusum*. Aquas è cœlo lapsas cœlo reddidit. Grotius. Errat vir summus, cum sic interpretatur, *Aquas e cœlo lapsas cœlo reddidit:* Immo vero, Aquas e tellure haustas telluri reddidit. codex Collegii Trinitatis, bonæ notæ, sic habet

Et *fusum de cœlo* reddidit æquor.

Non habet unda vias: tam largas alveus omnis
A ripis accepit aquas. jam naufraga campo
Cæsaris arma natant, impulsaque gurgite multo
Castra labant: alto restagnant flumina vallo.
Non pecorum raptus faciles, non pabula mersi
Ulla ferunt sulci: tectarum errore viarum
Fallitur occultos sparsus populator in agros.
Jamque comes semper magnorum prima malorum
Sæva fames aderat: nulloque obsessus ab hoste
Miles eget, toto censu non prodigus emit
Exiguam Cererem. Pro lucri pallida tabes!
Non deest prolato jejunus venditor auro.
Jam tumuli, collesque latent: jam flumina cuncta
Condidit una palus, vastaque voragine mersit.
Absorpsit penitus rupes, ac tecta ferarum
Detulit, atque ipsas hausit: subitisque frementes
Vorticibus contorsit equos, et reppulit æstus
Fortior Oceani: nec Phœbum surgere sentit
Nox subtexta polo: rerum discrimina miscet
Deformis cœli facies, junctæque tenebræ.
Sic mundi pars ima jacet, quam zona nivalis,
Perpetuæque premunt hyemes: non sidera cœlo
Ulla videt, sterili non quicquam frigore gignit,
Sed glacie medios signorum temperat ignes.
Sic, o summe parens mundi, sic sorte secunda

Illud autem *Pertulit* haud sane placet: hoc enim roboris est et magnarum virium. Atqui arcum *imperfectum* hic describit, qui bibat quidem oceanum, sed non retineat. Quare libenter sic legerim,

Oceanumque bibit, raptosque ad nubila fluctus
RETULIT, ET RURSUM DE cœlo reddidit æquor.

ubi *Raptosque* perinde est, ac si diceres, *Sed raptos*; quod Lucano solenne et perpetuum est. illud addam; *Sursum* et *Rursum* in vetustissimis membranis scribi solere *Susum* et *Rusum*; unde degeneravit illud *Fusum*. Horatius Serm. i. 3.

——————— æquum est
Peccatis veniam poscentem *reddere rursus.*

97. *Non deest prolato jejunus venditor auro.*] Simile illud quod de obsidio Casilini narrant. Plin. l. viii. cap. 57. et Frontinus, venditorem muris fame perisse, emtorem autem vixisse. Strabo. ὁ μὲν πωλήσας ἀπέθανεν, ἐσώθη δ' ὁ πριάμενος. Narrat idem diserte suo more Val. Max. lib. vii. c. 6. ubi verba Lucani verbis paria: *evenit, ut ex his quidam murem captum ducentis potius denariis vendere, quam ipse leniendæ famis gratia consumere vellet.* Grotius.

100. —— *Ac tecta ferarum*

Æquorei rector facias, Neptune, tridentis:
Et tu perpetuis impendas aëra nimbis:
Tu remeare vetes quoscunque emiseris æstus.
Non habeant amnes declivem ad litora cursum,
Sed pelagi referantur aquis: concussaque tellus
Laxet iter fluviis. hos campos Rhenus inundet,
Hos Rhodanus: vastos obliquent flumina fontes.
Rhiphæas huc solve nives, huc stagna, lacusque,
Et pigras, ubicunque jacent, effunde paludes:
Et miseras bellis civilibus eripe terras.
Sed parvo Fortuna viri contenta pavore,
Plena redit, solitoque magis favere secundi,
Et veniam meruere Dei. jam clarior aër,
Et par Phœbus aquis, densas in vellera nubes
Sparserat, et noctes ventura luce rubebant:
Servatoque loco rerum, discessit ab astris
Humor, et ima petit, quicquid pendebat aquarum.

Detulit,] Majorem vim ostentat, quod alii codices præferunt, DEPULIT.

123. —— *Jam clarior aër,*] Alii codices RARIOR. Quod accipimus, oppositum τῷ *Densior, Spissior.* Virgilius Georg. i. 418.

—— et Juppiter humidus austris
Densat, erant quæ rara modo; et quæ densa relaxat.

124. *Et par Phœbus aquis, densas in vellera nubes*
Sparserat,] Mirum vero, si nubes et *densæ* et sparsæ sint. Dices, perinde esse *Sparserat densas*, ac si dixisset, *quæ prius erant densæ*. sed non opus est tali auxilio. Corrige,

—— *TENSAS* in vellera nubes
Sparserat.

Noster alibi *Tensum aëra, Tendit æthera.*

125. —— *Noctes ventura luce rubebant:*] Longæ tenebræ adventante luce paulatim fugabantur, ea ferme facie quæ est diei illucescentis primulum. Grotius. Operam ludit vir magnus, cum verba sensu cassa conatur explicare. Corrige,

Et *MONTES* ventura luce rubebant.

Montes quippe primi excipiunt lucem solis erupturi: et hic in terra res agitur; at Ænea navigante Virgilius vii. 25.

Jamque *rubescebat* radiis *mare*; et æthere ab alto
Aurora in *CROCEIS* fulgebat lutea bigis.

Sic enim obiter legendum, CROCEIS non *Roseis*, ob adjunctum *Lutea*. sic alibi Ecloga iv.

Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam *croceo* mutabit vellera *luto*:
Sponte sua Sandyx pascentes vestiet agnos.

Quem ultimum versiculum ideo subjeci, ut vetustissimum mendum inde tollam. Plinius Hist. Nat. xxxv. 23. *Sandaracha si torreatur æqua parte Rubrica admixta, Sandycem facit: quamquam animadverto Virgilium existimasse Herbam id esse, illo verso, Sponte sua Sandyx pascentes vestiet agnos.* Recte quidem Plinius: Aut enim *Herba* est Sandyx, aut otiose positum *Pascentes*. Plinium ergo absolvimus: sed quis Virgilium? Quis enim fando

Tollere silva comas, stagnis emergere colles
Incipiunt, visoque die durescere valles.
Utque habuit ripas Sicoris, camposque reliquit,
Primum cana salix madefacto vimine parvam
Texitur in puppim, cæsoque inducta juvenco
Vectoris patiens tumidum superenatat amnem.
Sic Venetus stagnante Pado, fusoque Britannus
Navigat Oceano: sic cum tenet omnia Nilus,
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.
His ratibus trajecta manus festinat utrinque
Succisum curvare nemus: fluviique ferocis
Incrementa timens, non primis robora ripis
Imposuit: medios pontem distendit in agros.
Ac ne quid Sicoris repetitis audeat undis,
Spargitur in sulcos, et scisso gurgite rivis
Dat pœnas majoris aquæ. Postquam omnia fatis
Cæsaris ire videt, celsam Petreius Ilerdam

audivit Sandycem, quo pictores utuntur, Herbam esse? Sed avertat hinc ocius mendum, quod jam Plinii ætate hic inoleverat: lege enim,

Sponte sua Sandyx *NASCENTES* vestiet agnos.

ubi Sandyx, murex, lutum, non materiam, non terram, piscem, herbam significant, sed abstracte Colorem. Quanto vero majus est, quod statim *nascentes* agni colorem eum ducunt, quam paulatim *pascentes?* Iterum Virgilius de agni colore agens, Georg. iii. 390.

Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse,
Nigra subest udo tantum cui lingua palato,
Rejice, ne maculis infuscet *vellera* pullis
NASCENTUM.

Sed ingerunt hic nobis Hesychium; qui Σάνδυξ, ait, δένδρον θαμνῶδες, οὗ τὸ ἄνθος χροιὰν κόκκῳ ἐμφερῆ ἔχει, ὡς Σωσίβιος, *Sandyx, arbor spinosa, cujus flos colorem cocco similem habet, ut Sosibius.* Quidni ergo hic color coccineus agnos imbuat? Tu vero et Grammaticum et Testem plorare jube: ride vero illos, qui teneros agnos, non *herbam* cum Plinio, sed ex arbore summa flores carpere, belli homines imaginantur.

138. *Succisum curvare nemus:*] Materiam quærere ponti faciendo. Grotius. *Non quærunt materiam ponti faciendo; sed materiam quæsitam et succisam* ponti faciendo adhibent. Id ostendit τῷ *Utrimque,* hoc est, ex utraque fluminis ripa. Cæsar ipse Civil. i. 54. *Huc legionem postea traducit, atque* ex utraque parte *pontem institutum perfecit biduo.* Quare *Utrimque succisum nemus curvare,* sine dubio idem est, ac *Utrimque pontem instituere.*

142. —— *Et scisso gurgite rivis*
Dat pœnas majoris aquæ.] Si ab Interpretibus quæris, quid sibi velit *Majoris aquæ,* respondent, *Prioris inundationis.* Hi, si volunt, hoc sensu contenti sint: at non, puto, Poëta ipse. Sicoris, parvus fluvius, dat pœnas *majoris aquæ* quas Gyndes olim dedit Cyro. Nota res ex Herodoto, Gyndem fluvium in 360 rivos a Cyro diductum esse.

Deserit: et noti diffisus viribus orbis,
Indomitos quærit populos, et semper in arma
Martis amore feros, et tendit in ultima mundi.
  Nudatos Cæsar colles, desertaque castra
Conspiciens, capere arma jubet: nec quærere pontem,
Nec vada, sed duris fluvium superare lacertis.
Paretur: rapuitque ruens in prælia miles,
Quod fugiens timuisset, iter. mox uda receptis
Membra fovent armis, gelidosque a gurgite cursu
Restituunt artus, donec decresceret umbra
In medium surgente die. jamque agmina summa
Carpit eques, dubiique fugæ, pugnæque tenentur.
  Attollunt campo geminæ juga saxea rupes
Valle cavæ media: tellus hinc ardua celsos
Continuat colles: tutæ quos inter opaco
Anfractu latuere viæ: quibus hoste potito
Faucibus, emitti terrarum in devia martem,
Inque feras gentes Cæsar videt. Ite sine ullo
Ordine, ait, raptumque fuga convertite bellum,
Et faciem pugnæ, vultusque inferte minaces:
Nec liceat pavidis ignava occumbere morte;
Excipiant recto fugientes pectore ferrum.
Dixit: et ad montes tendentem prævenit hostem.
Illic exiguo paulum distantia vallo
Castra locant. postquam spatio languentia nullo
Mutua conspicuos habuerunt lumina vultus,
Et fratres, natosque suos videre, patresque;
Deprensum est civile nefas. tenuere parumper
Ora metu: tantum nutu, motoque salutant

186. *Classica det bello;*] Ita emendandum pro *dent bellum*. Cæsar classicum canere jubeat: tu ne audi: signa moveat: ne sequere: jam pax erit. Grotius. Priores editiones habebant, *Classica dent bellum;* quod tutatur Frid. Gronovius Observ. iv. 26. narratque hanc novam lectionem ex conjectura Grotium *surrogasse*, cum omnis scriptura vetus habeat *Dent bellum*. Fallitur vir eximius quinque enim scripti, quibus usi sumus, universi habent *Bello;* et unus tantum *Dent*, cæteri *Det*. quare hoc merito accipimus; cum et sequente versu sit, *Signa ferat;* ut utrobique idem nominativus *Cæsar* subintelligatur.

Ense suos. mox ut stimulis majoribus ardens
Rupit amor leges, audet transcendere vallum
Miles, in amplexus effusas tendere palmas.
Hospitis ille ciet nomen; vocat ille propinquum:
Admonet hunc studiis consors puerilibus ætas:
Nec Romanus erat, qui non agnoverat hostem.
Arma rigant lacrymis, singultibus oscula rumpunt.
Et quamvis nullo maculatus sanguine miles,
Quæ potuit fecisse, timet. Quid pectora pulsas?
Quid, vesane, gemis? fletus quid fundis inaneis?
Nec te sponte tua sceleri parere fateris?
Usque adeone times, quem tu facis ipse timendum?
Classica det bello; sævos tu neglige cantus:
Signa ferat; cessa: jam jam civilis Erinnys
Concidet, et Cæsar generum privatus amabit.
Nunc ades, æterno complectens omnia nexu,
O rerum, mistique salus, concordia, mundi,
Et sacer orbis amor: magnum nunc secula nostra
Venturi discrimen habent. periere latebræ
Tot scelerum: populo venia est erepta nocenti:
Agnovere suos. pro numine fata sinistro
Exigua requie tantas augentia clades!
Pax erat, et miles castris permistus utrisque
Errabat: duro concordes cespite mensas
Instituunt, et permisto libamina Baccho.
Graminei luxere foci: junctoque cubili
Extrahit insomnes bellorum fabula noctes:
Quo primum steterint campo, qua lancea dextra
Exierit. dum, quæ gesserunt fortia, jactant,

192. *Venturi discrimen habent.*] Loquitur, ut sæpe, tanquam in re præsenti. Hactenus quæ facta sunt, excusari aliquo modo possunt, in posterum vero magnum imminet periculum. nam, nisi abstinetur à bello, omnes manifesto scelere contaminari necesse est. Pugnabunt in cives jam non ignotos. Grotius.

196. *Pax erat, et miles castris permistus utrisque*] Concinnius alii codices,

Pax erat, et *castris miles* permistus utrisque.

198. ——*Et permisto libamina Baccho.*

Graminei luxere foci:] Mendosum est et ineptum illud *Permisto Bac-*

Et dum multa negant, quod solum fata petebant,
Est miseris renovata fides, atque omne futurum
Crevit amore nefas. nam postquam fœdera pacis
Cognita Petreio, seque, et sua tradita venum
Castra videt, famulas scelerata ad prælia dextras
Excitat, atque hostes turba stipatus inermes
Præcipitat castris, junctosque amplexibus ense
Separat, et multo disturbat sanguine pacem.
Addidit ira ferox moturas prælia voces:
Immemor o patriæ, signorum oblite tuorum,
Non potes hoc causæ, miles, præstare Senatus,
Assertor victo redeas ut Cæsare: certe,
Ut vincare potes. dum ferrum, incertaque fata
Quique fluat multo non deerit vulnere sanguis,
Ibitis ad dominum? damnataque signa feretis?

cho: præsertim cum altero abhinc versu habuimus *Permistus*. Tolle distinctionem plenam post *Baccho*, et repone,

> —— Et *PRIMA SACRO* libamina Baccho,
> Graminei luxere foci.

Si compendiose scribas, similia sunt, *pmisto pmasco*. Ovid. Fast. iii. 733. de Baccho,

> Te memorant, Gange totoque oriente subacto
> Primitias magno seposuisse Jovi.
> Cinnama tu primus captivaque tura dedisti,
> Deque triumphato viscera tosta bove:
> Nomine ab auctoris ducunt *Libamina* nomen,
> Libaque, quod *sacris* pars datur inde *focis*.

Virgil. vi. 246.

> *Ignibus* imponit *sacris* libamina *prima*.

Val. Flaccus v. 19.

> Ipse gravi patera *sacri libamina Bacchi*
> Rite ferens.

206. —— *Seque, et sua tradita venum Castra videt,*] Redit illud *Castra* altero abhinc versu, *Præcipitat castris:* Quare amplector codicis Regii lectionem,

> —————— seque et sua tradita venum
> *CUNCTA* videt.

Sic viii. 509.

> Regesque timet, *quorum omnia* meruit.

Nec vero satis modeste *Sua castra*, quæ cum Afranio communia erant, ut supra v. 4.

> Jure pari rector castris Afranius illis
> Et Petreius erat.

208. —— *Atque hostes turba stipatus inermes Præcipitat castris,*] Manuscriptus A. *Inermi*. Cæsar Civil. i. 75. *Petreius armat familiam, cum hac et prætoria cohorte cetratorum barbarisque equitibus paucis, improviso ad vallum advolat— Nostri sinistras sagis involvunt gladiosque distringunt, atque ita se a cetratis equitibus defendunt.* Forte corrigendum,

> — atque hostes *TURMA* stipatus *EQUESTRI*.

Certe *Turma* legendum. Claudianus de bello Getico, 579.

> Talia nunc pediti, *turmæ* nunc mixtus *equestri*,
> Dicta dabat.

212. *Immemor o patriæ, signorum oblite tuorum,*] Mox sequitur *signa*. Deinde non *Tuorum*, sed *Meorum:* nam Imperatoris sunt, non militis. ut,

> —— mea signa secuti.

Utque habeat famulos nullo discrimine Cæsar
Exorandus erit? ducibus quoque vita petenda est?
Nunquam nostra salus pretium, mercesque nefandæ
Proditionis erit: non hoc civilia bella,
Ut vivamus, agunt. trahimur sub nomine pacis.
Non chalybem gentes penitus fugiente metallo
Eruerent, nulli vallarent oppida muri,
Non sonipes in bella ferox, non iret in æquor
Turrigeras classis pelago sparsura carinas,
Si bene libertas unquam pro pace daretur.
Hostes nempe meos sceleri jurata nefando
Sacramenta tenent: at vobis vilior hoc est
Vestra fides, quod pro causa pugnabitis æqua.
Sed veniam sperare licet. pro dira pudoris
Funera! nunc toto fatorum ignarus in orbe,

Forte legendum,

> Immemor o patriæ, *LARIUMQUE* oblite tuorum.

Quintilian. Declam. cclx. p. 487. *Illud parum est, exulem esse domus suæ, Larium suorum?* et certe si *Signorum*, non *Oblite sed Proditor*. *Oblite* de absentibus, non, ut hic, de præsentibus.

218. —— *Nullo discrimine*] Ex illo Virgilii;

> Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.

Hoc ne, inquit, orandus est Cæsar, ut vos sibi servire patiatur, hac sola lege ne durius vos Pompeianos habeat, quam Cæsarianos suos? Nam alioqui, ut Tacitus inquit, recentissimus quisque servorum et conservis ludibrio est. Grotius. Suavior et Lucano solennis, compositio est, quam dat codex Regius,

> Utque habeat *nullo famulos* discrimine Cæsar.

Cæterum illud Nullo discrimine, noli interpretari cum viro magno, *Nulla differentia*, sed nullo periculo, nulla dimicatione.

230. —— *Quod pro causa pugnabitis æqua.*] Ita recte MS. Non alia causa vos hostibus ignaviores estis, quam quod justum bellum geritis. Nam illos scelera obdurant. Grotius. Priorem lectionem prætulerim,

> ———— at vobis vilior hoc est
> Vestra fides, quod pro causa *pugnantibus* æqua
> *Et* veniam sperare licet.

egregie, nisi quod Regius paulo concinnius *vobis at*. Clara per se est sententia; Ideo segnes ad prælia estis, parati ad desciscendum; quod in causa bona et pia, etiam victi veniam ab hoste speratis: Illi contra, non *sceleribus*, ut vir magnus, sed desperatione veniæ obdurati sunt. Huc tendit et Cæsaris oratio vii. 314.

> ———— vincat, quicumque necesse
> Non putat in victos sævum distringere ferrum,
> Quique suos *cives*, quod signa adversa tulerunt,
> Non credit *fecisse nefas*.

At contra Pompeius omnes Cæsarianos pro latronibus habet, non justis militibus, ii. 531.

> O *scelerum* ultores, melioraque signa secuti——

231. *Sed veniam*] Ita emendavimus pro *Et*. Est enim ἀνθυποφορά. Grotius.

Ibidem, —— *Pro dira pudoris*

Magne, paras acies, mundique extrema tenentes
Sollicitas reges, cum forsan fœdere nostro
Jam tibi sit promissa salus. Sic fatur, et omneis
Concussit mentes, scelerumque reduxit amorem.
Sic ubi desuetæ silvis in carcere clauso
Mansuevere feræ, et vultus posuere minaces,
Atque hominem didicere pati: si torrida parvus
Venit in ora cruor, redeunt rabiesque furorque,
Admonitæque tument gustato sanguine fauces:
Fervet, et a trepido vix abstinet ira magistro.
Itur in omne nefas: et quæ Fortuna deorum
Invidia cæca bellorum in nocte tulisset,
Fecit nostra, fides: inter mensasque, torosque,
Quæ modo complexu foverunt pectora, cædunt.
Et quamvis primo ferrum strinxere gementes,
Ut dextræ justi gladius dissuasor adhæsit,
Dum feriunt, odere suos, animosque labantes
Confirmant ictu. fervent jam castra tumultu,
Et scelerum turba: rapiuntur colla parentum.
Ac velut occultum pereat scelus, omnia monstra
In faciem posuere ducum: juvat esse nocentes.
Tu, Cæsar, quamvis spoliatus milite multo
Agnoscis superos: neque enim tibi major in arvis
Emathiis fortuna fuit, nec Phocidos undis

Funera!] Dissentiunt hic codices, pars *Funera*, pars *Fœdera*. Tu utrumque respue, et sic corrige,

——— pro dira pudoris
VULNERA.

Sic et alibi viii. 350.

——— patimurne *pudoris*
Hoc *vulnus?*

245. *Fecit nostra, fides*:] Sic emendavimus pro *monstra*, quod sane monstro erat simile. adeo nullus inde commodus elici poterat sensus. Hoc vult: Potuerat bellum civile Deorum et fati iniquioris videri culpa, præsertim si fortuita prælia ignotos ignotis implicuissent. nunc profecto nostra est, quia alter alterum novimus, ejusque rei certi et nobis conscii sumus. Nam quæ aut ignorantia aut impetu fiunt, eorum culpa facile fato assignatur: quæ destinato καὶ ἐκ προαιρέσεως aguntur, ea non ἀτυχήματα sunt, sed ἀδικήματα. Grotius. Recte vir magnus *Nostra* adscivit pro *Monstra*. Id fefellit Librarios, quod *nostra fides* una copulabant, eodem casu et numero. Sed dividenda sunt; *Fides fecit ea crimina Nostra esse, quæ alias Fortunæ crimina fuissent, in cæca bellorum nube et conflictu, cum amicus amicum, cognatus cognatum ignari jugulavissent.* Cæterum pro *Nocte* probe habet Bersmanni codex NUBE. Sic et alibi iv. 488.

Massiliæ, Phario nec tantum est æquore gestum.
Hoc siquidem solo civilis crimine belli
Dux causæ melioris eris. polluta nefanda
Agmina cæde duces junctis committere castris
Non audent, altæque ad mœnia rursus Ilerdæ
Intendere fugam. campos eques obvius omnes
Abstulit, et siccis inclusit collibus hostem.
Tunc inopes undæ prærupta cingere fossa
Cæsar avet, nec castra pati contingere ripas,
Aut circum largos curvari brachia fontes.
Ut leti videre viam, conversus in iram
Præcipitem timor est. miles non utile clausis
Auxilium mactavit equos: tandemque coactus
Spe posita damnare fugam, casurus in hostes
Fertur. Ut effuso Cæsar decurrere passu
Vidit, et ad certam devotos tendere mortem:
Tela tene jam, miles, ait, ferrumque ruenti
Subtrahe: non ullo constet mihi sanguine bellum:
Vincitur haud gratis, jugulo qui provocat hostem.
En sibi vilis adest invisa luce juventus,
Jam damno peritura meo: non sentiet ictus;
Incumbet gladiis, gaudebit sanguine fuso.
Deserat hic fervor mentes, cadat impetus amens,
Perdant velle mori. Sic deflagrare minaces

Non tamen in *cæca* bellorum *nube* cadendum.

et vi. 298.

Ante aciem *cæca* trepidi sub *nube* timoris.

Virgil. Æn. x.

Æneas *nubem belli*, dum detonet, omnem
Sustinet.

251. *Et scelerum turba : rapiuntur colla parentum.*] Hic versus a codice Collegii Trinitatis abest; in codice Academiæ fertur alia manu et interlinearis, in Bersmanni post tertium venit. Omnino κακῦ κόμματος, et rejiciendus. *Turba scelerum*, invenuste, præsertim cum redeat illud *Scelus* versu sequente. *Rapiuntur colla parentum*, Indocte; quasi in mortuorum corpora hic sævirent ut Marius et Sylla in civilibus odiis.

252. —— *Omnia monstra*
In faciem posuere ducum :] Codex Collegii Trinitatis, *In facie* Noster vi. 159.

———— peterem felicior umbras
Cæsaris *in vultu.*

255. *Agnoscis superos:*] Deos tibi faventes cognoscis, qui causam tuam non tantum felicem, sed et favorabilem faciunt. Grotius.

257. —— *Phario nec tantum est æquore gestum.*] Lævius tersiusque exit, quod Bersmanni codex habet,

Incassum, et vetito passus languescere bello,
Substituit merso dum nox sua lumina Phœbo.
Inde ubi nulla data est miscendæ copia mortis,
Paulatim cadit ira ferox, mentesque tepescunt.
Saucia majores animos ut pectora gestant
Dum dolor est, ictusque recens, et mobile nervis
Conamen calidus præbet cruor, ossaque nondum
Abduxere cutem: si conscius ensis adacti
Stat victor, tenuitque manus; tum frigidus artus
Alligat, atque animum subducto robore torpor,
Postquam sicca rigens astrinxit vulnera sanguis.
 Jamque inopes undæ, primum tellure refossa,
Occultos latices, abstrusaque flumina quærunt:
Nec solum rastris, durisque ligonibus arva,
Sed gladiis fodere suis: puteusque cavati
Montis ad irrigui premitur fastigia campi.
Non se tam penitus, tam longe luce relicta
Merserit Assyrii scrutator pallidus auri.
Non tamen aut tectis sonuerunt cursibus amnes,
Aut micuere novi, percusso pumice, fontes:
Antra nec exiguo stillant sudantia rore,
Aut impulsa levi turbatur glarea vena.

Massiliæ, Phario *tantum nec in* æquore gestum.

259. *Dux causæ melioris eris.*] Ipsa sententia, clamitat legendum esse,

Dux causæ melioris *ERAS.*

274. —— *Non ullo constet mihi sanguine bellum :*] Placet magis, quod alii libri afferunt, VULNERE: quia mox redit illud alterum, *Gaudebit sanguine fuso.* Cæsar bello Gall. iii. 24. *Tutius arbitrabuntur esse sine* ullo vulnere *victoria potiri.* et iterum Gall. iii. 86. *Ita sine periculo legionum, et pene* sine vulnere *bellum conficiemus.* Tacitus Hist. iii. 13. *Huc cecidisse, ut sine prælio,* sine vulnere, *vinctas manus et capta traderent arma.*

283. —— *Miscendæ copia mortis,*] Ita quidam MSS. efficacius quam alii libri *miscendi martis.* in Septimo similiter:

—————— mortesque suorum
Permiscerê meis.

Grotius. Pace tamen viri magni, revocamus alteram lectionem, *Miscenda copia martis*, vel ob id unum quod præcesserat, *Vetito passus languescere* bello. Quin et aliud est *Mortes miscere*, aliud *Mortem.* At *Martem miscere*, ut iii. 354.

Vulnera *miscebunt* fratres.

vi. 80.

Major cura duces *miscendis* abstrahit *armis.*

viii. 421.

—— quam quod vobis *miscentibus* arma.

288. —— *Si conscius ensis adacti*
Stat victor, tenuitque manus;] Rectius, quod alii codices habent, *Manum.*

3

Tunc exhausta super multo sudore juventus
Extrahitur, duris silicum lassata metallis.
Quoque minus possent siccos tolerare vapores,
Quæsitæ fecistis aquæ. nec languida fessi
Corpora sustentant epulis, mensasque perosi
Auxilium fecere famem. si mollius arvum
Prodidit humorem, pingues manus utraque glebas
Exprimit ora super. nigro si turbida limo
Colluvies immota jacet, cadit omnis in haustus
Certatim obscœnos miles: moriensque recepit,
Quas nollet victurus, aquas: rituque ferarum,
Distentas siccant pecudes, et lacte negato,
Sordidus exhausto sorbetur ab ubere sanguis.
Tunc herbas, frondesque terunt, et rore madentes
Distringunt ramos: et si quos palmite crudo,
Arboris aut tenera succos pressere medulla.
  O fortunati, fugiens quos barbarus hostis
Fontibus immisto stravit per rura veneno.
Hos licet in fluvios saniem, tabemque ferarum,
Pallida Dictæis, Cæsar, nascentia saxis
Infundas aconita palam, Romana juventus

291. *Postquam sicca rigens astrinxit vulnera sanguis.*] Seneca Epist. p. 359. *Et per adsiccata vulnera recens dimittitur sanguis.* Et Epist. 59. *Deinde cum represso sanguine, sicci vulneris dolor cresceret.*

298. *Merserit Assyrii scrutator pallidus auri.*] Sine dubio reponendum ASTURII, ex emendatione Nic. Heinsii. Silius lib. i. 231.

——— Astur avarus
Visceribus laceræ telluris mergitur imis,
Et redit infelix *effosso concolor auro.*

Vide ipsum ad Claudianum.

305. *Quoque minus possent siccos*] Codices alii concinnius,

Quoque minus *siccos possent* tolerare vapores.

310. —— *Nigro si turbida limo*
Colluvies immota jacet,] Non bene inter se congruunt *Turbida* et *Immota.* Recipimus ergo ex aliis codicibus, quod per se significantius est,

Colluvies *IMMUNDA* jacet,

Sic alii, *Immundus fimus,* &c.

317. —— *Et si quos palmite crudo,*
Arboris aut tenera succos pressere medulla.] Cum palmitem vitis nominavit, non dicendum erat *Arboris* in genere, sed peculiaris cujusdam arboris, Corrige,

SAMBUCI aut tenera succos pressere medulla.

Nam plurima inter omnes arbores sambuco medulla est.

328. *Rescissoque nocent suspiria dura palato.*
Pandunt ora siti, nocturnumque aëra captant.] Ineptum et ignavum est il-

Non decepta bibet. torrentur viscera flamma,
Oraque sicca rigent squamosis aspera linguis.
Jam marcent venæ, nulloque humore rigatus
Aëris alternos angustat pulmo meatus,
Rescissoque nocent suspiria dura palato.
Pandunt ora siti, nocturnumque aëra captant.
Expectant imbres, quorum modo cuncta natabant
Impulsu, et siccis vultus in nubibus hærent.
Quoque magis miseros undæ jejunia solvant,
Non super arentem Meroën, Cancrique sub axe
Qua nudi Garamantes arant, sedere: sed inter
Stagnantem Sicorim, et rapidum deprensus Iberum
Spectat vicinos sitiens exercitus amnes.
  Jam domiti cessere duces, pacisque petendæ
Auctor damnatis supplex Afranius armis,
Semianimes in castra trahens hostilia turmas,
Victoris stetit ante pedes. servata precanti
Majestas, non fracta malis, interque priorem
Fortunam, casusque novos, gerit omnia victi,

lud SITI: quorsum enim tot pulcherrimis versibus sævissima jam descripta est sitis; si nunc demum SITIM nominat? mirum ni suspicaremur, loquendi aut cantitandi gratia *ora pandisse*. Neque magis placet *Nocturnum aëra:* nam esto ut frigidior sit: quid agendum erat interdiu? Codex Bersmanni et duo Regii, pro SITI habent TAMEN; unde nascitur emendatio. Dixerat enim, quod verum est, ex ipsa inspiratione et exspiratione aëris, et crebro anhelitu, ora aridiora facta, sitimque auctam esse: Corrige igitur,

Pandunt ora *TAMEN*, *NOCITURUM*que aëra captant.

330. *Expectant imbres, quorum modo cuncta natabant*] Languidum est illud *Expectant*. Lege

EXOPTANT imbres, quorum modo cuncta natabant,

Nempe, quos nuper oderant et execrati sunt, nunc exoptant.

345. *Non deerat fortis rapiendo dextera leto:*] Placet aliorum codicum lectio,

——— *CA*piendo dextera leto:

ut i. 461.

Animique capaces Mortis.

346. *At nunc solo mihi est orandæ causa salutis,*] Scripti, quos viderim, omnes alio ordine,

At nunc *causa* mihi est orandæ *sola* salutis.

349. *Consiliis inimica tuis.*] Tuis rebus, tuæ dignitati adversantia. Grotius.

351. —— *Nil fata moramur.*] Videmus hoc agere Fortunam, ut te Orbi imponat. nos ei moram injicere nolumus. Grotius.

362. —— *Victos ne tecum vincere cogas.*] Alii codices mollius,

Hoc petimus, victos *tecum ne* vincere cogas.

364. —— *Atque usum belli, pœnamque remittit.*] Placet aliorum librorum lectio,

Atque *USUS* belli pœnamque remittit.

367. *Incumbit ripis, permissaque flu-*

Sed ducis, et veniam securo pectore poscit.
Si me degeneri stravissent fata sub hoste
Non deerat fortis rapiendo dextera leto:
At nunc sola mihi est orandæ causa salutis,
Dignum donanda, Cæsar, te credere vita.
Non partis studiis agimur, nec sumsimus arma
Consiliis inimica tuis. nos denique bellum
Invenit civile duces: causæque priori,
Dum potuit, servata fides: nil fata moramur.
Tradimus Hesperias gentes, aperimus Eoas,
Securumque orbis patimur post terga relicti.
Nec cruor effusus campis tibi bella peregit,
Nec ferrum, lassæque manus. hoc hostibus unum,
Quod vincas, ignosce tuis. nec magna petuntur.
Otia des fessis, vitam patiaris inermem
Degere, quam tribuis: campis prostrata jacere
Agmina nostra putes: nec enim felicibus armis
Misceri damnata decet, partemque triumphi
Captos ferre tui: turba hæc sua fata peregit.

mina turbat.] Quomodo autem *Turbat* flumina, si non ultra *ripas* procurrit? Scribe,

INCUMBUNT RIVIS, permissaque flumina *TURBANT*.

Non in tanta siti ripis consistunt, sed in ipsa flumina prosiliunt. Cæterum codex Trininatis *Incumbunt* et *Turbant*. etsi in priore versu sit, *Miles decurrit*, placet, nam ita supra, 313.

——— morienaque *recepit*
Quas *nollet* victurus aquas: rituque ferarum
Distentas *siccant* pecudes.

Statius Thebaid. iv. 819. in siti plane simili,

Incubuere vadis passim discrimine nullo.

——— modo lene virens et gurgite puro
Perspicuus, nunc *sordet* aquis egestus ab imo
Alveus.

Ut hic *Vadis* et *Sordet*: ita Noster, *Rivis* et *Turbant*.

371. —— *Sed morbus egens*] Lego

——— sed *MORIS* egens.

Seneca Epist. p. 290. *Sicut distillatio una, nec adhuc* in morem *adducta tussim facit.* Seneca Nat. Qu. vi. 14. p. 797. *Neque enim in nobis febris alias partes* moratius *impellit, sed per omnes pari æqualitate discurrit. ubi plura Gronovius.*

380. *Non auro, murrhaque bibunt:*] Codex Trin. *Murrave*. Recipimus: atque utinam semper hoc præstaret: nam aut codices nos fallunt, aut passim habet Lucanus *Que*, ubi alii *Ve* dicerent.

381. —— *Satis est populis fluviusque Ceresque,*
Heu miseri, qui bella gerunt.] Male hæc connectuntur in libris editis; quasi *fluvius et Ceres* satis esset bella gerentibus, sed non aliis. Minime hoc vult auctor. Et in bello et in pace Panis et Aqua naturæ satisfaciunt. Illa vero, *Heu miseri, qui bella gerunt*, ad sequentia pertinent: Victi enim, nudi, et spoliati, gra-

Hoc petimus, victos ne tecum vincere cogas.
Dixerat: At facilis Cæsar, vultuque serenus
Flectitur, atque usum belli, pœnamque remittit.
Ut primum justæ placuerunt fœdera pacis,
Incustoditos decurrit miles ad amnes;
Incumbit ripis, permissaque flumina turbat.
Continuus multis subitarum tractus aquarum
Aëra non passus vacuis discurrere venis,
Arctavit, clausitque animam: nec fervida pestis
Cedit adhuc; sed morbus egens jam gurgite plenis
Visceribus sibi poscit aquas. mox robora nervis,
Et vires rediere viris. O prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,
Et quæsitorum terra, pelagoque ciborum
Ambitiosa fames, et lautæ gloria mensæ,
Discite, quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat. non erigit ægros
Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus:
Non auro, murrhaque bibunt: sed gurgite puro
Vita redit. satis est populis fluviusque Ceresque,
Heu miseri, qui bella gerunt. Tunc arma relinquens
Victori miles spoliato pectore tutus,
Innocuusque suas curarum liber in urbes
Spargitur. o quantum donata pace potitos
Excussis unquam ferrum vibrasse lacertis
Pœnituit, tolerasse sitim, frustraque rogasse
Prospera bella deos. nempe usis marte secundo
Tot dubiæ restant acies, tot in orbe labores:
Ut nunquam fortuna labet successibus anceps,
Vincendum toties: terras fundendus in omneis
Est cruor, et Cæsar per tot sua fata sequendus.

tulantur sibi omnia dedecora, ob militiæ vacationem.

397. *Et non deductos recipit sua terra colonos.*] Antequam deducerentur: quod non contingebat, nisi veteranis et victoribus. Grotius.

399. —— *Quod abest favor:*] Ita rectius MS. quam *pavor*. Liberavit illos fortuna ab una maxima molestia, partium studio. Utercunque vicerit, ferent facile, alteri parti ob Sacramentum vetus, alteri ob recens beneficium benevolentes. Grotius.

403. —— *In partes aliquid sed Cæsaris*

Felix, qui potuit mundi nutante ruina,
Quo jaceat jam scire loco. non prælia fessos
Ulla vocant, certos non rumpunt classica somnos.
Jam conjux, natique rudes, et sordida tecta,
Et non deductos recipit sua terra colonos.
Hoc quoque securis oneris fortuna remisit,
Sollicitus menti quod abest favor: ille salutis
Est auctor, dux ille fuit. sic prælia soli
Felices nullo spectant civilia voto.
  Non eadem belli totum fortuna per orbem
Constitit: in partes aliquid sed Cæsaris ausa est,
Qua maris Adriaci longas ferit unda Salonas,
Et tepidum in molles Zephyros excurrit Iader.
Illic bellaci confisus gente Curetum,
Quos alit Adriaco tellus circumflua ponto,
Clauditur extrema residens Antonius ora,
Cautus ab incursu belli, si sola recedat,
Expugnat quæ tuta, fames. non pabula tellus
Pascendis submittit equis, non proserit ullam
Flava Ceres segetem: spoliabat gramine campum
Miles, et attonso miseris jam dentibus arvo
Castrorum siccas de cespite vulserat herbas.
Ut primum adversæ socios in littore terræ
Et Basilum videre ducem: nova furta per æquor
Exquisita fugæ: neque enim de more carinas
Extendunt, puppesque levant, sed firma gerendis
Molibus insolito contexunt robora ductu.
Namque ratem vacuæ sustentant undique cuppæ,
Quarum porrectis series constricta catenis
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.
Nec gerit expositum telis in fronte patenti

ausa est,] Et hoc, ut alia quædam, de Lucano sumsit Florus; *Aliquid tamen adversus absentem ducem ausa Fortuna est.* in eadem historiæ parte. Grotius.

406. *Illic bellaci confisus gente Curetum,*] Omnino cum MSS. legendum *Curictum.* Curictas vocat Plin. l. iii. c. 21. κυρακτικὴ hæc pars Straboni. Grotius.

412. —— *Spoliabat gramine campum Miles,*] Repone, SPOLIARAT, ut mox *Vulserat:* neque enim, credo, *castrorum* herbas prius comederant, quam *Campi.*

420. *Namque ratem vacuæ sustentant*

Remigium: sed, quod trabibus circumdedit æquor,
Hoc ferit, et taciti præbet miracula cursus,
Quod nec vela ferat, nec apertas verberet undas.
Tunc freta servantur, dum se declivibus undis
Æstus agat, refluoque mari nudentur arenæ.
Jamque relabenti crescebant littora ponto;
Missa ratis prono defertur lapsa profundo,
Et geminæ comites. cunctas super ardua turris
Eminet, et tremulis tabulata minantia pinnis.
Noluit Illyricæ custos Octavius undæ
Confestim tentare ratem, celeresque carinas
Continuit, cursu crescat dum præda secundo:
Et temere ingressos repetendum invitat ad æquor
Pace maris. Sic dum pavidos formidine cervos
Claudat odoratæ metuentes aëra pennæ:
Aut dum dispositis attollat retia varis
Venator, tenet ora levis clamosa Molossi;
Spartanos, Cretasque ligat: nec creditur ulli
Sylva cani, nisi qui presso vestigia rostro
Colligit, et præda nescit latrare reperta,
Contentus tremulo monstrasse cubilia loro.
Nec mora. complentur moles, avideque petitis
Insula deseritur ratibus: quo tempore primas
Impulit ad noctem jam lux extrema tenebras.
At Pompeianus fraudes innectere ponto
Antiqua parat arte Cilix, passusque vacare
Summa freti, medio suspendit vincula ponto,

undique cuppæ,] Confer cum hoc loco similes Herodiani et Capitolini in Maximino. Grotius.

431. —— *Cunctas super ardua turris Eminet, et tremulis tabulata minantia pinnis.*] *Cunctas super* ἐγκλιτικῶς, *super cunctas, sive omnes tres rates eminet turris et tabulata,* At acutissimus Nic. Heinsius ad Silium ix. 641. *Junctæ,* inquit, *tabulata turris: sic lego, non Cunctas:* Non intelligo: nam in hac verborum constructione, dicendum erat *Eminent,* non *Eminet.* Sed multa sunt condonanda in opere postumo.

446. —— *Quo tempore primas Impulit ad noctem jam lux extrema tenebras.*] Durum hoc et plane ferreum, *Lux impellit tenebras ad noctem;* certe *Detinet* potius quam *Impellit.* Codices alii *Impulit,* alii *Impedit,* quidam *Impetit.* Miror vero, cur illud Grotius primus in textum receperit; nec tamen vel verbo explicaverit. In prima Editione hoc ponit, *Impulit ad noctem: sic legendum, non Im-*

Et laxas fluitare sinit, religatque catenas
Rupis ab Illyricæ scopulis. nec prima, nec illa
Quæ sequitur, tardata ratis: sed tertia moles
Hæsit, et ad cautes adducto fune secuta est.
Impendent cava saxa mari: ruituraque semper
Stat (mirum) moles: et silvis æquor inumbrat.
Huc fractas Aquilone rates, submersaque pontus
Corpora sæpe tulit, cæcisque abscondit in antris:
Restituit rupes tectum mare, cumque cavernæ
Evomuere fretum, contorti vorticis undæ
Tauromenitanam vincunt fervore Charybdim.
Hic Opiterginis moles onerata colonis
Constitit: hanc omni puppes statione solutæ
Circueunt: alii rupes, ac litora complent.
Vulteius tacitas sensit sub gurgite fraudes.
(Dux erat ille ratis) frustra qui vincula ferro
Rumpere conatus, poscit spe prælia nulla,
Incertus qua terga daret, qua pectora bello.
Hoc tamen in casu, quantum deprensa valebat,
Effecit virtus: inter tot millia captæ
Circumfusa rati, et plenam vix inde cohortem,
Pugna fuit, non longa quidem. nam condidit atra
Nox lucem dubiam, pacemque habuere tenebræ.
Tunc sic attonitam, venturaque fata paventem
Rexit magnanima Vulteius voce cohortem:
Libera non ultra parva quam nocte juventus,

pedit, aut Impetit: in tertia vero omissum hoc est; neque eo minus *Impulit* in textu retinetur. nos, bona viri magni venia, revocemus priorem lectionem IMPEDIT; hoc est, detinet, tardat, demoratur. *Ad noctem* autem non *Motum* hic significat, sed *Tempus* solum, *Circa noctem.*

459. *Restituit rupes tectum mare,*] Sensus erat commodus, nisi refragarentur manuscripti, qui *raptus* habent. Raptus igitur intellige rapinas, res ipsas raptas; corpora, naves, quæ pertracta ad has cavernas, deinde iterum evomuntur. Grotius. In prima Editione, vir summus, RUPES emendavit pro RAPTUS. in secunda damnavit, interim per omnes editiones illa *Rupes* textui adhæsit. sed prætulerim omnium codicum lectionem, RAPTUS. Emendationis enim istius, nec sensus commodus est, nec ad alterum comparandus. Cæterum pro *Tectum mare,* quod sine Manuscriptis non sollicito, dedissem equidem moralem huic sententiæ affectum,

——— restituit raptus *JUSTUM* mare.

472. —— *Nam condidit atra*
Nox lucem dubiam,] Friget et sordet hoc præ illa aliorum codicum lectione,

Consulite extremis angusto in tempore rebus,
Vita brevis nulli superest, qui tempus in illa
Quærendæ sibi mortis habet: nec gloria leti
Inferior, juvenes, admoto occurrere fato.
Omnibus incerto venturæ tempore vitæ
Par animi laus est, et quos speraveris annos
Perdere, et extremæ momentum abrumpere lucis,
Accersas dum fata manu. non cogitur ullus
Velle mori. fuga nulla patet: stant undique nostris
Intenti cives jugulis. decernite letum,
Et metus hinc absit: cupias quodcunque necesse est.
Non tamen in cæca bellorum nube cadendum est,
Ut cum permistis acies sua tela tenebris

——— nam condidit *UMBRA*
Nox lucem dubiam.

480. —— *Admoto occurrere fato.*] Non ideo minor nostra laus erit, quod mortem nobis inferemus, quæ vitari jam aut diu differri ob vim hostium non potest. Quam diu enim victurus sit, nemo scit. Grotius. Non attingit ad loci sententiam vir magnus; quæ mihi primum per vestigia sua indaganda erat, atque ea reperta, mox loci non sani emendatio sponte sua se obtulit. Vulteius dux ipse senior, juvenes milites alloquitur; et ipse moriendi certus, ad societatem mortis illos hortatur,

Vita brevis nulli superest, quî tempus in illa
Quærendæ sibi mortis habet: nec gloria leti
Inferior, juvenes, admoto occurrere fato.

In hac oratione duo opposita sint, necesse est: id flagitat disjunctio *Nec*, et comparatio *Inferior*. Nulli, inquit, quantumvis *Seni*, parum vitæ superest, (Nota, brevis *superest*, non brevis *est*) cui in illa brevitate copia mortis sibi inferendæ est: et par gloria *juvenis* est, si admoto et non effugiendo fato, sponte et obvius occurrat, In hac ergo laude pares sumus ego senex, et vos Juvenes. Repone igitur,

——————— nec gloria leti
Inferior *JUVENI EST*, admoto occurrere fato.

Tum eandem sententiam variat et exaggerat in illis, quæ sequuntur,

Omnibus incerto venturæ tempore vitæ,
Par animi laus est, et quos speraveris annos
Perdere: et extremæ momentum abrumpere lucis,
Arcessas dum fata manu.

Et in his itidem duo sunt opposita: quod satis indicat comparatio *Par laus*. Cum et seni et juveni tempus vitæ incertum sit; par animi et fortitudinis laus est, seu juvenis mortem sibi consciscens multos vitæ annos perdat, sive senex jam morti proximus, ultimum lucis momentum sibi abrumpat, dummodo manu sibi mortem acceleret. Rursus ergo vos juvenes et ipse senex pares sumus. Profecto in tenebris hic micabant interpretes.

484. —— *Non cogitur ullus*
Velle mori. fuga nulla patet:] Neque hic acumen Interpretum pervenit ad Poëtæ mentem. *Non cogitur ullus velle mori.* Non igitur jubeo hoc, non impero, ut manu mortem arcessatis: res ipsa satis hoc præstat: *fuga enim nulla patet;* aut vestra manu aut hostili, certe vobis moriendum est.

485. —— *Stant undique nostris*
Intenti cives jugulis.] Apage illud *Cives:* veniam potius promitteret illud vocabulum, quam quod hic quærit Vulteius, desperationem adferret. Corrige certissime,

——— stant undique nostris
Intenti *CILICES* jugulis.

Involvunt. conserta jacent cum corpora campo,
In medium mors omnis abit. perit obruta virtus.
Nos in conspicua sociis, hostique carina
Constituere Dei. præbebunt æquora testes,
Præbebunt terræ, summis dabit insula saxis.
Spectabunt geminæ diverso e littore partes.
Nescio quod nostris magnum et memorabile fatis
Exemplum, Fortuna, paras. quæcunque per ævum
Exhibuit monumenta fides, servataque ferro
Militiæ pietas, transibit nostra juventus.
Namque suis pro te gladiis incumbere, Cæsar,
Esse parum scimus: sed non majora supersunt
Obsessis, tanti quæ pignora demus amoris.

Cilices, piratæ illi et latrones, sanguinis avidissimi: qui in classe hostili erant. Supra 449.

> At *Pompeianus* fraudes innectere ponto
> Antiqua parat arte Cilix, ——

Sed hanc emendationem a Rutgersio præreptam esse postea deprehendi. Ipsum vide Var. Lect. i. 12.

487. —— *Metus hinc absit*:] Ita rectius quidam libri, quam *Omnis abest*. Hortantis enim est oratio. Grotius. Codices Bersmanni, Pulmanni, nostrique omnes habent, *Et metus omnis abit*, vel abest, posterior vera lectio est.

> ——— decernite letum
> Et metus *OMNIS ABEST*.

Noster ubique est Stoicus, quorum illud κέκρικα notissimum est. Κρίνετε, decernite, statuite mori; et ipso illo decreto metus omnis evanescit: pro metu subit audax et obstinata desperatio. Dido apud Virgilium, Æneid. iv. 474.

> *Ergo ubi concepit furias evicta dolore,*
> *Decrevitque mori*: tempus secum ipsa modumque
> Exigit, et mœstum dictis aggressa sororem,
> *Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat.*

Cæterum *Abest* ideo prætulimus τῷ *Abit* quia mox v. 491. redit hoc, et in cæsura quoque: *In medium mors omnis abit.* Ovid. Amor. i. 10.

> Nunc *timor omnis abest*, animique resanuit error
> Maxima res effecta, viri, *timor omnis abesto.*

Iterum Naso Trist. i. 1.

> Carminibus *metus omnis abest.*

488. —— *Cadendum est*,] Aufer illud EST, quia et prior versus sic exibat, *Necesse est*.

489. *Ut cum*] Ita restituimus, pro *Aut*. Grotius. Recte Grotius, ut ex Bersmanni codice patet, sed quid illud, quæso, *Sua tela involvunt acies permistis tenebris?* Non capio illud *permistis*: quo enim modo, quave re? Codex quidam *Permixtas acies*. Melius profecto: hoc est pugna permistas. Sed adhuc aqua hæret, illo enim tempore non *telis*, pilis, sagittis, quæ tenebras inducunt, res geritur; sed ad gladios perventum est. Restitue,

> Ut cum *COMMISSAS* acies sua tela tenebris
> Involvunt.

Propertius iv. 4.

> *Commissas* acies ego possum solvere.

Noster vii. 519.

> ——— stetit omne coactum
> Circa *pila* nefas: ferro subtexitur aër
> Noxque super campos telis conserta pependit.

490. —— *Conserta jacent cum corpora campo*,] Placet aliorum codicum lectio, CONFERTA.

Abscindit nostræ multum sors invida laudi,
Quod non cum senibus capti natisque tenemur.
Indomitos sciat esse viros, timeatque furentes,
Et morti faciles animos: et gaudeat hostis
Non plures hæsisse rates. tentare parabunt
Fœderibus, turpique volent corrumpere vita.
O utinam, quo plus habeat mors unica famæ,
Promittant veniam, jubeant sperare salutem:
Ne nos, cum calido fodiemus viscera ferro,
Desperasse putent. magna virtute merendum est,
Cæsar ut, amissis inter tot millia paucis,
Hoc damnum, cladémque vocet. dent fata recessum,
Emittantque licet, vitare instantia nolim.
Projeci vitam, comites, totusque futuræ
Mortis agor stimulis: furor est. agnoscere solis
Permissum est, quos jam tangit vicinia fati,
Victurosque dei celant, ut vivere durent,
Felix esse mori. Sic cunctas sustulit ardor
Nobilium mentes juvenum: cum sidera cœli,
Ante ducis voces, oculis humentibus omnes
Aspicerent, flexoque Ursæ temone paverent,
Iidem, cum fortes animos præcepta subissent,
Optavere diem. nec segnis mergere ponto
Tunc erat astra polus: nam sol Ledæa tenebat
Sidera, vicino cum lux altissima Cancro est:
Nox tum Thessalicas urgebat parva sagittas.
Detegit orta dies stantes in rupibus Istros,
Pugnacesque mari Graia cum classe Liburnos.

511. *Ne nos, cum calido fodiemus viscera ferro,*] Meliores codices FODIAMUS.

519. *Victurosque dei celant, ut vivere durent,*
Felix esse mori.] Vide locum Aristotelis quem adfert Plutarchus consolatione ad Apollonium, ubi hoc, velut arcanum, prodit Silenus. Grotius.

520. —— *Sic cunctas sustulit ardor Nobilium mentes juvenum:*] Sic codices: sed legendum esse MOBILIUM, probat quod mox sequitur. Ante hæc verba horrebant mortem et diem crastinum, postea exoptabant. Sane cur *Nobiles* dicuntur rusticorum filii, non video. Ovid. Heroid. vi. *Mobilis Æsonide, vernaque incertior aura.*

523. —— *Flexoque Ursæ temone paverent:*] Quod signum erat præcipitantis noctis. Anacreon.

Tentavere prius suspenso vincere bello
Fœderibus, fieret captis si dulcior ipsa
Mortis vita mora. stabat devota juventus,
Damnata jam luce ferox, securaque pugnæ
Promisso sibi fine manu: nullique tumultus
Excussere viris mentes ad summa paratas:
Innumerasque simul pauci terraque marique
Sustinuere manus: tanta est fiducia mortis.
Utque satis bello visum est fluxisse cruoris,
Versus ab hoste furor: primus dux ipse carinæ
Vulteius jugulo poscens jam fata retecto,
Ecquis, ait, juvenum est, cujus sit dextra cruore
Digna meo, certaque fide per vulnera nostra
Testetur se velle mori? nec plura locuto
Viscera non unus jamdudum transigit ensis.
Collaudat cunctos: sed eum, cui vulnera prima
Debebat, grato moriens interficit ictu.
Concurrunt alii, totumque in partibus unis
Bellorum fecere nefas. sic semine Cadmi
Emicuit Dircæa cohors, ceciditque suorum
Vulneribus, dirum Thebanis fratribus omen.
Phasidos et campis insomni dente creati
Terrigenæ, missa magicis e cantibus ira,
Cognato tantos implerunt sanguine sulcos:
Ipsaque, inexpertis quod primum fecerat herbis,
Expavit Medea nefas. sic mutua pacti
Fata cadunt juvenes: minimumque in morte virorum
Mors virtutis habet: pariter sternuntque, caduntque

> Μεσονυκτίῳ ποθ' ὥραν
> Στρέφεται ὅτ' ἄρκτος ἤδη
> Κατὰ χεῖρα τὴν Βοώτου.

Grotius.

525. —— *Nec segnis mergere ponto Tunc erat astra polus:*] Plerique omnes codices VERGERE.

528. *Nox tum Thessalicas urgebat parva sagittas.*] Omnes ubique codices CUM. Recte: continuatur oratio, *Cum lux*, &c. *Cum nox*, &c. *Thessalicas sagittas*, Chironem Thessalum intellige, Sagittarium scilicet signum Geminis oppositum. Noster vi. 393.

> Teque, senex Chiron, gelido qui sidere fulgens
> Impetis *Hæmonio* majorem Scorpion *arcu.*

Ovid. Metam. ii. 81.

> *Hæmoniosque arcus* violentique ora Leonis.

554. —— *Tantos implerunt sanguine sulcos:*] Manuscripti *Tantos*, *Totos*, An legendum LATOS? Juvenalis i. 157.

Vulnere letali: nec quenquam dextra fefellit,
Cum feriat moriente manu. nec vulnus adactis
Debetur gladiis: percussum est pectore ferrum,
Et jugulis pressere manum. cum sorte cruenta
Fratribus incurrant fratres, natusque parenti:
Haud trepidante tamen toto cum pondere dextra
Exegere enses. pietas ferientibus una,
Non repetisse, fuit. jam latis viscera lapsa
Semianimes traxere foris, multumque cruoris
Infudere mari. despectam cernere lucem,
Victoresque suos vultu spectare superbo,
Et mortem sentire juvat. jam strage cruenta
Conspicitur cumulata ratis: bustisque remittunt
Corpora victores, ducibus mirantibus, ulli
Esse ducem tanti. nullam majore locuta est
Ore ratem, totum discurrens fama per orbem.
Non tamen ignavæ post hæc exempla virorum
Percipient gentes, quam sit non ardua virtus
Servitium fugisse manu. sed regna timentur
Ob ferrum, et sævis libertas uritur armis:
Ignoratque datos, ne quisquam serviat, enses.
Mors, utinam pavidos vitæ subducere nolles,
Sed virtus te sola daret. Non segnior illo
Marte fuit, qui tunc Libycis exarsit in arvis.

Et *latum* media *sulcum* deducit arena.

557. —— *Minimumque in morte virorum*] Ita ex MS. restituimus. Antea fuit *nimiumque*. Sensus hic: Minima pars fortitudinis erat mortem oppetere. in ipsa morte militariter pugnare, id vero plus erat. Grotius.

562. —— *Cum sorte cruenta Fratribus incurrant fratres,*] Ita scribendum, non, *incurrunt*. Grotius. Recte se habet *Incurrunt;* ut plerique omnes præferunt codices.

585. *Inter semirutas magnæ Carthaginis arces, Et Clupeam,*] Locum *Aquilariam* vocant Cæsaris commentarii. sed in manuscripto Lucani Scholiaste scribi video, *Anguillariam*. Grotius.

593. *Nondum post genitos Tellus effœta gigantes, Terribilem Libycis partum concepit in antris.*] Quid sibi vult illud CONCEPIT? An post hæc Curioni narrata conceptus est Antæus? Corrige,

Nondum post genitos Tellus effœta Gigantes
Terribilem Libycis partum *CONCEPERAT* antris.

Sic ubique: Virgilius fine quarti,

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput *damnaverat* Orco.

595. *Nec tam justa fuit terrarum gloria Typhon,*] Vide modo orationis filum.

Namque rates audax Lilybæo littore solvit
Curio: nec forti velis Aquilone recepto
Inter semirutas magnæ Carthaginis arces,
Et Clupeam, tenuit stationis littora notæ:
Primaque castra locat cano procul æquore, qua se
Bagrada lentus agit siccæ sulcator arenæ.
Inde petit tumulos, exesasque undique rupes,
Antæi quæ regna vocat non vana vetustas.
Nominis antiqui cupientem noscere causas,
Cognita per multos docuit rudis incola patres.
Nondum post genitos Tellus effœta gigantes,
Terribilem Libycis partum concepit in antris.
Nec tam justa fuit terrarum gloria Typhon,
Aut Tityos, Briareusque ferox: cœloque pepercit,
Quod non Phlegræis Antæum sustulit arvis.
Hoc quoque tam vastas cumulavit munere vires
Terra sui fœtus, quod, cum tetigere parentem,
Jam defecta vigent renovato robore membra.
Hæc illi spelunca domus: latuisse sub alta
Rupe ferunt, epulas raptos habuisse leones.
Ad somnos non terga feræ præbere cubile
Assuerunt, non sylva torum: viresque resumit
In nuda tellure jacens. periere coloni
Arvorum Libyes: pereunt, quos appulit æquor,

TELLUS *concepit partum in Libya*, nec Typhon tam justa erat TERRARUM gloria, et PEPERCIT cœlo, quod, &c. Cernis, ut illud *Terrarum* et sensum et dictionem labefactet. Quis *Terras* dixit, cum unam Terram matrem intellexerit? si *Terrarum*; utique dicendum erat, *Pepercerunt*, non *Pepercit*. Sed et repetitio illa *Telluris*, *Terrarum*, et otiosa et odiosa est. Fallor, an unius verbi admonitu, veram lectionem erui. *Tellus*, ait, *post genitos gigantes* EFFŒTA: ergo illos, numerosam turbam *Fœcunda* peperit, Antæum *Effœta*, et solum. Scribo ergo,

Nondum post genitos Tellus *effœta* Gigantes
Terribilem Libycis partum conce*PERAT* antris:

Nec tam justa fuit *FŒCUNDÆ* gloria Typhon,
Aut Tityos, Briareusque ferox.

Typhon cum cæteris fratribus non tam justa fuit gloria Telluris *fœcundæ*, quam Antæus *effœtæ*. Noster iii. 603.

Stant gemini fratres *fœcundæ* gloria matris.

598. *Hoc quoque tam vastas cumulavit munere vires*
Terra sui fœtus,] Quid veri in hac fabula lateat, qui scire volet, consulat Solinum cap. xxiv. quæque ibi ex Hieronymo et ex Eusebio adfert Salmasius. Grotius.

623. —— *Et gelidus fesso de corpore sudor.*] Suavior est in codicibus nostris compositio,

Auxilioque diu virtus non usa cadendi,
Terræ spernit opes: invictus robore cunctis,
Quamvis staret, erat. tandem vulgata cruenti
Fama mali, terras monstris æquorque levantem,
Magnanimum Alciden Libycas excivit in oras.
Ille Cleonæi projecit terga leonis,
Antæus Libyci: perfudit membra liquore
Hospes, Olympiacæ servato more palæstræ.
Ille parum fidens pedibus contingere matrem,
Auxilium membris calidas infudit arenas.
Conseruere manus, et multo brachia nexu.
Colla diu gravibus frustra tentata lacertis:
Immotumque caput fixa cum fronte tenetur.
Miranturque habuisse parem. nec viribus uti
Alcides primo voluit certamine totis,
Exhausitque virum: quod creber anhelitus illi
Prodidit, et gelidus fesso de corpore sudor.
Tunc cervix lassata quati: tunc pectore pectus
Urgeri: tunc obliqua percussa labare
Crura manu. jam terga viri cedentia victor
Alligat, et medium compressis ilibus arctat:
Inguinaque insertis pedibus distendit, et omnem
Explicuit per membra virum. rapit arida tellus
Sudorem: calido complentur sanguine venæ.
Intumuere tori, totosque induruit artus,
Herculeosque novo laxavit corpore nodos.
Constitit Alcides stupefactus robore tanto:
Nec sic Inachiis, quamvis rudis esset, in undis
Defectam timuit reparatis anguibus hydram,
Conflixere pares, telluris viribus ille,
Ille suis. numquam sævæ sperare novercæ
Plus licuit. videt exhaustos sudoribus artus,

Prodidit *et fesso gelidus* de corpore sudor.

634. *Nec sic Inachiis, quamvis rudis esset, in undis*] Codex Academiæ et Coll. Caii IN ARVIS: quod omnino recipiendum. sic *Rheni arvis, Nili arvis.*

635. *Defectam timuit reparatis anguibus hydram,*] Immo longe melius duo ex nostris DESECTAM. Res notissima,

Non Hydra *secto* corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem.

Cervicemque viri siccam, cum ferret Olympum,
Utque iterum fessis injecit brachia membris,
Non expectatis Antæus viribus hostis,
Sponte cadit, majorque accepto robore surgit.
Quisquis inest terris, in fessos spiritus artus
Egeritur: tellusque viro luctante laborat.
Ut tandem auxilium tactæ prodesse parentis
Alcides sensit: standum est tibi, dixit, et ultra
Non credere solo, sternique vetabere terra:
Hærebis pressis intra mea pectora membris:
Huc, Antæe, cades. sic fatus, sustulit alte
Nitentem in terras juvenem. morientis in artus
Non potuit nati Tellus summittere vires.
Alcides medium tenuit, jam pectora pigro
Stricta gelu, terrisque diu non credidit hostem.
Hinc ævi veteris custos famosa vetustas,
Miratrixque sui signavit nomine terras.
Sed majora dedit cognomina collibus istis,
Pœnum qui Latiis revocavit ab arcibus hostem
Scipio. nam sedes Libyca tellure potito
Hæc fuit. en veteris cernis vestigia valli.
Romana hos primum tenuit victoria campos.
Curio lætatus, tanquam fortuna locorum
Bella gerat, servetque ducum sibi fata priorum,
Felici non fausta loco tentoria ponens,
Indulsit castris, et collibus abstulit omen,
Sollicitatque feros non æquis viribus hostes.
Omnis Romanis quæ cesserat Africa signis,
Tunc Vari sub jure fuit: qui robore quanquam
Confisus Latio, regis tamen undique vires
Excivit Libycæ gentis, extremaque mundi
Signa suum comitata Jubam. non fusior ulli

643. *Quisquis inest terris, in fessos spiritus artus*
Egeritur:] Alii codices ERIGITUR; codex Academiæ pro varia lectione INGERITUR. Hoc recipimus. Noster v. 165.

———— numen,
Quod non exhaustæ per tot jam secula rupis
Spiritus ingessit vati:

647. —— *Sternique vetabere terra:*]

Terra fuit domino: qua sunt longissima regna,
Cardine ab occiduo vicinus Gadibus Atlas
Terminat: a medio, confinis Syrtibus Ammon.
At qua lata jacet, vasti plaga fervida regni
Distinet Oceanum, zonæque exusta calentis
Sufficiunt spatio, populi tot castra sequuntur,
Autololes, Numidæque vagi, semperque paratus
Inculto Gætulus equo: tum concolor Indo
Maurus, inops Nasamon, misti Garamante perusto
Marmaridæ volucres, æquaturusque sagittas
Medorum, tremulum cum torsit missile, Mazax:
Et gens, quæ nudo residens Massylia dorso
Ora levi flectit frænorum nescia virga:
Et solitus vacuis errare mapalibus Afer
Venator, ferrique simul fiducia non est,
Vestibus iratos laxis operire leones.
Nec solum studiis civilibus arma parabat,
Privatæ sed bella dabat Juba concitus iræ.
Hunc quoque, quo superos humanaque polluit anno,
Lege Tribunitia solio depellere avorum
Curio tentarat, Libyamque auferre tyranno,
Dum Regnum te, Roma, facit. memor ille doloris
Hoc bellum sceptri fructum putat esse retenti.
Hac igitur regis trepidat jam Curio fama,
Et quod Cæsareis nunquam devota juventus

Placet aliorum codicum lectio TERRÆ.

656. *Sed majora dedit cognomina collibus istis,*
Pœnum qui Latiis revocavit ab arcibus hostem
Scipio.] Vocatur enim locus castra Corneliana. Grotius.

669. *Excivit Libycæ gentis,*] Omnino rectius *Libyæ gentes*, ut sic expositio ejus quod præcessit, *regis vires*, et cohæreat cum sequentibus. Grotius. Recte hoc Grotius, modo pro *Libycæ*, quod nostri omnes habent, Libycas dedisset, non *Libyæ*.

——— Regis tamen undique vires
Excivit, *Libycas gentes.*

Virgil. iv. 320.

Te propter *Libycæ gentes*, Numidumque tyranni
Odere.

688. *Privatæ sed bella dabat Juba concitus iræ.*] Valerius Maximus vi. 5. 3. *Rutilius tribunus plebis, præter communem consternationem, privata etiam ira accensus.* An hic legendum?

Nec solum studiis *COMMUNIBUS* arma parabat,
Privatæ sed *VELA* dabat Juba concitus iræ.

Vela dabat. Plinius Epist. vi. 33. *Dedimus vela indignationi, dedimus iræ, dedimus dolori: et in amplissima causa, quasi magno mari, pluribus ventis sumus usi.*

Illa nimis castris, nec Rheni miles in undis
Exploratus erat, Corfini captus in arce,
Infidusque novis ducibus, dubiusque priori,
Fas utrunque putat. sed postquam languida segni
Cernit cuncta metu, nocturnaque munia valli
Desolata fuga, trepida sic mente profatur:
  Audendo magnus tegitur timor: arma capessam
Ipse prior: campum miles descendat in æquum,
Dum meus est: variam semper dant otia mentem,
Eripe consilium pugna: cum dira voluntas
Ense subit prenso, galeæ texere pudorem,
Quis conferre duces meminit? quis pendere causas?
Qua stetit, inde favet: veluti fatalis arenæ
Muneribus non ira vetus concurrere cogit
Productos: odere pares. Sic fatus, apertis
Instruxit campis acies: quem blanda futuris
Deceptura malis belli fortuna recepit.
Nam pepulit Varum campo, nudataque fœda
Terga fuga, donec vetuerunt castra, cecidit.
  Tristia sed postquam superati prælia Vari
Sunt audita Jubæ: lætus quod gloria belli
Sit rebus servata suis, rapit agmina furtim,
Obscuratque suam per jussa silentia famam;
Hoc solum metuens incautus ab hoste timeri.
Mittitur, exigua qui prælia prima lacessat,

Lactantius vi. 18. *Iræ fræna permittere.*

693. ——*Sceptri fructum putat esse retenti.*] Retinuisse regnum vel ob hoc gaudet, ut Curioni posait malefacere. Grotius.

705. *Eripe consilium pugna :*] Sic nos emendavimus, cum legeretur *pugnæ*. Probat MS. P. etiam MS. T. manu secunda. Sequentia quoque aliter quam habebant distinximus. Vult enim a vacuo milite expendi causarum justa, ducum merita: Ubi in acie steterint, hæc cessare. Grotius. Multis mendis laborat locus: quæ sic corrigo,

PRÆRIPE consilium. *PUGNÆ* cum dira *VOLUPTAS*
Ense subit *PRESSO*.

Illud PRÆRIPE ex conjectura reposui, cætera ex aliis codicibus sunt. Cicero de Officiis i. 30. *Callidum Hannibalem accepimus; facile celare, tacere, dissimulare, insidiari,* PRÆRIPERE *hostium* CONSILIA. Seneca De Benef. ii. 6. *Gladius idem et stringit et transforat: quam presso articulo venerit refert:* Noster vii. 562.

Quæ presso tremat ense manus.

Cæterum alii codices, ET *galeæ texere pudorem*, quod ipsa sententia postulat.

719. —— *Metuens incautus ab hoste*

Eliciatque manu, Numidis a rege secundus,
Ut sibi commissi simulator Sabbura belli:
Ipse cava regni vires in valle retentat:
Aspidas ut Pharias cauda solertior hostis
Ludit, et iratas incerta provocat umbra:
Obliquansque caput vanas serpentis in auras
Effusæ toto comprendit guttura morsu
Letiferam citra saniem: tunc irrita pestis
Exprimitur, faucesque fluunt pereunte veneno.
Fraudibus eventum dederat fortuna: feroxque
Non exploratis occulti viribus hostis,
Curio nocturnum castris erumpere cogit,
Ignotisque equitem late decurrere campis.

timeri.] Improvisus hosti hactenus, hoc solum timebat ne ab hoste timeretur, atque ita prælii negaretur occasio. Sic Latinus Pacatus: *Quo quidem tuus maxime gaudebat exercitus, cum se videret ultro lacessi qui nihil magis timuerat, quam timeri.* Grotius. Omnes, quod sciam, ubique codices INCAUTO *hoste. Incautus*, idem est quod *improvidus.* non, uti vir magnus interpretatur, *Improvisus.* Silius tamen, ii. 99.

——— linquentem retia cervum
Vulnere sistebat: rueretque inopina *sub ictu*
Ante fera *incauto*, quam sibila poneret arcus.

Sed sine dubio locus mendosus est: Qui enim *cervus fugiens* et aversus caveret ictum. Repone,

——— rueretque inopina sub ictu
Ante fera, *intentus* quam sibila poneret arcus.

Codex Academicus rem nobis restituit,

Hoc solum metuens *INCAUTO EX* hoste, timeri.

Incautus etiam passive, v. 500. *incautis tenebris.* metuo abs te, de te, ex te, Ovid. Heroid. xvii. *De facie metuit, vitæ confidit.*

724. —— *Cauda solertior hostis*] Ichneumon cui internecinum cum aspide bellum intercedere ait Plinius l. viii. c. 24. et modum gerendi addit: *in caudam attollens ictus irritos aversus excipit, donec obliquo capite speculatus invadat in fauces.* Adde Nicandrum, Strabonem, Oppianum de Venatu. Grotius.

726. —— *Vanas serpentis in auras Effusæ*] Quid illud est, *Serpentis effusæ in auras?* quid porro *Vanas auras?* Hæc numerosa sua suavitate fallunt ducuntque lectorem: ubi vero excusseris, nihil intus habent. Codex Academiæ pro varia lectione *In* IRAS. Deus plane ex machina: sed tum aliud restabit ex ingenio corrigendum: Præcesserat enim in priore versu,

—— et *iratas* incerta provocat umbra.

Jam vero *Iratas*, et mox *In iras* ne tolerabile quidem. Quid vero est *provocare iratas?* Provocare ad iram, scio quid sit: at jam iratas quid opus erat provocare? Egregia hæc descriptio, duplici mendo commaculatur:

Aspidas ut Pharias cauda solertior hostis
Ludit, et *iratas* incerta provocat umbra:
Obliquansque caput vanas serpentis in auras
Effusæ tuto comprendit guttura morsu.

Quorum utrumque sic legendo tolles,

Aspidas ut Pharias cauda solertior hostis
Ludit, et *IRRITANS* incerta provocat umbra,
OBLIQUUSQUE caput, vanas serpentis in *IRAS*
Effusæ toto comprendit guttura morsu.

Ipse sub Auroræ primos excedere motus
Signa jubet castris, multum, frustraque rogatus
Ut Libycas metuat fraudes, infectaque semper
Punica bella dolis. leti fortuna propinqui
Tradiderat fatis juvenem: bellumque trahebat
Auctorem civile suum. super ardua ducit
Saxa, super cautes abrupto limite signa.
Cum procul e summis conspecti collibus hostes
Fraude sua cessere parum, dum colle relicto
Effusam patulis aciem committeret arvis.
Ille fugam credens, simulatæ nescius artis,
Ut victor, medios aciem projecit in agros.
Tunc primum patuere doli, Numidæque fugaces

Ludit aspidas Ichneumon *cauda*, quam scilicet longam habet, ac squamis obtectam, nec serpentis dentibus obnoxiam. Vide Oppian. Cyneg. iii. 435. Jam vero IRRITANS quanto melius, quam *Iratas?* et quis dubitet sic dedisse Lucanum. Ovid. Metam. viii. 418.

Vulneris auctor adest, *hostemque irritat ad iram.*

OBLIQUUSQUE *caput*, Complures codices habent, non *Obliquans*. Illud vero recipimus, cum ob Hellenismum, tum quia per totam pugnam obliquo capite est Ichneumon; ut Plinius Grotio hic citatus, *Donec obliquo capite speculatus invadat in fauces*. Postremo, illud extra omnem aleam est, *Serpentis effusæ in vanas* IRAS. Statius vii. 322.

——— stetit audaces *effusus in iras*,
Conseruitque manus.

Val. Flaccus vii. 34.

——— inque ipsa morantis
Prosilit ora viri, talique *effunditur ira*.

Idem *Vanas iras* firmat viii. 374.

Abscessit tandem, *vanaque* recedit ab *ira*.

733. *Late decurrere campis.*] Codices meliores magno numero DISCURRERE. Sine dubio recte, vel ob illud *Late. Equitem discurrere*, ut i. 476.

Barbaricas sævi *discurrere* Cæsaris *alas*.

737. —— *Leti fortuna propinqui*
Tradiderat fatis juvenem: bellumque trahebat
Auctorem civile suum.] Hæc optime explicat, quod Noster habet viii. 568.

Quod nisi *fatorum* leges, intentaque jussu
Ordinis æterni miseræ *vicinia mortis*
Damnatum leto *traherent* ad littora Magnum.

Ex his tamen vides *Fortunæ* nullum hic locum esse; cum omnia *Fatis* et æterni ordinis legibus obediant. Et quid est *Fortuna leti?* Corrige,

——— Leti *SORS DURA* propinqui
Tradiderat fatis juvenem.

741. *Cum procul e summis conspecti collibus hostes*] Locus mendi manifestus; redit enim versu insequente, *Colle relicto*. Reponendum videtur, vel *Montibus* in priore versu, vel in posteriore *Monte*.

745. —— *Projecit in agros.*] Magis probem, quod est in MSS. *dejecit*, ex colle scilicet in planitiem. Grotius. Præter illud DEJECIT quod meliores codices, præferunt, iidem et MERSOS habent, non MEDIOS. Codex autem Academiæ ACIES; quod eo placet, quia *Aciem* jam v. 743. habuimus. Sic infra 777.

Ergo *acies tantæ* parvum spissantur in orbem.

Undique completis clauserunt montibus agmen.
Obstupuit dux ipse simul, perituraque turba.
Non timidi petiere fugam, non prælia fortes:
Quippe ubi non sonipes motus clangore tubarum
Saxa quatit pulsu, rigidos vexantia frænos
Ora terens, spargitque jubas, et surrigit aures,
Incertoque pedum pugnat non stare tumultu.
Fessa jacet cervix. fumant sudoribus armi:
Oraque projecta squalent arentia lingua:
Pectora rauca gemunt, quæ creber anhelitus urget:
Et defecta gravis longe trahit ilia pulsus:
Siccaque sanguineis durescit spuma lupatis.
Jamque gradum neque verberibus, stimulisque coacti,
Nec, quamvis crebris jussi calcaribus, addunt.
Vulneribus coguntur equi, nec profuit ulli
Cornipedis rupisse moras: neque enim impetus illis
Incursusque fuit: tantum profertur ad hostes,
Et spatium jaculis oblato vulnere donat.
At vagus Apher equos ut primum emisit in agmen:
Tunc campi tremuere sono: terraque soluta,
Quantus Bistonio torquetur turbine pulvis,
Aëra nube sua texit, traxitque tenebras.
Ut vero in pedites fatum miserabile belli
Incubuit: nullo dubii discrimine martis
Ancipites steterunt casus, sed tempora pugnæ
Mors tenuit. neque enim licuit procurrere contra,
Et miscere manus. sic undique septa juventus

760. *Nec, quamvis crebris jussi calcaribus,*] Lege, *Clamoribus.*

762. —— *Neque enim impetus illis Incursusque fuit:*] Pro *Illis* aliquot codices habent ILLI. Lege ILLE vel ILLUD. Virgil. Æn. iii. 173. *Nec sopor illud erat.* Quintil. Declam. iv. *Non fuit* illud *pugna, non acies.* Sic alii passim.

775. —— *Non vulneribus, nec sanguine, solum*
Telorum nimbo peritura, et pondere ferri.] Prava distinctio plerasque editiones obsedit, tu interpunge,

—————— nec sanguine solum
Telorum nimbo peritura *AC* pondere ferri.

Prior negat vulneribus perituros; quod falsum; cum *et cominus et eminus* obruantur: Posterior affirmat, et vulneribus et ipso telorum pondere perituros. Omnes nostri *Ac pondere.*

780. *Densaturque globus,*] Citat Servius *denseturque.* Et ait similiter scriptum Virgilio: *Extremi addensent aciem,*

Comminus obliquis, et rectis eminus hastis
Obruitur: non vulneribus, nec sanguine, solum
Telorum nimbo peritura, et pondere ferri.
Ergo acies tantæ parvum spissantur in orbem:
Ac, si quis metuens medium correpsit in agmen,
Vix impune suos inter convertitur enses,
Densaturque globus, quantum pede prima relato
Constrinxit gyros acies. non arma movendi
Jam locus est pressis: stipataque membra teruntur.
Frangitur armatum colliso pectore pectus.
Non tam læta tulit victor spectacula Maurus
Quam fortuna dabat: fluvios non ille cruoris,
Membrorumque videt lapsum, et ferientia terram
Corpora: compressum turba stetit omne cadaver.
Excitet invisas diræ Carthaginis umbras
Inferiis fortuna novis: ferat ista cruentus
Annibal, et Pœni tam dira piacula manes.
Romanam, Superi, Libyca tellure ruinam
Pompeio prodesse nefas, votisque Senatus.
Africa nos potius vincat sibi. Curio fusas
Ut vidit campis acies, et cernere tantas
Permisit clades compressus sanguine pulvis,
Non tulit afflictis animam producere rebus,
Aut sperare fugam: ceciditque in strage suorum
Impiger ad letum, et fortis virtute coacta.
Quid nunc rostra tibi prosunt turbata, forumque,
Unde Tribunitia plebeius signifer arce

secunda conjugatione, quod apertum ex Lucretio:

——— quia se condenseat aër.

quod autem idem Servius in fine hujus versus *relicto* habet pro *relato*, aut memoriæ ipsius, aut exscribentis est culpa. Grotius. Festinabat vir magnus, cum hæc scriberet: non enim citat Servius *Denseturque*: ad rem ipsam ille respicit non ad verbum: neque omnino priorem hujus versus partem memorat, quin et *Relecto* habet in postremis editionibus, in vetere Rob. Stephani *Relato*. sed Priscianus p. 838. hunc Lucani locum ea gratia laudat, ut diversam conjugationem probet; nempe cum Virgilius dixerit *Addensent* secundæ conjugationis; Lucanum in prima dixisse, *Densaturque globus*: et sic codex Prisciani manuscriptus, et res ipsa firmat. Quare accipimus *Densaturque*; ut et omnes nostri codices jam præferunt. Idem Priscianus *Relato*

Arma dabas populis? quid prodita jura Senatus,
Et gener, atque socer bello concurrere jussi?
Ante jaces, quam dira duces Pharsalia confert,
Spectandumque tibi bellum civile negatum est.
Has urbi miseræ vestro de sanguine pœnas
Ferre datis: luitis jugulo sic arma, potentes.
Felix Roma quidem, civesque habitura beatos,
Si libertatis superis tam cura placeret,
Quam vindicta placet. Libycas en nobile corpus
Pascit aves, nullo contectus Curio busto.
At tibi nos (quando non proderit ista silere
A quibus omne ævi senium sua fama repellit,)
Digna damus, juvenis, meritæ præconia vitæ.
Haud alium tanta civem tulit indole Roma,
Aut cui plus leges deberent recta sequenti.
Perdita tunc Urbi nocuerunt secula, postquam
Ambitus, et luxus, et opum metuenda facultas
Transverso mentem dubiam torrente tulerunt.
Momentumque fuit mutatus Curio rerum,
Gallorum captus spoliis, et Cæsaris auro.

habet, et, cum Servio, *Constringit;* ut et aliquot Lucani codices.

783. *Frangitur armatum colliso pectore pectus.*] Quid ad rem facit, *Armatum?* Repone ARTATUM, sive stipatum, compressum. Silius iv. 555.

—— nec *artatis* locus est in morte cadendi.

et ix. 322.

—— nec morte peracta
Artatis cecidisse licet.

Livius xxiii. 27. *Undique pulsi coire in orbem, et dum corporibus applicantur, armaque armis jungunt, in artum compulsi* (lege compressi,) *cum vix movendis armis spatii esset.*

809. *Quam vindicta placet.*] Tacitus: *Nec unquam atrocioribus Populi Romani cladibus, magisve justis judiciis approbatum est, esse ultionem.* Vide et Ciceronem iii. de natura Deorum ubi de Cinna sermo. Grotius.

813. *Digna damus, juvenis, meritæ præconia vitæ.*] Illud *meritæ* non placet. Lege,

Digna damus, juvenis, *PRIMÆ* præconia vitæ.

de nequitia hujus Curionis vide Val. Maximum ix. 1. 6.

816. *Perdita tunc Urbi nocuerunt secula,*] Id rectius quam *Orbi,* ob ea quæ præcedunt. Grotius.

817. —— *Et opum metuenda facultas*] Recte. ut contra lib. v.

—— o vitæ tuta facultas
Pauperis.

Seneca Epist. 87. p. 381. *His effecturi, ut populus Romanus paupertatem, fundamentum et causam Imperii sui requirat ac laudet; divitias autem suas timeat?*

821. *Jus licet in jugulos nostros sibi fecerit ense
Sylla potens,*] Non improbanda

Jus licet in jugulos nostros sibi fecerit ense
Sylla potens, Mariusque ferox, et Cinna cruentus:
Cæsareæque domus series; cui tanta potestas
Concessa est: emere omnes, hic vendidit Urbem.

hæc lectio: At MS. P.

Jus licet in jugulos nostro sibi fecerit ense
Sylla potens.

Quasi dicat, Romanos Romanis armis subactos, sicut alius dixit, provincias provinciarum sanguine vinci. Grotius.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER QUINTUS.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER QUINTUS.

SIC alterna duces bellorum vulnera passos
In Macedum terras, miscens adversa secundis,
Servavit fortuna pares. jam sparserat Æmo
Bruma nives, gelidoque cadens Atlantis Olympo:
Instabatque dies, qui dat nova nomina fastis,
Quique colit primus ducentem tempora Janum.
Dum tamen emeriti remanet pars ultima juris,
Consul uterque vagos belli per munia Patres
Elicit Epirum. peregrina ac sordida sedes
Romanos cepit proceres: secretaque rerum
Hospes in externis audivit curia tectis.
Nam quis castra vocet tot strictas jure secures,
Tot fasces? docuit populos venerabilis ordo
Non Magni partes, sed Magnum in partibus esse.
    Ut primum mœstum tenuere silentia cœtum,

4. —— *GELIDOQUE cadens Atlantis Olympo:*] Cave illud *Atlantis* secundo casu accipias. Significat enim ex occasu Virgiliarum mensem Decembrem. Grotius.

15. *Ut primum mœstum tenuere silentia cœtum,*] *Primum, mœstum, cœtum,* satis invenuste, et ne Latinum quidem est. Ovid Metam. i. 206. *tenuere silentia cuncti,* non *cunctos.* et cur *mœstum?* cum mox, *læto clamore?* An forte?

Ut primum *SANCTI* tenuere silentia *CŒTUS.* Claudianus, *Sanctus cœtus.*

Lentulus excelsa sublimis sede profatur:
Indole si dignum Latia, si sanguine prisco
Robur inest animis; non qua tellure coacti,
Quamque procul tectis captæ sedeamus ab urbis
Cernite: sed vestræ faciem cognoscite turbæ:
Cunctaque jussuri primum hoc decernite, Patres,
Quod regnis, populisque liquet, nos esse Senatum.
Nam, vel Hyperboreæ plaustrum glaciale sub Ursæ,
Vel plaga qua torrens, claususque vaporibus axis
Nec patitur noctes, nec iniquos crescere soles,
Si fortuna ferat, rerum nos summa sequetur,
Imperiumque comes. Tarpeia sede perusta
Gallorum facibus. Veiosque habitante Camillo,
Illic Roma fuit. non unquam perdidit ordo
Mutato sua jura solo. mœrentia tecta
Cæsar habet, vacuasque domos, legesque silentes,
Clausaque justitio tristi fora. curia solos
Illa videt Patres, plena quos urbe fugavit.
Ordine de tanto quisquis non exulat, hic est.
Ignaros scelerum, longaque in pace quietos
Bellorum primus sparsit furor; omnia rursus
Membra loco redeunt. en! totis viribus orbis
Hesperiam pensant superi: jacet hostis in undis
Obrutus Illyricis: Libyæ squalentibus arvis
Curio Cæsarei cecidit pars magna Senatus.
Tollite signa, duces: fatorum impellite cursum:
Spem vestram præstate Deis: fortunaque tantos
Det vobis animos, quantos fugientibus hostem
Causa dabat. nostrum exhausto jus clauditur anno:
Vos, quorum finem non est sensura potestas,
Consulite in medium, Patres, Magnumque jubete
Esse ducem. læto nomen clamore Senatus

16. *Lentulus excelsa sublimis sede profatur:*] Meliores codices, E CELSA, quod recipiendum.

44. —— *Nostrum exhausto jus clauditur anno:*] Manuscripti plerique omnes EXACTO, sive finito. Quis dubitet esse verum?

55. —— *Et gelidæ dominum Rhasi-*

Excipit: et Magno fatum patriæque suumque
Imposuit. tunc in reges, populosque merentes
Sparsus honos, pelagique potens Phœbeia donis
Exornata Rhodos, gelidique inculta juventus
Taygeti: fama veteres laudantur Athenæ:
Massiliæque suæ donatur libera Phocis.
Tunc Sadalen, fortemque Cotyn, fidumque per arma
Deiotarum, et gelidæ dominum Rhasipolin oræ
Collaudant: Libyamque jubent auctore Senatu
Sceptrifero parere Jubæ. pro tristia fata!
Et tibi non fidæ gentis, dignissime regno,
Fortunæ, Ptolemæe, pudor, crimenque Deorum,
Cingere Pellæo pressos diademate crines
Permissum: sævum in populos puer accipis ensem:
Atque utinam in populos! donata est regia Lagi;
Accessit Magni jugulus: regnumque sorori
Ereptum est, soceroque nefas. jam turba soluto
Arma petit cœtu, quæ cum populique, ducesque
Casibus incertis, et cæca sorte pararent,
Solus in ancipites metuit descendere martis
Appius eventus: finemque expromere rerum
Sollicitat superos, multosque obducta per annos
Delphica fatidici reserat penetralia Phœbi.
  Hesperio tantum, quantum semotus Eoo
Cardine, Parnassus gemino petit æthera colle,
Mons Phœbo, Bromioque sacer: cui numine misto
Delphica Thebanæ referunt trieterica Bacchæ,
Hoc solum fluctu terras mergente cacumen
Eminuit, pontoque fuit discrimen et astris.
Tu quoque vix summam seductus ab æquore rupem
Extuleras, unoque jugo, Parnasse, latebas.
Ultor ibi expulsæ premerent cum viscera partus

polin oræ] Scribe, RHESCUPORIN, ex vetere nummo ΡΗΣΚΟΥΠΟΡΙΣ: et quo meliores codices sunt, eo proprius accedunt.

61. *Permissum: sævum*] Meliores pluresque codices *Permissum est.*

71. —— *Quantum semotus Eoo*

Matris, adhuc rudibus Pæan Pythona sagittis
Explicuit, cum regna Themis, tripodasque teneret.
Ut vidit Pæan vastos telluris hiatus
Divinam spirare fidem, ventosque loquaces
Exhalare solum, sacris se condidit antris,
Incubuitque adyto, vates ibi factus, Apollo.
  Quis latet hic superum quod numen ab æthere pressum
Dignatur cæcas inclusum habitare cavernas?
Quis terram cœli patitur Deus, omnia cursus
Æterni secreta tenens, mundique futuri
Conscius, ac populis sese proferre paratus,
Contactusque ferens hominis, magnusque, potensque,
Sive canit fatum, seu quod jubet ipse canendo
Fit fatum? Forsan terris inserta regendis,
Aëre libratum vacuo quæ sustinet orbem,
Totius pars magna Jovis Cirrhæa per antra
Exit, et ætherio trahitur connexa Tonanti.
Hoc ubi virgineo conceptum est pectore numen,
Humanam feriens animam sonat, oraque vatis
Solvit, ceu Siculus flammis urgentibus Ætnam
Undat apex: Campana fremens ceu saxa vaporat
Conditus Inarimes æterna mole Typhœus.
  Hoc tamen expositum cunctis: nullique negatum
Numen, ab humani solum se labe furoris
Vindicat. haud illic tacito mala vota susurro
Concipiunt. nam fixa canens, mutandaque nulli,
Mortales optare vetat: justisque benignus
Sæpe dedit sedem totas mutantibus urbes,
Ut Tyriis: dedit ille minas impellere belli,

Cardine,] Omnes codices nostri SUMMOTUS.

79. —— *Premerent cum viscera partus*] Omnes nostri PREMERET.

92. —— *Seu quod jubet ipse canendo*] Omnes nostri ILLE, et Lactantius ad Statium p. 14.

124. —— *Pavidamque deis immittere vatem,*] Quid est, immittere deis? cur *Pavidam*, quæ tum sine cura ludebat? Lego

Placitamque deis immitere vatem.

Val. Flaccus ii. 5.

—— placitosque deis ne deserat actus.

et ii. 316.

Tunc etiam *vates Phœbo dilecta* Polyxo.

Ut Salaminiacum meminit mare. sustulit iras
Telluris sterilis, monstrato fine: resolvit
Aëra tabificum: non ullo secula dono
Nostra carent majore Deum, quam Delphica sedes
Quod siluit, postquam reges timuere futura,
Et superos vetuere loqui, nec voce negata
Cyrrhææ mœrent vates, templique fruuntur
Justitio. nam si qua Deus sub pectora venit,
Numinis aut pœna est mors immatura recepti,
Aut pretium: quippe stimulo fluctuque furoris
Compages humana labat, pulsusque Deorum
Concutiunt fragiles animas. sic tempore longo
Immotos tripodas, vastæque silentia rupis
Appius Hesperii scrutator ad ultima fati
Sollicitat. jussus sedes laxare verendas
Antistes, pavidamque deis immittere vatem,
Castalios circum latices, nemorumque recessus
Phemonoën errore vagam, curisque vacantem
Corripuit, cogitque fores irrumpere templi.
Limine terrifico metuens consistere Phœbas,
Absterrere ducem noscendi ardore futuri
Cassa fraude parat. quid spes (ait) improba veri
Te, Romane, trahit? muto Parnassus hiatu
Conticuit, pressitque Deum: seu spiritus istas
Destituit fauces, mundique in devia versum
Duxit iter: seu barbarica cum lampade Pytho
Arsit, in immensas cineres abiere cavernas,
Et Phœbi tenuere viam: seu sponte Deorum

130. —— *Quid spes (ait) improba veri Te, Romane, trahit?*] Ita quidem codices nostri; sed Bersmanni unus, QUÆ *spes, ait.* Recte. Virgil. xi. 732.

Quis metus, o nunquam dolituri. o semper inertes
Tyrrheni, *quæ tanta* animis *ignavia* venit?

et ii. 73.

Festinate viri: nam *quæ tam sera* moratur
Segnities.

Noster vii. 84.

—— *Quo tanto crimine* tellus
Læsisti superos.

134. —— *Barbarica cum lampade Pytho Arsit,*] Quo tempore templum Delphicum, cui Pytho nomen, a Brenno incensum est. Grotius.

139. *Seu Pæan solitus templis arcere no-*

Cirrha silet, fatique sat est arcana futuri
Carmine longævæ vobis commissa Sibyllæ:
Seu Pæan solitus templis arcere nocentes,
Ora quibus solvat nostro non invenit ævo.
   Virginei patuere doli, fecitque negatis
Numinibus metus ipse fidem. tunc torta priores
Stringit vitta comas, crinesque in terga solutos
Candida Phocaica complectitur infula lauro.
Hærentem, dubiamque premens in templa sacerdos
Impulit. ille pavens adyti penetrale remoti
Fatidicum, prima templorum in parte resistit:
Atque Deum simulans, sub pectore ficta quieto
Verba refert, nullo confusæ murmure vocis
Instinctam sacro mentem testata furore,
Haud æque læsura ducem, cui falsa canebat.
Quam tripodas, Phœbique fidem. non rupta trementi
Verba sono, nec vox antri complere capacis
Sufficiens spatium, nulloque horrore comarum
Excussæ laurus, immotaque culmina templi,
Securumque nemus, veritam se credere Phœbo
Prodiderant. sentit tripodas cessare, furensque
Appius: Et nobis meritas dabis, impia, pœnas,
Et superis, quos fingis, ait, nisi mergeris antris,
Deque orbis trepidi tanto consulta tumultu

centes,] Et hanc causam et alias quasdam apud Plutarchum habes libro cur cessaverint oracula. Grotius.

147. —— *Prima templorum in parte resistit:*] Altero abhinc versu jam habuimus *in templa:* Quare hic velim,

Prima *TECTORUM* in parte resistit.

155. *Excussæ laurus, immotaque culmina templi,*] Codex Academiæ, *Limina*, quod vel unus Virgilii locus firmat, Æn. iii. 91.

Vix ea fatus eram, *tremere* omnia visa repente,
Liminaque laurusque dei.

sine codice tamen non mutaverim: nam et *Culmina* satis recte.

157. —— *Sentit tripodas cessare,*] Meliores codices *Sensit.*

158. —— *Et nobis meritas dabis, impia, pœnas,*] Codex Academiæ, et Servius ad Virgil. vi. 662. *Improba.*

162. —— *Vastisque abducta cavernis*] Codices nostri omnes *Adducta.*

165. —— *Tandemque potitus*
Pectore Cirrhæo,] Redit illud mox v. 169.

———— toto sibi cedere jussit
Pectore.

et paulo ante v. 163.

———— concepit pectore numen.

Quare emendandum videtur *Corpore Cir-*

Desinis ipsa loqui. Tandem conterrita virgo
Confugit ad tripodas, vastisque abducta cavernis
Hæsit, et insueto concepit pectore numen,
Quod non exhaustæ per tot jam secula rupis
Spiritus ingessit vati: tandemque potitus
Pectore Cirrhæo, non unquam plenior artus
Phœbados irrupit Pæan: mentemque priorem
Expulit, atque hominem toto sibi cedere jussit
Pectore. bacchatur demens aliena per antrum
Colla ferens, vittasque Dei, Phœbeaque serta
Erectis discussa comis, per inania templi
Ancipiti cervice rotat, spargitque vaganti
Obstantes tripodas, magnoque exæstuat igne,
Iratum te, Phœbe, ferens: nec verbere solo
Uteris, et stimulis; flammas in viscera mergis.
Accipit et frænos: nec tantum prodere vati,
Quantum scire, licet. venit ætas omnis in unam
Congeriem: miserumque premunt tot secula pectus.
Tanta patet rerum series, atque omne futurum
Nititur in lucem: vocemque petentia fata
Luctantur: non prima dies, non ultima mundi,
Non modus Oceani, numerus non deerat arenæ.
Talis in Euboico vates Cumana recessu,
Indignata suum multis servire furorem

rhæo; quod et firmat illud *Artus* quod sequitur,

> ——— non unquam plenior artus
> Phœbados irrupit Pæan.

Artus enim de toto *Corpore*, non de pectore dicuntur. cæterum et in Nostro et in cæteris poëtis illa inter se passim commutantur.

169. —— *Bacchatur demens aliena per antrum*
Colla ferens,] Cujus, quæso, *colla* erant, si *aliena* erant, et non sua? Quid, quod de Collo mox habemus aliis verbis, *Ancipiti cervice rotat.* Pro *Ferens,* quod mox recurrit, v. 174. alii codices GERENS. Repone,

> ——— bacchatur demens aliena per antrum
> *CORDA GERENS.*

Aliena corda, quia demens; quia Deus corda sua sibi excusserat, *Atque hominem toto sibi cedere jussit* CORPORE. Virgilius de Sibylla et Phœbo,

> ——— tanto magis ille fatigat
> Os rabidum, *fera corda domans*, fingitque premendo.

174. —— *Nec verbere solo*
Uteris, et stimulis; flammas in viscera mergis.] Meliores et plures codices,

> Uteris *AC* stimulis, flammas*QUE* in viscera mergis;
> Accipit et frænos.

Continuatur sententia. Cave enim plenam

Gentibus, ex tanta fatorum strage superba
Excerpsit Romana manu. sic plena laborat
Phemonoë Phœbo, dum te consultor operti
Castalia tellure Dei vix invenit, Appi,
Inter fata diu quærens tam magna latentem.
Spumea tunc primum rabies vesana per ora
Effluit, et gemitus, et anhelo clara meatu
Murmura: tunc mœstus vastis ululatus in antris,
Extremæque sonant domita jam virgine voces.
Effugis ingentes, tanti discriminis expers,
Bellorum, Romane, minas: solusque quietem
Euboici vasta lateris convalle tenebis.
Cætera suppressit, faucesque obstruxit Apollo.
Custodes tripodes fatorum, arcanaque mundi,
Tuque potens veri Pæan, nullumque futuri
A Superis celate diem, suprema ruentis
Imperii, cæsosque duces, et funera regum,
Et tot in Hesperio collapsas sanguine gentes
Cur aperire times? an nondum numina tantum
Decrevere nefas? et adhuc dubitantibus astris
Pompeii damnare caput tot fata tenentur?

ponas distinctionem post *Mergis*. Non solum, inquit, verbere, stimulis, flammis; sed et frænis uteris.

191. —— *Et anhelo clara meatu Murmura:*] Non placet *Clara murmura;* Certissima emendatio est,

—————— et anhelo *CREBRA* meatu
Murmura.

Ideo *Crebra*, quia *anhelo meatu*. Virgil.

———— tum *creber* anhelitus artus
Aridaque ora quatit.

Apuleius Met. 8. *Unus bacchatur effusus, ac de imis præcordiis* anhelitus crebros *referens*.

197. —— *Faucesque obstruxit Apollo.*] Meliores codices OBSTRINXIT.

208. —— *Tunc pectore vatis*] Ita scribendum, non *fatis*. Post *ille*, id est Phœbus. Grotius. Omnes nostri codices, quod res ipsa flagitat *Vatis*.

209. —— *Exclusaque templis*] Melius MSS. *expulsaque templis*. ejecta vi numinis. Grotius.

210. —— *Nec cuncta locuta est. Quem non emisit, superest Deus.*] Corrige,

—————— nec cuncta *LOCUTÆ*,
Quem non emisit, superest deus.

Facillime permutantur a e dipthongus, et a ē: sic enim *Est* compendiose scribitur.

211. —— *Ille feroces Torquet adhuc oculos,*] Sane plerique codices *Ille* habent: quibus fraudi fuit quod præcesserat *Deus*. Repone vero,

—————— *ILLA* feroces
Torquet adhuc oculos

Vindicis an gladii facinus, pœnasque furorum,
Regnaque ad ultores iterum redeuntia Brutos,
Ut peragat fortuna, taces? tunc pectore vatis
Impactæ cessere fores, exclusaque templis
Prosiluit: perstat rabies, nec cuncta locuta est.
Quem non emisit, superest Deus. ille feroces
Torquet adhuc oculos, totoque vagantia cœlo
Lumina: nunc vultu pavido, nunc torva minaci,
Stat nunquam facies: rubor igneus inficit ora,
Liventesque genas: nec, qui solet esse timenti,
Terribilis sed pallor inest: nec fessa quiescunt
Corda; sed ut tumidus Boreæ post flamina pontus
Rauca gemit; sic multa levant suspiria vatem.
Dumque a luce sacra, qua vidit fata, refertur
Ad vulgare jubar, mediæ venere tenebræ.
Immisit Stygiam Pæan in viscera Lethen,
Quæ raperet secreta Deum. tum pectore verum
Fugit, et ad Phœbi tripodas rediere futura:
Vixque refecta cadit. nec te vicinia leti
Territat ambiguis frustratum sortibus, Appi:
Jure sed incerto mundi, subsidere regnum

Et sententia hoc flagitat, et dictio. *Torquere* enim *oculos* is solus dicitur, cujus sunt oculi. Virgil. Georg. iii. 433. de serpente,

——— flammantia lumina torquens
Sævit agris.

Æn. vii. 339. de Regina Amata,

Sanguineam torquens aciem.

448. de Furia:

——— tum flammea torquens
Lumina.

Quid quod mox habemus,

——— nunc vultu pavido, nunc *torva* minaci.

Torva enim ad *Illa* refertur; non ad *Facies* in versu sequente, illud enim absolute infertur, *Stat nunquam facies*; ut et citat Servius.

214. *Stat nunquam facies:*] Adfert Servius ad illud vi. Æneidos: *non color unus.* Grotius.

216. *Terribilis sed pallor inest:*] Pallor est non territæ, sed terrentis. Grotius.

226. —— *Subsidere regnum*] Servius ad v. Æneidos: *Subsessores vocantur qui occisuri aliquem delitescunt.* Et libro xi. *Subsidii adulter, dolo possedit. Lucanus: subsidere regnum Chalcidos Eubœæ. Unde et subsessores dicuntur qui in insidiis tauros interimunt, et hostium dotes subsessas vocamus.* Grotius. Quod regnum? vel quid est, regnum subsidere? Quis hoc Appium expectasse credat? Corrige,

——— subsidere *IN AGRO*
Chalcidos.

Cicero Epist. ad Famil. vi. 8. *A me consilium petis, quid tibi sim auctor, in Siciliane subsidas* (ubi tum erat) *an ad reli-*

Chalcidos Euboicæ, vana spe rapte, parabas.
Heu demens, nullum belli sentire fragorem,
Tot mundi caruisse malis, præstare Deorum
Excepta quis Morte potest! secreta tenebis
Littoris Euboici memorando condite busto,
Qua maris angustat fauces saxosa Carystos,
Et tumidis infesta colit qua numina Rhamnus,
Arctatus rapido fervet qua gurgite pontus,
Euripusque trahit, cursum mutantibus undis,
Chalcidicas puppes ad iniquam classibus Aulim.
Interea domitis Cæsar remeabat Iberis,
Victrices aquilas alium laturus in orbem:
Cum prope fatorum tantos per prospera cursus
Avertere Dei. nullo nam marte subactus
Intra castrorum timuit tentoria ductor
Perdere successus scelerum: cum pæne fideles
Per tot bella manus satiatæ sanguine tandem
Destituere ducem: seu mœsto classica paulum
Intermissa sono, claususque, et frigidus ensis,
Expulerat belli furias: seu præmia miles
Dum majora petit, damnat causamque, ducemque,
Et scelere imbutos etiam nunc venditat enses.
Haud magis expertus discrimine Cæsar in ullo est,
Quam non e stabili, tremulo sed culmine cuncta
Despiceret, staretque super titubantia fultus,
Tot raptis truncus manibus, gladioque relictus
Pæne suo, qui tot gentes in bella trahebat,
Scit non esse ducis strictos, sed militis, enses.
Non pavidum jam murmur erat, nec pectore tecto
Ira latens: nam quæ dubias constringere mentes

quias Asiaticæ negotiationis proficiscare —— *Ego in Sicilia censeo commorandum.* et sic alibi, sequentia probant, *Subsidere in loco, in via.*

254. —— *Strictos, sed militis, enses.*] Enses qui stringuntur, videt esse in militum potestate, non in sua. Grotius.

261. *Effudere minas:*] Atqui altero abhinc versu rursus. *Animasque effundere viles.* Hoc posterius recte, ut Virgil. *Tuaque animam hanc effundere dextra.* Ergo prius vitiosum. Lego EXARSERE ANIMIS. Virgil. *Exarsere ignes animo.* Tacitus Ann. i. 51. *Exarsere animis* (mi-

Causa solet, dum quisque pavet, quibus ipse timori est,
Seque putat solum regnorum injusta gravari,
Haud retinet. quippe ipsa metus exolverat audax
Turba suos. quicquid multis peccatur, inultum est.
Effudere minas: liceat discedere, Cæsar,
A rabie scelerum. quæris terraque marique
His ferrum jugulis, animasque effundere viles
Quolibet hoste paras: partem tibi Gallia nostri
Eripuit: partem duris Hispania bellis:
Pars jacet Hesperia: totoque exercitus orbe
Te vincente perit. Terris fudisse cruorem
Quid juvat Arctois, Rhodano, Rhenoque subactis?
Tot mihi pro bellis bellum civile dedisti.
Cepimus expulso patriæ cum tecta Senatu,
Quos hominum, vel quos licuit spoliare Deorum?
Imus in omne nefas, manibus, ferroque nocentes,
Paupertate pii. finis quis quæritur armis?
Quid satis est, si Roma parum? jam respice canos,
Invalidasque manus, et inanes cerne lacertos.
Usus abit vitæ: bellis consumsimus ævum.
Ad mortem dimitte senes. en improba vota:
Non duro liceat morientia cespite membra
Ponere, non anima galeam fugiente ferire,
Atque oculos morti clausuram quærere dextram,
Conjugis illabi lacrymis, unique paratum
Scire rogum. liceat morbis finire senectam.
Sit præter gladios aliquod sub Cæsare fatum.
Quid, velut ignaros ad quæ portenta paremur,
Spe trahis? usque adeo soli civilibus armis
Nescimus cujus sceleris sit maxima merces?

lites) *unoque impetu perruptum hostem redigunt in aperta.* nullæ sequuntur hic minæ: missionem tantum efflagitabant, v. 296.

Cœperat, infestoque ducem deposcere vultu.

Corrigo,

CŒPIT, ET infesto *REQUIEM* deposcere vultu.

Missionem nempe. Dido Æneæ: *Et socii requiem poscunt.* Numeri in vulgata lectione non sunt Lucaniani.

279. —— *Non anima galeam fugiente ferire,*] Meliores codices GLEBAM. ut

Nil actum est bellis, si nondum comperit istas
Omnia posse manus. nec fas, nec vincula juris
Hoc audere vetant. Rheni mihi Cæsar in undis
Dux erat, hic socius. facinus quos inquinat, æquat.
Adde, quod ingrato meritorum judice virtus
Nostra perit. quicquid gerimus, fortuna vocatur.
Nos fatum sciat esse suum. licet omne Deorum
Obsequium speres, irato milite, Cæsar,
Pax erit. Hæc fatus, totis discurrere castris
Cœperat, infestoque ducem deposcere vultu.
Sic eat, o Superi, quando pietasque, fidesque
Destituunt, moresque malos sperare relictum est;
Finem civili faciat discordia bello.
Quem non ille ducem potuit terrere tumultus!
Fata sed in præceps solitus demittere Cæsar
Fortunamque suam per summa pericula gaudens
Exercere, venit: nec, dum desæviat ira,
Expectat: medios properat tentare furores.
Non illis urbes, spoliandaque templa negasset,
Tarpeiamque Jovis sedem, matresque Senatus,
Passurasque infanda nurus. vult omnia Cæsar
A se sæva peti, vult præmia martis amari:
Militis indomiti tantum mens sana timetur.
Non pudet, heu Cæsar, soli tibi bella placere
Jam manibus damnata tuis? hos ante pigebit

priore versu *Cespite.* utraque lectio satis belle convenit.

289. —— *Rheni mihi Cæsar in undis Dux erat, hic socius.*] Apage illud *Undis;* Repone ARVIS: ut alibi bis terve ea male permutantur.

290. —— *Facinus quos inquinat, æquat.*] Imperatores Leo et Athemius in constitutione quæ est xxxi, Codice Justinianeo, de Episcopis et Clericis: *Ut eos quos par facinus coinquinat et æquat, utrosque similis pœna comitetur.* Grotius.

307. —— *Vult omnia Cæsar A se sæva peti,*] Pro *Cæsar*, plures melioresque codices CERTE.

310. —— *Soli tibi bella placere Jam manibus damnata tuis?*] Repone ex codicibus melioribus *Suis. Bella suis manibus damnata*, hoc est, militibus, quorum manibus geruntur.

313. —— *Disce sine armis Posse pati:*] Diu est quod loquendi genus hoc annotavimus in tragœdia Senecæ:

Immane regnum est posse sine regno pati.

Seneca pater controversia nona libri ii:

Sanguinis? his ferri grave jus erit? ipse per omne
Fasque nefasque rues? lassare, et disce sine armis
Posse pati: liceat scelerum tibi ponere finem.
Sæve, quid insequeris? quid jam nolentibus instas?
Bellum te civile fugit. stetit aggere fultus
Cespitis, intrepidus vultu, meruitque timeri
Non metuens: atque hæc ira dictante profatur:
Qui modo in absentem vultu, dextraque furebas,
Miles, habes nudum, promtumque ad vulnera pectus.
Hic, fuge, si belli finis placet, ense relicto.
Detegit imbelles animos nil fortiter ausa
Seditio, tantumque fugam meditata juventus,
Ac ducis invicti rebus lassata secundis.
Vadite, meque meis ad bella relinquite fatis:
Invenient hæc arma manus, vobisque repulsis
Tot reddet Fortuna viros, quot tela vacabunt.
Anne fugam Magni tanta cum classe sequuntur
Hesperiæ gentes, nobis victoria turbam
Non dabit, impulsi tantum quæ præmia belli
Auferat, et vestri rapta mercede laboris,
Lauriferos nullo comitetur vulnere currus?
Vos defecta senes, exhaustaque sanguine turba
Cernetis nostros jam plebes Romana triumphos.
Cæsaris an cursus vestræ sentire putatis
Damnum posse fugæ? veluti si cuncta minentur

Patrem putas pati sine liberis posse? et paulo post: *non possum sine te pati.* et controversia decima libri ejusdem: *Potes sine viro pati.* quod et in excerptis legitur eodem modo. Ipse infra Lucanus:

Et nescis sine rege pati.

Hæc omnia sunt uniusmodi. Grotius. Codex Academiæ pro varia lectione SCELERI. Unde sponte nascitur egregia sententia;

Liceat *CELERI SIBI* ponere finem.

et eodem ductu, vii. 558.

Ne qua parte *SUI* pereat *SCELUS.*

315. *Sæve, quid insequeris? quid jam nolentibus instas?*] Codex Regius, *Quid* TAM.

316. *Bellum te civile fugit.*] Prætulerim,

Bellum *SE* civile fugit.

Hæc argutissima sunt, et Lucani ingenio digna: Liceat per te, Cæsar; bona tua venia, liceat Sceleri sibi finem ponere: bellum ut vides, civile se ipsum fugit: ipsi milites victoriis et sceleribus lassi missionem petunt.

328. —— *Tanta cum classe sequuntur Hesperiæ gentes,*] Variant Codi-

Flumina, quos miscent pelago, subducere fontes,
Non magis ablatis unquam decresceret æquor,
Quam nunc crescit, aquis: an vos momenta putatis
Ulla dedisse mihi? nunquam sic cura Deorum
Se premit, ut vestræ morti, vestræque saluti
Fata vacent. Procerum motus hæc cuncta sequuntur.
Humanum paucis vivit genus. orbis Iberi
Horror, et Arctoi, nostro sub nomine miles,
Pompeio certe fugeres duce. fortis in armis
Cæsareis Labienus erat: nunc transfuga vilis
Cum duce prælato terras, atque æquora lustrat.
Nec melior mihi vestra fides, si bella nec hoste,
Nec duce me geritis, quisquis mea signa relinquit,
Nec Pompeianis tradit sua partibus arma,
Hic nunquam vult esse meus. sunt ista profecto
Curæ castra Deis, qui me committere tantis,
Non nisi mutato voluerunt milite, bellis.
Heu, quantum Fortuna humeris jam pondere fessis
Amolitur onus! sperantes omnia dextras
Exarmare datur, quibus hic non sufficit orbis.

ces, *Sequuntur, sequantur, sequentur.* Non multum interest, placet tamen *Sequentur,* quod meliores libri præferunt. est indignationis majoris.

338. *Non magis ablatis unquam decresceret æquor,*
Quam nunc crescit, aquis:] Optimi quique codices DESCENDERIT: quod probo. Vitabat Poëta repetitionem, quam boni Librarii sectabantur.

340. —— *Nunquam sic cura Deorum*
Se premit,] Ut Græcus dixerat:

τῶν ἄγαν γὰρ ἅπτεται
θεός· τὰ μικρὰ δ' εἰς τύχην ἀνεὶς ἐᾷ.

Grotius.

349. —— *Quisquis mea signa relinquit,*] Variant codices, sed inter plures hæc lectio magis arridet:

—— Quisquis mea signa *RELINQUENS*
NON Pompeianis *TRADET* sua partibus arma.

354. *Heu, quantum Fortuna humeris jam pondere fessis,*
Amolitur onus!] Quorsum illud *Heu?* cum hæc oratio gaudentis sit, non dolentis. Corrigo;

En! quantum, Fortuna, humeris jam pondere fessis
Amoliris onus!

363. —— *Disce ferire,*
Disce mori.] Disce in pœna quod in prælio usurpes, ferire et mortem contemnere. Grotius.

366. —— *Velut ensibus ipsis*
Imperet, invito moturus milite ferrum.] Quis hoc possit reprehendere? Mirificam tamen lectionem præstat codex Pulmanni,

—————— velut ensibus ipsis
Imperet, *ET MANCO* moturus milite ferrum

Jam certe mihi bella geram: discedite castris:
Tradite nostra viris ignavi signa Quirites.
At paucos, quibus hæc rabies auctoribus arsit,
Non Cæsar, sed pœna tenet. procumbite terræ:
Infidumque caput, feriendaque tendite colla.
Et tu, quo solo stabunt jam robore castra
Tiro rudis, specta pœnas, et disce ferire,
Disce mori. Tremuit sæva sub voce minantis
Vulgus iners: unumque caput, tam magna juventus
Privatum factura timet: velut ensibus ipsis
Imperet, invito moturus milite ferrum.
Ipse pavet, ne tela sibi dextræque negentur
Ad scelus hoc Cæsar: vicit patientia sævi
Spem ducis, et jugulos, non tantum præstitit enses.
Nil magis, assuetas sceleri quam perdere mentes,
Atque perire timet. tam diro fœderis ictu
Parta quies, pœnaque redit placata juventus.
  Brundusium decimis jubet hanc attingere castris,
Et cunctas revocare rates, quas avius Hydrus,
Antiquusque Taras, secretaque littora Leucæ,

Cave, credas tam elegans hoc, tam remotum a lectione recepta, potuisse a Librariis nasci. Generaliter hoc dictum: *Quasi ensibus imperet*, moturus eos *etiam milite manco*, manibus aut debili aut carente. At facile erat generale pronunciatum huic occasioni aptare, et substituere *Invito*.

369. *Ad scelus hoc*] Ad occidendos eos qui pacem optaverant. Grotius.

371. *Nil magis, assuetas sceleri quam perdere mentes,*
Atque perire timet.] Quid prius hic culpem, Librariorum inscitiam, an Interpretum patientiam? Nulla subest his verbis sententia, nulla orationis constructio. *Nihil magis timet*, quis? Cæsar, inquiunt: atqui plura interveniunt, et quod proximum est, *Miles* timet, non *Cæsar*. sed esto; Quid timet Cæsar? *mentes assuetas perdere atque perire*. Quid ergo fiat de *Sceleri?* Nugæ et tenebræ meræ. Corrige levissima mutatione,

Nil magis assuetas sceleri quam perdere mentes
Atque perire TENET.

Ubi ordo est; *Nil magis tenet*, afficit, obligat, obstringit, *mentes sceleri assuetas, quam perdere et perire.* Ipsa ducis sævitia, donativo potentior, demerabatur sibi milites, qui pro munere *pœna placati sunt*. Silius vii. 524.

Perdendi simul et *pereundi* ardebat amore.

372. —— *Tam diro fœderis ictu*
Parta quies,] Immo, ut Codices plerique omnes,

—— Tam *DIRI* fœderis ictu.

Res ipsa clamitat.

377. *Quas recipit Salapina palus*,] Variant hic manuscripti: Sed quam recipimus vera lectio est; Salapia enim paludi nomen. Plin. iii. 2. Grotius.

Quas recipit Salapina palus, et subdita Sipus
Montibus: Ausoniam qua torquens frugifer oram,
Dalmatico Boreæ, Calabroque obnoxius Austro
Appulus Adriacas exit Garganus in undas.
  Ipse petit trepidam tutus sine milite Romam
Jam doctam servire togæ: populoque precanti
Scilicet indulgens, summum Dictator honorem
Contigit, et lætos fecit se Consule fastos.
Namque omnes voces, per quas jam tempore tanto
Mentimur dominis, hæc primum repperit ætas,
Qua sibi ne ferri jus ullum Cæsar abesset,
Ausonias voluit gladiis miscere secures.
Addidit et fasces aquilis, et nomen inane
Imperii rapiens, signavit tempora digna
Mœsta nota. nam quo melius Pharsalicus annus
Consule notus erit? fingit solennia campus,
Et non admissæ dirimit suffragia plebis,
Decantatque tribus, et vana versat in urna.
Nec cœlum servare licet: tonat augure surdo,
Et lætæ jurantur aves, bubone sinistro.
Inde perit primum quondam veneranda potestas
Juris inops: careat tantum ne nomine tempus,
Menstruus in fastos distinguit secula Consul.

393. *Et non admissæ dirimit suffragia plebis,*] Sic et Priscianus legit, sed corrigo,

Et non admissæ *DIRIBET* suffragia *PLEBI.*

Varro de Re Rustica iii. 2. *Dum diribentur suffragia,* &c. Cicero in Pisonem c. 40. *An ego expectem, dum at te quinque et septuaginta tabellæ* diribeantur. Varro de Re Rust. iii. 6. *Fit clamor in campo, narrat ad tabulam, dum* diriberent, *quendam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum.* Valerius Maximus ix. 12. 7. *Licinius Macer repetundarum reus, dum sententiæ* diriberentur, *in Mænianum conscendit.* ubi vide Pighium. Cæsar a Senatu Dictator dictus Plutarch. Sed Cæsar Civil. ii. 21. legem de Dictatore latam, seque Dictatorem dictum a M. Lepido *Prætore* cognoscit. Prætor tamen jure Dictatorem dicere nequit, ut ex Cicerone probat Gruchius. Quod si dictator a populo non creabatur, patet corrigendum esse, v. 382.

——— populoque *PETENTI*
Scilicet indulgens, *SUMMO DIGNATUR HONORE*
COMITIA, et lætos fecit se Consule fastos.

Vulgata sic se habet,

——— populoque precanti
Scilicet indulgens, summum Dictator honorem
Contigit, et lætos fecit se Consule fastos.

Sed Gruchius p. 18. Consulibus absentibus Senatui visum est *Dictatorem Comitio-*

Nec non Iliacæ numen quod præsidet Albæ
Haud meritum Latio solennia sacra subacto
Vidit flammifera confectas nocte Latinas.
Inde rapit cursus, et, quæ piger Appulus arva
Deseruit rastris, et inerti tradidit herbæ,
Ocyor et cœli flammis, et tigride fœta
Transcurrit: curvique tenens Minoia tecta
Brundusii, clausas ventis brumalibus undas
Invenit, et pavidas hyberno sidere classes.
Turpe duci visum est rapiendi tempora belli
In segnes exisse moras, portuque teneri,
Dum pateat tutum vel non felicibus æquor.
Expertes animos pelagi sic robore complet:
Fortius hyberni flatus, cœlumque fretumque
Cum cepere, tenent, quam quos incumbere certos
Perfida nubiferi vetat inconstantia veris.
Nec maris anfractus, lustrandaque littora nobis,
Sed recti fluctus; soloque Aquilone secandi.
Hic utinam summi curvet carchesia mali,
Incumbatque furens, et Graia ad mœnia perflet,
Ne Pompeiani Phæacum e littore toto
Languida jactatis comprendant carbasa remis:
Rumpite, quæ retinent felices vincula proras.

rum causa creandum esse. unde legendum,

——————summo Dictator *honori*
CONSULIT.

Id est, Consulatui. Excerpta Controv. iv. 2. *Summo cum honore Metelli, asserens contra Metellum agendum ita ut rogetur cum judicibus* officio pontificum *et ipse* consulere.

394. *Decantatque tribus, et vana versat in urna.*] *Decantat*, agnoscit Priscianus. libenter tamen legerim,

CENTURIATQUE tribus, et *INANI* versat in urna.

Notissimum in Comitiis Populum in tribus, tribus singulas in centurias descriptas esse et distributas. *Inani urna*, Cista vel sitella, quam colligendis suffragiis Rogator deferebat. ideo *Inani*, quia nulla suffragia inerant populo non admisso.

405. *Ocyor et cœli flammis, et tigride fœta*
Transcurrit:] Non placet, *Rapit cursus*, et *Transcurrit arva*. Codex Bersmanni ut ex nostris Regius, TRANSIERAT. Eleganter. *Tenet* Brundusium, quia *transierat* Apuliam. et ocior flammis transierat; adeo velociter, ut *transiisse* eum viderent, quem *transeuntem* nemo viderat.

409. *Turpe duci visum est*] Meliores codices non agnoscunt *Est.*

419. *Incumbatque furens,*] Ut v. 578.

Jamdudum nubes, et sævas perdimus undas.
Sidera prima poli Phœbo labante sub undas
Exierant, et luna suas jam fecerat umbras:
Cum pariter solvere rates, totosque rudentes
Laxavere sinus: et flexo navita cornu
Obliquat lævo pede carbasa, summaque pandens
Suppara velorum perituras colligit auras.
Ut primum levior propellere lintea ventus
Incipit, exiguumque tument, mox reddita malo
In mediam cecidere ratem: terraque relicta
Non valet ipsa sequi puppes, quæ vexerat aura.
Æquora lenta jacent alto torpore ligata.
Pigrius immotis hæsere paludibus undæ.
Sic stat iners Scythicas astringens Bosporus undas
Cum glacie retinente fretum non impulit Ister,
Immensumque gelu tegitur mare: comprimit unda,
Deprendit quascunque rates: nec pervia velis
Æquora frangit eques, fluctuque latente sonantem
Orbita migrantis scindit Mæotida Bessi.
Sæva quies pelagi, mœstoque ignava profundo
Stagna jacentis aquæ, veluti deserta rigente
Æquora natura cessant: Pontusque vetustas
Oblitus servare vices non commeat æstu,
Non horrore tremit: non Solis imagine vibrat.
Casibus innumeris fixæ patuere carinæ.

Ventoque furenti *Trade sinum.* et 586. *Nec longa* furori Ventorum. Placet tamen quod Pulmanni duo codices et Academicus habent,

Incumbatque *FERENS*, et Graia ad mœnia perflet.

Virgil. iv. 430.

Expectet facilemque fugam *ventosque ferentes.*

Seneca de Vita Beata xxii. *Sic illum afficiunt divitiæ et exhilarant, ut navigantem secundus et* ferens ventus.
Ovid. Heroid. xvi.

Protinus egredior, *ventisque ferentibus* usus
Applicui.

et Trist. i. 2.

Ut mare considat, *ventisque ferentibus* utar.

430. *Ut primum*] Melius MS. P. *Et primum.* Sequitur enim *mox.* Et primum quidem, inquit, furens fuit ventus, mox elanguit. Grotius.

434. *Æquora lenta jacent alto torpore ligata.*] Lege et distingue cum codicibus melioribus,

Æquora lenta jacent: alto torpore *LIGATÆ*
Pigrius immotis hæsere paludibus undæ.

443. —— *Veluti deserta rigente
Æquora natura cessant:*] Ride il-

Illinc infestæ classes, et inertia tonsis
Æquora moturæ; gravis hinc languore profundi
Obsessis ventura fames. nova vota timori
Sunt inventa novo, fluctus nimiasque precari
Ventorum vires, dum se torpentibus unda
Excutiat stagnis, et sit mare. nubila nusquam,
Undarumque minæ: cœlo languente, fretoque
Naufragii spes omnis abit. sed nocte fugata
Læsum nube diem jubar extulit, imaque sensim
Concussit pelagi, movitque Ceraunia nautis.
Inde rapi cœpere rates, atque æquora classem
Curva sequi, quæ jam vento, fluctuque secundo
Lapsa Palæstinas uncis confixit arenas.
Prima duces vidit junctis consistere castris
Tellus, quam volucer Genusus, quam mollior Apsus
Circumeunt ripis. Apso gestare carinas
Causa palus, leni quam fallens egerit unda.
At Genusum nunc sole nives, nunc imbre solutæ
Præcipitant: neuter longo se gurgite lassat,
Sed minimum terræ vicino littore novit.
Hoc fortuna loco tantæ duo nomina famæ
Composuit: miserique fuit spes irrita mundi,
Posse duces parva campi statione diremtos
Admotum damnare nefas. nam cernere vultus,
Et voces audire datur: multosque per annos

lum, *Rigentem naturam.* Corrige et distingue,

——————— mœstoque ignava profundo
Stagna jacentis aquæ, veluti deserta *REGENTE*
Æquora Natura, cessant.

Sententia clara: *Stagna cessant, veluti deserta Natura regente,* sive quæ regit.

455. —— *Sed nocte fugata*
Læsum nube diem jubar extulit,] *Læsum nube*, inquiunt, est *nubibus obductum*. Audio: et dies nubilus illis dicetur *Læsus*, qui serenum diem optant. At Cæsariani nubes hic et ventos optabant, *Nova vota timori Sunt inventa novo.* Quare ignosce bonis Librariis, qui poëtæ acumen non ceperunt; et morali Epitheto sententiam restitue,

——————— sed nocte fugata
LÆTUM nube diem jubar extulit.

460. —— *Palæstinas uncis confixit arenas.*] Est in Epiri ore Palæste. Grotius.

461. *Prima duces vidit junctis consistere castris*
Tellus,] Gemino morbo laborat hic versus, et ab ordine, et a lectione: Repone,

Prima duces *junctis* vidit *CONSIDERE* castris.

Ordinem restituunt codices.

Dilectus tibi, Magne, socer, post pignora tanta,
Sanguinis infausti sobolem, mortemque nepotis,
Te nisi Niliaca propius non vidit arena.
  Cæsaris attonitam miscenda ad prælia mentem
Ferre moras scelerum partes jussere relictæ.
Ductor erat cunctis audax Antonius armis,
Jam tum civili meditatus Leucada bello.
Illum sæpe minis Cæsar, precibusque morantem
Evocat: O mundi tantorum causa malorum,
Quid Superos, et fata tenes? sunt cætera cursu
Acta meo, summam rapti per prospera belli
Te poscit Fortuna manum. num rupta vadosis
Syrtibus incerto Libye nos dividit æstu?
Nunquid inexperto tua credimus arma profundo?
Inque novos traheris casus? ignave, venire
Te Cæsar, non ire, jubet. prior ipse per hostes
Percussi medias alieni juris arenas.
Tu mea castra times? pereuntia tempora fati
Conqueror: in ventos impendo vota, fretumque.
Ne retine dubium cupientes ire per æquor:
Si bene nota mihi est, ad Cæsaris arma juventus
Naufragio venisse volet. jam voce doloris
Utendum est: non ex æquo divisimus orbem.
Epirum Cæsarque tenet, totusque Senatus:
Ausoniam tu solus habes. his terque, quaterque
Vocibus excitum postquam cessare videbat,
Dum se deesse Deis, at non sibi numina, credit:

474. —— *Mortemque nepotis,*] Velleius: *Filius quoque parvus Pompeii Julia natus, intra breve spatium obiit.* At *nepotum* habet MS. P. An quod filia ante interiisset? de ejus enim sexus prole loqui videas Plutarchum et Dionem. Grotius.

479. —— *Meditatus Leucada bello.*] Meditatus suum proprie bellum civile, quod postea ad Actium gessit. Grotius.

487. —— *Venire Te Cæsar, non ire, jubet.*] Venitur ad amicos. itur in hostes aut in vacua. Grotius.

499. *Dum se deesse Deis, at non sibi numina credit:*] Meliores codices AC *non*. Res ipsa postulat.

505. *Parta quies miseris,*] Meliores codices PARVA. Lege et distingue,

Solverat armorum fessas nox languida curas,
PARVA quies miseris.

Nox languida, parva quies, per Epexege-

Sponte per incautas audet tentare tenebras,
Quod jussi timuere, fretum: temeraria prono
Expertus cessisse Deo: fluctusque verendos
Classibus, exigua sperat superare carina.
   Solverat armorum fessas nox languida curas:
Parta quies miseris, in quorum pectora somno
Dat vires fortuna minor: jam castra silebant:
Tertia jam vigiles commoverat hora secundos,
Cæsar sollicito per vasta silentia gressu
Vix famulis audenda parat: cunctisque relictis,
Sola placet Fortuna comes. tentoria postquam
Egressus vigilum, somno cedentia membra
Transiluit, questus tacite quod fallere posset;
Littora curva legit, primisque invenit in undis
Rupibus exesis hærentem fune carinam.
Rectorem, dominumque ratis secura tenebat
Haud procul inde domus, non ullo robore fulta,
Sed sterili junco, cannaque intexta palustri,
Et latus inversa nudum munita phaselo.
   Hæc Cæsar bis terque manu quassantia tectum
Limina commovit. molli consurgit Amyclas,
Quem dabat alga, toro. Quisnam mea naufragus, inquit,
Tecta petit? aut quem nostræ Fortuna coëgit
Auxilium sperare casæ? Sic fatus, ab alto
Aggere, jam tepidæ sublato fune favillæ,
Scintillam tenuem commotos pavit in ignes,
Securus belli: prædam civilibus armis

sin. Parva, quia mane ad curas redeundum erat.

519. *Hæc Cæsar* ——
Limina commovit.] Corrige et distingue,

UT Cæsar bis terque manu quassantia tectum
Limina commovit; molli, &c.

Hoc pacto apte cohærent, quæ prius hiabant.

523. —— *Ab alto*
Aggere, jam tepidæ sublato fune favillæ,] Funem hic volunt, igniarium sive sulfuratum, quo ignis vel servatur vel corripitur. Tu repone,

——— Sic fatus, ab alto
Aggere, jam tepidæ sublato *TORRE* favillæ,
Scintillam tenuem commotos pavit in ignes.

Ab alto aggere favillæ; raro enim focum verrebat; nec studebat munditiei. Favilla jam *tepida* erat, at *Torris* sive stipes semustus paulum ignis servaverat; hunc anima et spiritu suo commovit ac produxit ad flammam. Ovid. Met. viii. 643.

——— et ignes

Scit non esse casas. O vitæ tuta facultas
Pauperis, angustique lares! o munera nondum
Intellecta Deum! quibus hoc contingere templis,
Aut potuit muris, nullo trepidare tumultu
Cæsarea pulsante manu? tum poste recluso,
Dux ait: Expecta votis majora modestis,
Spesque tuas laxa, juvenis, si jussa secutus
Me vehis Hesperiam, non ultra cuncta carinæ
Debebis, manibusque inopem duxisse senectam.
Ne cessa præbere Deo tua fata, volenti
Angustos opibus subitis implere Penates.
Sic fatur: quanquam plebeio tectus amictu,
Indocilis privata loqui. tum pauper Amyclas:
Multa quidem prohibent nocturno credere ponto.
Nam sol non rutilas deduxit in æquora nubes,
Concordesque tulit radios: Noton altera Phœbi,
Altera pars Borean diducta luce vocabat.
Orbe quoque exhaustus medio, languensque recessit,
Spectantes oculos infirmo lumine passus.
Lunaque non gracili surrexit lucida cornu,
Aut orbis medii puros exesa recessus:
Nec duxit recto tenuata cacumina cornu

> Suscitat hesternos; foliisque et cortice sicco
> *Nutrit*, et *ad flammas anima* producit anili.

Ovid. Met. viii. 456.

> ——— flagrantem mater ab igne
> Eripuit *torrem*.

Fast. v. 505.

> Tecta senis subeunt nigro deformia fumo,
> Ignis in hesterno *stipite* parvus erat.

In recepta lectione nullus orationis exitus est. Quid enim est *funis favillæ?* vel quid *Fune sublato ab aggere?*

529. —— *Quibus hoc contingere templis, Aut potuit muris,*] Mallem, si libri addicerent,

> —— Quibus hoc contingere templis,
> *QUEIS* potuit muris.

539. *Indocilis privata loqui.*] Arist. ii. Politicor. 4. de Jasone Pheræo: *ὡς οὐκ ἐπιστάμενος ἰδιώτης εἶναι.* Grotius.

542. —— *Noton altera Phœbi, Altera pars Borean diducta luce vocabat.*] Pro *vocabat*, Corrige NOTABAT, pars Austrum, pars Boream signabat. ut infra 549. de Luna,

> ——— *Ventorumque nota* rubuit.

551. *Sed mihi nec motus nemorum,*] Non placet *Motus*. Plin. xviii. 86. *montium sonitus*, nemorumque mugitus. Virg. Georg. i. 358. *Montibus audiri fragor, nemorum murmur.* Ideo Lego,

> Sed mihi nec *SONITUS* nemorum.

552. *Nec placet incertus, qui provocat æquora, delphin:*] Lege et distingue cum aliis codicibus,

Ventorumque nota rubuit: tum lurida pallens
Ora tulit vultu sub nubem tristis ituro.
Sed mihi nec motus nemorum, nec littoris ictus,
Nec placet incertus, qui provocat æquora, delphin:
Aut siccum quod mergus amat: quodque ausa volare
Ardea sublimis pennæ confisa natanti:
Quodque caput spargens undis, velut occupat imbrem,
Instabili gressu metitur littora cornix.
Sed si magnarum poscunt discrimina rerum,
Haud dubitem præbere manus: vel littora tangam
Jussa, vel hoc potius pelagus, flatusque negabunt.
Hæc fatur, solvensque ratem dat carbasa ventis:
Ad quorum motus non solum lapsa per altum
Aëra dispersos traxere cadentia sulcos
Sidera: sed summis etiam quæ fixa tenentur
Astra polis, sunt visa quati. niger inficit horror
Terga maris: longo per multa volumina tractu
Æstuat unda minax: flatusque incerta futuri,
Turbida testantur conceptos æquora ventos.
Tunc rector trepidæ fatur ratis: Aspice sævum
Quanta paret pelagus: Zephyrosne intendat, an Euros
Incertum est: puppim dubius ferit undique pontus.

> Nec placet, incertus *QUOD* provocat æquora delphin.

ut mox,

> Aut siccum *quod* mergus amat.

Sed præterea est, quod velim: quid enim, obsecro, est incertus delphin? Repone

> Nec placet, *INCURVUS QUOD* provocat æquora delphin.

Notum illud Pacuvii,

> Repandirostrum *incurvicervicum* pecus.

Ovidius,

> Jam nostros *curvi* norant *delphines* amores.

et

> ——— nec se super æquora *curvi*
> Tollere consuetas audent *delphines* in auras.

Plin. xviii. 87. *Delphini tranquillo mari lascivientes flatum præsagiunt.*

556. *Instabili gressu metitur littora cornix.*] Si *gressu*, quid tam magnum, si *Instabili?* Quasi vero quis simul *stare* et *ingredi* possit. Lego,

> *INSTABILIS* gressu metitur littora cornix.

Non stat loco scilicet,

> Sed sola in sicca secum *spatiatur* arena.

Atque hoc pacto etiam constructio venustior est.

569. *Quanta paret pelagus: Zephyrosne intendat, an Euros Incertum est:*] Codex Colbertinus et Harleianus, PARAT. Sed illud NE omnes codices repudiant. Cæterum illud vide, *Zephyrosne an Euros.* Mirum vero, si hoc adeo *incertum*, cum hi venti plane oppositi sint: modestius, si diversos

Nubibus, et cœlo Notus est. si murmura ponti
Consulimus, Cori verrent mare. gurgite tanto,
Nec ratis Hesperias tanget, nec naufragus oras.
Desperare viam, et vetitos convertere cursus
Sola salus. liceat vexata littora puppe
Prendere, ne longe nimium sit proxima tellus.
  Fisus cuncta sibi cessura pericula Cæsar,
Sperne minas, inquit, pelagi, ventoque furenti
Trade sinum. Italiam si cœlo auctore recusas,
Me pete. sola tibi causa hæc est justa timoris,
Vectorem non nosse tuum: quem numina nunquam
Destituunt; de quo male tunc Fortuna meretur,
Cum post vota venit: medias perrumpe procellas
Tutela secure mea. cœli iste fretique,
Non puppis nostræ labor est: hanc Cæsare pressam
A fluctu defendet onus. nec longa furori

nominasset sed non contrarios. Et mox sane cum hæc brevius dicta dilatat, si cœlum, inquit, consulimus, Notus est; si pontum, Cori sunt, hoc me incertum reddit. Atqui Corus Zephyro proximus pro Zephyro ponitur, et præsertim cum plurali numero sunt, alteri utrosque comprehendunt. Ergo ut priora posterioribus congruant, lege,

Zephyros intendat, an *AUSTROS*
Incertum est.

572. —— *Cori verrent mare.*] Conjectura vera ducentibus MSS. qui non, *venient Cori in mare*, sed *Cori venient mare*, præferunt. Virg. Æn. i.

Ni faciat, maria ac terras cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.

Grotius. Eam conjecturam primus dedit Bersmannus; plaudente, ut vides Grotio. sed ea minime est opus. Omnes codices, *Venient*, non *Verrent*. Deme jam unam literam, vel virgulam potius; et sana fient omnia,

Nubibus et cœlo Notus est: si murmura ponti
Consulimus, Cori: *VENIET* mare gurgite tanto,
Nec ratis Hesperias tanget nec naufragus oras.

Est emendatio viri egregii Jani Rutgersii, Var. Lect. i. 12. Observandum est, Cæsarem ab Italia huc venientem recto Aquilone perductum esse; ut supra 417. *Sed recti fluctus soloque Aquilone secandi.* Cum autem Corus sit Aquiloni oppositus et contrarius, apparet redeunti in Italiam Cæsari Corum fore adversum. Recte ergo magister puppis, si pontum, inquit, consulimus, *Cori erunt:* Quod si evenerit, veniet mare adversum nobis tanto gurgite, Coro huc impellente; ut nec vivi nec naufragi Italiam tangamus.

578. —— *Ventoque furenti Trade sinum.*] Repone et hic,

———— ventoque *FERENTI*
Trade sinum.

Cuicumque vento, qui a puppe flabit Vide supra ad v. 419.

580. —— *Causa hæc est justa*] Meliores codices,

Me pete: sola tibi causa *est hæc* justa timoris.

586. —— *Nec longa furori Ventorum sævo dabitur mora:*]

Ventorum sævo dabitur mora: proderit undis
Ista ratis. nec flecte manum: fuge proxima velis
Littora: tum Calabro portu te crede potitum,
Cum jam non poterit puppi, nostræque saluti
Altera terra dari. quid tanta strage paretur
Ignoras? quærit pelagi cœlique tumultu
Quid præstet Fortuna mihi. Non plura locuto
Avulsit laceros percussa puppe rudentes
Turbo rapax, fragilemque super volitantia malum
Vela tulit: sonuit victis compagibus alnus.
Inde ruunt toto concita pericula mundo.
Primus ab Oceano caput exeris Atlanteo,
Core, movens æstus: jam te tollente furebat
Pontus, et in scopulos totas erexerat undas.
Occurrit gelidus Boreas, pelagusque retundit:
Et dubium pendet, vento cui concidat, æquor.

Displicet illud *Sævo*, et ob sensum et ob compositionem. Forte sic dedit,

——— nec longa furori
Ventorum, *CREDO*, dabitur mora.

592. —— *Quærit pelagi cœlique tumultu*
Quid præstet Fortuna mihi.] Placet Bersmanni codex, qui habet,

——— quærit pelagi cœlique tumultu
QUOD præstet Fortuna mihi.

595. —— *Fragilemque super volitantia malum*
Vela tulit:] Sat bene *Fragilem*, sed placet codicis Regii lectio GRACILEM.

601. *Occurrit gelidus Boreas,*] Quid interest, ubi de viribus solis agitur, utrum *gelidus* sit necne? in aliis recte locum habere potest, sed hic indignor tam iners Epitheton. Scribe,

Occurrit *VALIDUS* Boreas.

Recte vero *Occurrit:* Boreas enim sive Aquilo Coro prorsus contrarius est. Horat. Epist. ii.

Nec si te *validus* jactaverit Auster in alto.

602. —— *Vento cui concidat,*] Ita MS. id est, succumbat. Grotius. Omnes ubique codices CONCIDAT. antea erat *Pareat*, quod Correctoribus debemus, ab Ovidio petitum, Trist. i. 2.

Inter utrumque fremunt immani turbine venti:
Nescit cui domino *pareat* unda maris.

Et profecto melius dixisset Noster,

Et dubium pendet, *domino cui pareat*, æquor.

Atque huc facit, quod v. 599. pro *Te tollente*, codex Regius habeat, *Te regnante*. Certe neutri vento *Concidit;* id dubium erat, ab utro *tolleretur*. Ovid. Metam. viii. 470.

——— utque carina,
Quam ventus ventoque rapit contrarius æstus,
Vim geminam sentit, *paretque* incerta duobus.

Pareat. Gloss. Concedat: inde factum Concidat.

603. *Sed Scythici vicit rabies Aquilonis, et undas*
Torsit, et abstrusas penitus vada fecit] Lego UNA, non *Undas*, quod tertio versu præcesserat:

Sed Scythici vicit rabies Aquilonis, et *UNA*
Torsit, et abstrusas penitus vada fecit arenas.

Sed Scythici vicit rabies Aquilonis, et undas
Torsit, et abstrusas penitus vada fecit arenas.
Nec perfert pontum Boreas ad saxa, suumque
In fluctus Cori frangit mare: motaque possunt
Æquora subductis etiam concurrere ventis.
Non Euri cessasse minas, non imbribus atrum
Æolii jacuisse Notum sub carcere saxi
Crediderim: cunctos solita de parte ruentes
Defendisse suas violento turbine terras,
Sic pelagus mansisse loco. nam parva procellis
Æquora rapta ferunt: Ægæas transit in undas
Tyrrhenum: sonat Ionio vagus Adria ponto,
Ah, quoties frustra pulsatos æquore montes
Obruit illa dies! quam celsa cacumina pessum
Tellus victa dedit! non ullo littore surgunt
Tam validi fluctus, alioque ex orbe voluti
A magno venere mari, mundumque coërcens
Monstriferos agit unda sinus. Sic rector Olympi
Cuspide fraterna lassatum in secula fulmen

Et *torsit* arenas, et *vada fecit:* Hoc est ex fundo maris eruit abstrusas penitus arenas, et *vada* fecit ex illis; liquidas fluidas effecit. Virgil. Georg. iii. 350.

Turbidus et torquens flaventes Hister arenas.

606. —— *Motaque possunt*
Æquora subductis etiam concurrere ventis.] Jacet plane et languet illud *Possunt concurrere.* Repone,

——— motaque *PERSTANT*
Æquora subductis etiam concurrere ventis.

612. —— *Nam parva procellis*
Æquora rapta ferunt:] Quid hoc est, quod *Ferunt*, prædicant homines scilicet? An in re ultra omnem fidem exaggerata historicam fidem appellat? Nugæ. Corrige,

———— nam parva *PROCELLÆ*
Æquora rapta ferunt.

Pelagus sive Oceanus locum servat; minora maria, Tyrrhenum et Adriaticum, in alienas sedes pelluntur, Virgilius de ventis,

Ni faciat: maria ac terras cœlumque profundum
Quippe *ferant* rapidi secum, verrantque per auras.

615. *Ah, quoties frustra pulsatos æquore montes*
Obruit illa dies!] Quocumque eam vertas, non constat sententia. *Ah, quoties illa dies obruit montes frustra æquore pulsatos.* Si *obruit*, quomodo *Frustra?* quomodo id quod sequitur, *Quam celsa cacumina pessum Tellus victa dedit?* certe non *frustra* egit nec inanes minas tulit æquor, si celsi montes pessumdati sunt. Vis alio ordine procedere? *Ah, illa dies obruit montes quoties frustra æquore pulsatos.* Atqui hoc plane absonum, sine nervis, a poëtico more abhorrens. Quid multis opus? Tu corrige,

QUOT, quoties frustra pulsatos æquore, montes
SUBRUIT illa dies! quam celsa cacumina pessum

Adjuvit, regnoque accessit terra secundo,
Cum mare convolvit gentes, cum littora Tethys
Noluit ulla pati, cœlo contenta teneri.
Tunc quoque tanta maris moles crevisset in astra,
Ni Superum rector pressisset nubibus undas.
Non cœli nox illa fuit: latet obsitus aër
Infernæ pallore domus, nimbisque gravatus
Deprimitur, fluctusque in nubibus accipit imbrem.
Lux etiam metuenda perit, nec fulgura currunt
Clara, sed obscurum nimbosus dissilit aër.
Tunc superum convexa tremunt, atque arduus axis
Insonuit, motaque poli compage laborant.
Extimuit Natura chaos: rupisse videntur
Concordes elementa moras, rursusque redire
Nox Manes mistura Deis. spes una salutis,
Quod tanta mundi nondum periere ruina.
Quantum Leucadio placidus de vertice pontus
Despicitur; tantum nautæ videre trementes
Fluctibus e summis præceps mare: cumque tumentes

Tellus victa dedit!

Cum *Quot* a *Quoties* absorberetur, et versui deesset: Librarii illud *Ah* de suo dederunt: inepte profecto; quasi ob scopulorum aliquot ruinam Noster ingemeret. In re morali solum locum hoc habet,

——— Ah, te ne frigora lædant,
Ah, tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.

Jam vero illud *Subruit*, pro Obruit, quantum interest, quantum præstat? si æquor *obruit* montes, stant; si *Subruit*, cadunt, et *pessum dati sunt*.

620. *Monstriferos agit unda sinus.*] Plenos belluis. Grotius.

622. —— *Regnoque accessit terra secundo,*] Terra accessio facta est ejus sortis quæ Neptuno obvenerat. Grotius.

625. *Tunc quoque tanta maris*] Immo NUNC; hac ipsa, de qua agitur, tempestate: ut recte codex Pulmanni.

631. —— *Sed obscurum nimbosus dissilit aër.*] Tertio ante versu habuimus *Nimbis gravatus*, lege,

——— *RIMOSUS* dissilit aër.

Æn. viii. 391.

Non secus atque olim tonitru cum rupta corusco
Ignea *rima* micans percurrit lumine nimbos.

632. —— *Atque arduus axis Insonuit,*] Lege cum aliis codicibus:

——— atque arduus axis
Intonuit, motaque poli compage laborant.

Poli laborant mota compage: sic i. 7.

——— sic cum *compage soluta*
Sæcula tot mundi suprema coëgerit hora.

636. —— *Spes una salutis, Quod tanta mundi nondum periere ruina.*] Quibus est ita *spes una?* Cæsari, inquiunt, et navis rectori. Immo deis ipsis: ne Chaos et Nox antiqua redeat, manes deis mixtura.

639. —— *Nautæ videre trementes*]

Rursus hiant undæ, vix eminet æquore malus.
Nubila tanguntur velis, et terra carina.
Nam pelagus, qua parte sedet, non celat arenam
Exhaustum in cumulos, omnisque in fluctibus unda est.
Artis opem vicere metus: nescitque magister
Quam frangat, cui cedat aquæ. discordia ponti
Succurrit miseris, fluctusque evertere puppim
Non valet in fluctus: victum latus unda repellens
Erigit, atque omni surgit ratis ardua vento.
Non humilem Sasona vadis, non littora curvæ
Thessaliæ saxosa pavent, oræque malignos
Ambraciæ portus: scopulosa Ceraunia nautæ
Summa timent. Credit jam digna pericula Cæsar
Fatis esse suis. tantusne evertere, dixit,
Me Superis labor est: parva quem puppe sedentem
Tam magno petiere mari? si gloria leti
Est pelago donata mei, bellisque negamur;
Intrepidus, quamcunque datis mihi numina, mortem
Accipiam. licet ingentes abruperit actus
Festinata dies fatis: sat magna peregi.

Nempe si qui tum in mari erant. Grotius.

640. —— *Cumque tumentes*
Rursus hiant undæ, vix eminet æquore malus.] Mirum vero, si *tumentes* undæ *hient:* credideram antea, *subsidentes.* præterea, si tumentes undæ vehunt et elevant navigium; non *malus* modo, sed *ipsa navis* eminet æquore. Lege,

—————— cumque *RUENTES*
Rursus hiant undæ, vix eminet æquore malus.

643. *Nam pelagus, qua parte sedet, non celat arenam*] Omnes fere codices ARENAS. Recte. Et quod sequitur, *Omnisque in fluctibus unda est*, sic accipe. *Omnis unda* usque ad imum maris fundum *in fluctibus est,* fluctu agitatur, ne infima quidem aquæ pars, ut in modicis tempestatibus, quiescit immota.

647. —— *Fluctusque evertere puppim*
Non valet in fluctus:] Mutavimus distinctionem, et colon duabus vocibus posterius posuimus, sensu non constante aliter. Quo minus fluctus quis evertat navem, obstant fluctus alii. Probat hanc interpunctionem MS. T. Etiam in aliis MSS. eadem interpunctio. Sed pro *fluctus* est *fluctum.* Grotius. FLUCTUM, quod codices non pauci habent, omnino recipiendum.

652. —— *Scopulosa Ceraunia nautæ*
Summa timent.] Non pavent, ait, Sasona, nec oram Ambraciam; *timent* summa Ceraunia. Hoc placet? Codex Regius *Summa* TENENT.

654. —— *Tantusne evertere, dixit,*
Me Superis labor est:] Codex Collegii Trinitatis, QUANTUSNE.

655. —— *Parva quem puppe sedentem*
Tam magno petiere mari?] Imita-

Arctoas domui gentes: inimica subegi
Arma metu: vidit Magnum mihi Roma secundum.
Jussa plebe tuli fasces per bella negatos:
Nulla meis aberit titulis Romana potestas.
Nesciat hoc quisquam, nisi tu, quæ sola meorum
Conscia votorum es, me, quamvis plenus honorum,
Et Dictator eam Stygias, et Consul ad umbras,
Privatum, Fortuna, mori. mihi funere nullo
Est opus o Superi: lacerum retinete cadaver,
Fluctibus in mediis: desint mihi busta, rogusque,
Dum metuar semper, terraque expecter ab omni.
Hæc fatum decimus, dictu mirabile, fluctus
Invalida cum puppe levat: nec rursus ab alto
Aggere dejecit pelagi, sed pertulit unda,
Scruposisque angusta vacant ubi littora saxis,
Imposuit terræ. pariter tot regna, tot urbes
Fortunamque suam tacta tellure recepit.
  Sed non tam remeans Cæsar jam luce propinqua,
Quam tacita sua castra fuga, comitesque fefellit.
Circumfusa duci flevit, gemituque suorum,

tur Papinius cum Chorœbum hæc facit Apolloni dicentem:

> ——— nigra quem tabe sinistri
> Quæris, inique, poli.

Grotius.

663. *Jussa plebe tuli fasces per bella negatos:*] Quomodo *negatos per bella*, quos per bella civilia obtinuit? Corrigo,

> Jussa plebe tuli fasces per *JURA* negatos.

665. *Nesciat*] Non *Nesciet*, est enim optantis. Grotius. *Nesciat;* hoc esset; *Omnes hoc sciant, nisi tu, o Fortuna.* Atqui contrarium voluit Poëta. Lege,

> *NE SCIAT* hoc quisquam, nisi tu.

Ovid. Fast. iii. 489.

> *Nesciat* hoc quisquam, tacitisque doloribus urar.

Ubi hunc Lucani locum recte emendavit acutissimus Nic. Heinsius. Operose hæc vir magnus. Verior tamen simpliciorque sensus est: Nemo sciat modum et genus mortis meæ; *privatum*, solum, plebis habitu, sine fascibus et potestatis insignibus, mori. Retinete, o di, cadaver in medio profundo, ne orbis sciat me sic periisse.

668. *Privatum, Fortuna, mori.*] Meo judicio privatum me mori. quanquam enim sum et Dictator et Consul, nihil tamen ista mihi sunt, qui regiam potestatem speravi, nec ulla minore contentus esse possum. Hanc nondum adeptus, privatus mihi videor. Ita in Secundo:

> Non privata cupit, Romana quisquis in urbe
> Pompeium transire parat.

Non privata, id est, regnum. Hic *privatum* est nondum regem. Similis est apud Plutarchum locus de Mario: *ὕπατος πρῶτον ἀνθρώπων ἑπτάκις ἀνηγορευμένος, οἶκόν τε καὶ πλοῦτος ἀρκοῦντα βασιλείαις ὁμοῦ πολλαῖς κεκτημένος, ὠδύρετο τὴν αὑτοῦ τύχην, ὡς ἐνδεὴς καὶ ἀτελὴς ὢν ἐπόθει προαποθνήσκων.* Grotius.

Et non ingratis incessit turba querelis.
Quo, te dure, tulit virtus temeraria, Cæsar?
Aut quæ nos viles animas in fata relinquens,
Invitis spargenda dabas tua membra procellis?
Cum tot in hac anima populorum vita, salusque
Pendeat, et tantus caput hoc sibi fecerit orbis,
Sævitia est voluisse mori. nullusne tuorum
Emeruit comitum, fatis non posse superstes
Esse tuis? cum te raperet mare, corpora segnis
Nostra sopor tenuit. pudet heu. tibi causa petendæ
Hæc fuit Hesperiæ? visum est committere quenquam
Tam sævo crudele mari? sors ultima rerum
In dubios casus, et prona pericula mortis
Præcipitare solet. mundi jam summa tenentem
Permisisse mari! tantum quid numina lassas?
Sufficit ad fatum belli favor iste, laborque
Fortunæ, quod te nostris impegit arenis?
Hinc usus placuere Deum, non rector ut orbis,
Nec dominus rerum, sed felix naufragus esses?
Talia jactantes, discussa nocte, serenus

674. —— *Sed pertulit unda,*] Codex Pulmanni, *Pertulit* ILLUM.

680. *Circumfusa duci flevit, gemituque suorum,*] Hæc scabra et impolita sunt, nec a poëtæ manu. Lege,

Circumfusa duci *FLETU* gemituque suorum,
Et non ingratis incessit turba querelis.

686. —— *Et tantus caput hoc sibi fecerit orbis,*] Non placet illud *Tantus*, quasi hic de orbis mensura ageretur: Corrige,

Et *TOTUS* caput hoc sibi fecerit orbis.

690. —— *Pudet heu. tibi causa petendæ*
Hæc fuit Hesperiæ? visum est committere quenquam
Tam sævo crudele mari?] Tolle notas interrogationis. Sententia est: Ipse petisti Hesperiam, quia tibi visum est crudele quenquam alium eo mittere.

696. *Sufficit ad fatum belli favor iste, laborque*
Fortunæ,] Suspensum hoc est et ambiguum: *Belli favor.* et omnino recipiendum est, quod Bersmanni codex suppeditat,

Sufficit ad *belli fatum* favor iste, laborque
Fortunæ.

704. —— *Purumque insurgere cœlo*
Fracturum pelagus Boream,] Nihil quicquam vidi absurdius: Quomodo *Purus*, sine nube et nimbo, si *fracturus* est pelagus? Cur ideo *solvere carinas.* quia fractum iri mare sperabant? illud quoque non placet, *Purum Borean:* cœlum potius *purum*, quam *ventum purum.* Et commode sane codex Bersmanni PURO. Repone igitur,

—— *PUROQUE* insurgere cœlo
STRATURUM pelagus Boream.

Oppressit cum sole dies, fessumque tumentes
Composuit pelagus ventis patientibus undas.
  Nec non Hesperii lassatum fluctibus æquor
Ut videre duces, purumque insurgere cœlo
Fracturum pelagus Boream, solvere carinas,
Quas ventus, doctæque pari moderamine dextræ
Permistas habuere diu: latumque per æquor,
Ut terrestre, coit, consertis puppibus, agmen.
Sed nox sæva modum venti, velique tenorem
Eripuit nautis, excussitque ordine puppes.
Strymona sic gelidum, bruma pellente, relinquunt
Poturæ te, Nile, grues, primoque volatu
Effingunt varias, casu monstrante, figuras.
Mox ubi percussit tensas Notus altior alas,
Confusos temere immistæ glomerantur in orbes,
Et turbata perit dispersis littera pennis.
Cum primum redeunte die violentior aër
Puppibus incubuit, Phœbeo concitus ortu,
Prætereunt frustra tentati littora Lissi,
Nymphæumque tenent, nudas Aquilonibus undas.

Virgilius viii. 89.

Mitis ut in morem stagni placidæque paludis
Sterneret æquor aquis.

et v. 763.

——— placidi *straverunt æquora* venti.

Ovid. Heroid. vii.

Jam venti ponent, *strataque* æqualiter unda.

et xix.

Spes tamen est *stratis* vicinæ pacis in undis.

Sed et hic fertur eodem mendo FRACTIS.

706. *Quas ventus, doctæque pari moderamine dextræ
Permistas habuere diu:*] *Doctas manus* de Pictore, Sculptore, &c. facile ferrem, sed de Remige, præsertim de omnibus, non patior. Repone,

Quas ventus *DUCTÆQUE* pari moderamine dextræ.

Debetur hoc magno Fr. Gronovio Observ. i. 13.

708. *Ut terrestre, coit, consertis puppibus, agmen.*] Altero mox versu *Puppes.* Lege,

——— consertis *PASSIBUS* agmen.

Consertis, id est, conjunctis, consociatis. Vide Lex. *Passus.*

720. —— *Nudas Aquilonibus undas.*] Immo Nymphæum ab Austro tutum non est. Dicendum ergo, quod Servius ait ad iii. Æneidos: *Auster quivis ventus. nam ad Thraciam Aquilone navigatur.* Sed nec sequentia cum Cæsaris commentariis concilies. Nam eo teste certo, incredibili felicitate Auster, qui per biduum flaverat, in Africum se vertit, non Boreas in Austrum. Grotius.

721. *Succedens Boreæ jam portum fecerat Auster.*] Lucanus hanc Antonii

Succedens Boreæ jam portum fecerat Auster.
Undique collatis in robur Cæsaris armis,
Summa videns duri Magnus discrimina martis
Jam castris instare suis: seponere tutum
Conjugii decrevit onus, Lesboque remotam,
Te procul a sævi strepitu, Cornelia, belli
Occulere. Heu quantum mentes dominatur in æquas
Justa Venus! dubium, trepidumque ad prælia, Magne,
Te quoque fecit amor: quod nolles stare sub ictu
Fortunæ, quo mundus erat, Romanaque fata,
Conjux sola fuit. mentem jam verba paratam
Destituunt, blandæque juvat ventura trahentem
Indulgere moræ, et tempus subducere fatis.
Nocte sub extrema, pulso torpore quietis,
Dum fovet amplexu gravidum Cornelia curis
Pectus, et aversi petit oscula grata mariti:
Humentes mirata genas, percussaque cæco
Vulnere, non audet flentem deprendere Magnum.
Ille gemens, non nunc, vita mihi dulcior, inquit,
Cum tædet vitæ, læto sed tempore, conjux,

classem *Borea* vectam narrat, v. 705. *Puroque insurgere cœlo Straturum pelagus Borean solvere carinas.* Cæsar contra Civil. iii. 26. *Nacti* Austrum *naves solvunt*, et mox, *Idem* Auster *increbuit.* Noster hic dicit Nymphæum Aquilonibus sive Boreæ *nudum* et expositum esse, sed ab *Austro* tutum. At Cæsar, *Is portus*, ait, *ab* Africo *tegebatur, ab* Austro *non erat tutus: unde, incredibili felicitate,* Auster *qui per biduum flaverat, in* Africum *se vertit.* Hæc plane adversis frontibus pugnant. Conciliari tamen possunt; si in Cæsare pro *Austrum* toties *Caurum* legamus. Nam *Caurus* sive *Corus* proximus Aquiloni est Lucani *Boreas;* et Africus proximus Austro est *Auster* Lucani.

725. —— *Lesboque remotam*
Te procul] Ferri hoc potest: sed placet plurium codicum lectio,

——— Lesboque *REMOTA*,
Te procul a sævi strepitu, Cornelia, belli
Occulere.

Sic *Remotæ Gades*, *Remoti Britanni.* Si *Lesbos ipsa remota*, tum certe Cornelia *procul.* at si *Cornelia remota*, utrum procul sit necne non dicitur.

727. —— *Mentes dominatur in æquas*] Bonas, pias, faciles. Grotius.

741. —— *Nimiumque, parumque*
Distulimus:] Bene explicat vetus Scholiastes: *nimium ad belli rationem: parum ad effectum.* Grotius. In Scholiastæ verbis pro *Effectum*, lege Affectum.

751. —— *Miserum quatient cum classica mundum,*] Meliores codices, QUATIUNT. Recte: præsertim cum addat, *Surrexisse.*

752. —— *Vereor civilibus armis*
Pompeium nullo tristem committere damno.] Pudet me in hoc civili bello,

Venit mœsta dies, et quam nimiumque, parumque
Distulimus: jam totus adest in prælia Cæsar.
Cedendum est bellis: quorum tibi tuta latebra
Lesbos erit, desiste preces tentare: negavi
Jam mihi: non longos a me patiere recessus.
Præcipites aderunt casus: properante ruina,
Summa cadunt. satis est audisse pericula Magni.
Meque tuus decepit amor, civilia bella
Si spectare potes. nam me jam marte parato
Securos cepisse pudet cum conjuge somnos,
Eque tuo, miserum quatient cum classica mundum,
Surrexisse sinu. vereor civilibus armis
Pompeium nullo tristem committere damno.
Tutior interea populis, et tutior omni
Rege late, positamque procul fortuna mariti
Non tota te mole premat. si numina nostras
Impulerint acies, maneat pars optima Magni;
Sitque mihi, si fata premant, victorque cruentus,
Quo fugisse velim. vix tantum infirma dolorem
Cepit, et attonito cesserunt pectore sensus.

quo omnes conjugibus ac liberis carere debent, lætum ob uxoris præsentiam conspici. Grotius. Immo ut Fortunæ, hominumque invidiam placem; hoc me infortunio macto, quod te caream.

758. —— *Si fata premant, victorque cruentus,*] Atqui altero abhinc versu habuimus, Non tota te mole *premat*. Et hic requiritur sensus plane diversus, Repone,

> Sitque mihi, si fata *SINANT* victorque cruentus,
> Quo fugisse velim.

Si victus non in prælio occidero; sit quo fugisse velim, si victor *sinat;* si me non persequatur, aut intercipiat. Cum hoc non caperent Librarii, illud *Premant* ex proximo versu adsciverunt.

759. *Vix tantum infirma dolorem Cepit,*] *Cepit* hic est *Sustinuit*, *pertulit*, ut *Adversa capere*, fortiter ferre. Quid ergo hic facit *Infirma?* An mirum, si mulier, semper alias *infirma*, tantum dolorem vix ceperit? Quanto melius quod alii codices suggerunt,

> ———— Vix tantum *FIRMA* dolorem
> Cepit.

Cum ad cætera firmo animo esset, huic tanto dolori pene succubuit. Ipse Lucanus infra 747. de eisdem,

> Nulla fuit tam mœsta dies: nam cætera damna
> Durata jam mente malis *firmaque* tulerunt.

761. *Tandem ut vox mœstas potuit proferre querelas:*] Plerique omnes codices non *Tandem ut vox*, sed *Tandem* VIX. Notum *Vix tandem*. Deinde Bersmanni unus, ex nostris duo LOQUELAS, non *Querelas*. Et quidem altero versu, iterum habemus *Queri*. Lege,

> Tandem *VIX* mœstas potuit proferre *LOQUELAS*.

Virg. v. 843.

Tandem ut vox mœstas potuit proferre querelas:
Nil mihi de fatis thalami, Superisque relictum est,
Magne, queri: nostros non rumpit funus amores,
Nec diri fax summa rogi: sed sorte frequenti,
Plebeiaque nimis careo dimissa marito.
Hostis ad adventum rumpamus fœdera tedæ:
Placemus Socerum. sic est tibi cognita, Magne,
Nostra fides? credisne aliquid mihi tutius esse,
Quam tibi? nonne olim casu pendemus ab uno?
Fulminibus me, sæve, jubes tantæque ruinæ
Absentem præstare caput? secura videtur
Sors tibi, cum facias etiam nunc vota, perisse,
Ut nolim servire malis: sed morte parata,
Te sequar ad manes. feriat dum mœsta remotas
Fama procul terras, vivam tibi nempe superstes.
Adde, quod assuescis fatis, tantumque dolorem

——— puppique deus consedit in alta
Phorbanti similis, funditque has ore *loquelas*.

764. —— *Sorte frequenti,*] Vulgari admodum sorte, hoc est, divortio: cum alioqui vere amantes mors sola separet. Speciem autem divortii habet ista separatio. Ideo dicit *dimissa*, quæ vox divortio convenit. Grotius.

769. —— *Nonne olim*] Omnes fere codices, *Non olim.*

772. —— *Cum facias etiam nunc vota, perisse,*
Ut nolim servire malis:] Aliter hæc distinguenda hunc in modum:

——————— secura videtur
Sors tibi, cum facias etiam nunc vota perisse?
Ut nolim servire malis, sed morte parata
Te sequar ad manes, feriat dum mœsta remotas
Fama procul terras, vivam tibi nempe superstes.
Adde, quod assuescis fatis, &c.

Dixerat Pompeius:

Tutior interea populis, et tutior omni
Rege late.

Regerit Cornelia, quomodo fieri possit, ut ipsa secura sit, cum Pompeius ipse eo loco positum se sentiat, ut mortuum se quam vivum malit. Non et hoc dixerat:

——— non nunc vita mihi dulcior, inquit,
Cum tædet vitæ, læto sed tempore conjux.

Quomodo ergo, ait Cornelia, ego secura ero, cum tibi mors in voto sit? Deinde fac me satis fortem futuram, ut tibi superesse nolim, tamen tandiu saltem supero, donec nuntius cladis ad me advenerit. Jam vero et hoc ipsum metuo, ut satis fortis sim ad mortem capessendam, postquam à te seposita didicero te carere. Illud autem assuescis, sitne erratum scribarum pro assuefacis, an hic, ut alibi, Hispaniensis poëta à puritate Latini sermonis disciverit, in medio relinquam. Grotius. In hac viri magni annotatione, ἓν μὲν καλὸν, ἓν δὲ καὶ ἐσθλόν. Recte vidit plenam distinctionem ponendam esse post *Perisse:* in cæteris vix Poëtæ mentem assecutus est.

Fulminibus me, sæve, jubes tantæque ruinæ
Absentem præstare caput? secura videtur
Sors tibi: cum facias etiam nunc vota, perisse.

Quænam illa vota, quæ jam nunc perierunt? Vota uxoris amantissimæ, *Tecum vivere amo, tecum obeam libens.* Si tu in prælio cadis; perit hoc votum; quia tam

Crudelis me ferre doces. ignosce fatenti:
Posse pati, timeo. quod si sunt vota, Deisque
Audior, eventus rerum sciet ultima conjux.
Sollicitam rupes jam te victore tenebunt,
Et puppim, quæ fata feret tam læta, timebo.
Nec solvent audita metus mihi prospera belli,
Cum vacuis projecta locis a Cæsare possim
Vel fugiente capi. notescent littora clari
Nominis exilio, positaque ibi conjuge Magni,
Quis Mitylenæas poterit nescire latebras?
Hoc precor extremum, si nil tibi victa relinquent
Tutius arma fuga, cum te commiseris undis,
Quolibet infaustam potius deflecte carinam:
Littoribus quærere meis. Sic fata, relictis
Exiluit stratis amens, tormentaque nulla
Vult differre mora. non mœsti pectora Magni

diu superstes tibi vivam; dum mortis tuæ fama ad Lesbon perfertur. Hoc in versibus sequentibus latius describit, 743.

> Ut nolim servire malis, sed morte parata
> Te sequar ad manes; feriat dum mœsta remotas
> Fama procul terras, vivam tibi nempe superstes.

Hoc vult, ut jam dixi, et recte Grotius: *Fac, ut tibi superesse nolim, tamen tam diu saltem superero, donec nuntius cladis ad me advenerit.* Sed quid quæso est servire malis? non cum barbaro hoste nec latrone res erat. Codex Trinitatis, *servare*, proprius vero. Lege,

> Ut nolim *SUPERARE* malis, sed morte parata
> Te sequar.

Superare idem est, quod *Superesse.* Virgilius, Æneid. iii. 339.

> ———— *superatne*, et vescitur aura?

et ii. 643.

> Vidimus excidia, et captæ *superavimus* urbi.

Jam vero cum addit vir doctus, *Et hoc ipsum metuo, ut satis fortis sim animo ad mortem capessandam, postquam a te seposita didicero te carere*, tota errat via. Plane contrarium, ut par erat, dicit Lucanus.

> Adde, quod assuescis fatis, tantumque dolorem,
> Crudelis, me ferre doces. ignosce fatenti:
> Posse pati, timeo.

Hæc ad id pertinent, quod Pompeius dixerat, 756.

> ———— si numina nostras
> Impulerint acies, maneat pars optima Magni.

si ego morior, tu saltem pars mei melior vive. Illa ad hoc respondet.

> ———— ignosce fatenti:
> Posse pati, timeo.

Ignosce mihi timorem meum fatenti; cupida moriendi, id metuo ne sustineam vivere. Ovid. Metam. x. 25.

> Posse pati volui, nec me tentasse negabo:
> Vicit amor.

Pati idem esse quod *Vivere* ipse Grotius notaverat ad versum 313. *Disce sine armis posse pati:* sed animum jam non advertebat. Porro, quod dubitat, *Assuescis malis* pro *Assuefacis*, sit Librariorum erratum, an culpa et idiotismus Lucani; de utroque securus esto. Priscianus p. 798. *Assuesco absolutum est: invenitur tamen pro Assuefacio: Lucanus in Quinto, Adde quod assuescis fatis: pro Assuefacis.* Virgilius, Æneid. vi. 832.

Sustinet amplexu dulci, non colla tenere:
Extremusque perit tam longi fluctus amoris:
Præcipitantque suos luctos: neuterque recedens
Sustinuit dixisse vale, vitamque per omnem
Nulla fuit tam mœsta dies. nam cætera damna
Durata jam mente malis, firmaque tulerunt.
Labitur infelix, manibusque excepta suorum
Fertur ad æquoreas, ac se prosternit, arenas,
Littoraque ipsa tenet, tandemque illata carinæ est.
Non sic infelix patriam, portusque reliquit
Hesperios, sævi premerent cum Cæsaris arma.
Fida comes Magni vadis duce sola relicto,
Pompeiumque fugis. quæ nox tibi proxima venit,
Insomnis. viduo tum primum frigida lecto,
Atque insueta quies uni, nudumque marito
Non hærente latus. somno quam sæpe gravata
Deceptis vacuum manibus complexa cubile est,
Atque oblita fugæ quæsivit nocte maritum!
Nam, quamvis flamma tacitas urente medullas,
Non juvat in toto corpus jactare cubili:
Servatur pars illa tori. caruisse timebat
Pompeio: sed non Superi tam læta parabant.
Instabat, miseræ Magnum quæ redderet, hora.

Ne pueri, ne tanta animis assuescite bella.

799. *Labitur infelix,*] Atqui tertio abhinc versu rursus habes, et in eadem cæsura, *Non sic infelix.* Dederit potius Poëta,

Labitur *EXANIMIS*, manibusque excepta suorum.

Quod loco aptius est, quam illud *Infelix*, etiamsi non denuo rediret. Virgilius quidem bis habet, *Labitur infelix*, et appositissime: sed vel ea causa Noster non sic diceret: noluisset enim a Virgilio, quem æmulabatur, Hemistichium mutuari.

809. *Deceptis vacuum manibus complexa cubile est,*] In tenerrima hac allocutione sæpius dormitarunt Librarii. Nam in ipso principio,

Fida comes Magni, *vadis* duce sola relicto
Pompeiumque *fugis?* quæ nox *tibi* proxima venit?

Plerique omnes codices, nostri certe universi, *Vadit, Fugit, Sibi*, habent, et pulcherrimum pathos plane strangulant. cum viri igitur docti ex uno vel altero codice tria ista receperunt, cur non cætera ad eandem normam, etiamsi ex nullo?

Deceptis vacuum manibus complexa cubile *ES*,
Atque oblita fugæ *QUÆSISTI* nocte maritum.

non, ut nunc, *Quæsivit:* et iterum v. 813. pro *Timebat.*

Servatur pars illa tori. caruisse *TIMEBAS*
Pompeio.

813. —— *Caruisse timebat*] Metuebat ne Pompeium non reciperet. Atqui recepit, sed victum: quod pejus quam non recipere. Grotius.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER SEXTUS.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER SEXTUS.

POSTQUAM castra duces, pugnæ jam mente propinqui,
Imposuere jugis, admotaque comminus arma,
Parque suum videre Dei, capere omnia Cæsar
Mœnia Graiorum spernit, martemque secundum
Jam nisi de genero fatis debere recusat.
Funestam mundo votis petit omnibus horam,
In casum quæ cuncta ferat. placet alea fati
Alterutrum mersura caput. ter collibus omneis
Explicuit turmas, et signa minantia pugnam,
Testatus nunquam Latiæ se deesse ruinæ.
Ut videt ad nullos exciri posse tumultus
In pugnam generum, sed clauso fidere vallo,

1. *POSTQUAM castra duces, pugnæ jam mente propinqui,*
Imposuere jugis,] Quid est *Propinqui mente?* Quibus porro *jugis?* Corrige,

Postquam castra duces, pugnæ jam mente, *PROPINQUIS*
Imposuere jugis.

Sic ix. 225.

——— quorum unus aperta
Mente fugæ, tali compellat voce regentem.

3. *Parque suum videre Dei,*] Sic Plinius ubi de Elephanto agit et Dracone, naturam ait spectaculum sibi ac paria composuisse. Metaphora ab arena. Spectatores et fautores dii: Arena Pharsalia: Par gladiatorum Cæsar et Pompeius. Sic alibi:

——— sed par quod semper habemus
Libertas et Cæsar erunt.

Grotius.

10. *Testatus nunquam Latiæ*] Verius et suavius Codex Bersmanni,

Testatus *Latiæ numquam* se deesse ruinæ.

12. ——— *Sed clauso fidere vallo,*] Scribe cum libris plurimis,

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER SEXTUS.

POSTQUAM castra duces, pugnæ jam mente propinqui,
Imposuere jugis, admotaque comminus arma,
Parque suum videre Dei, capere omnia Cæsar
Mœnia Graiorum spernit, martemque secundum
Jam nisi de genero fatis debere recusat.
Funestam mundo votis petit omnibus horam,
In casum quæ cuncta ferat. placet alea fati
Alterutrum mersura caput. ter collibus omneis
Explicuit turmas, et signa minantia pugnam,
Testatus nunquam Latiæ se deesse ruinæ.
Ut videt ad nullos exciri posse tumultus
In pugnam generum, sed clauso fidere vallo,

1. *POSTQUAM castra duces, pugnæ jam mente propinqui,*
Imposuere jugis,] Quid est *Propinqui mente?* Quibus porro *jugis?* Corrige,

> Postquam castra duces, pugnæ jam mente, *PROPINQUIS*
> Imposuere jugis.

Sic ix. 225.

> ——— quorum unus aperta
> *Mente fugæ*, tali compellat voce regentem.

3. *Parque suum videre Dei,*] Sic Plinius ubi de Elephanto agit et Dracone, naturam ait spectaculum sibi ac paria composuisse. Metaphora ab arena. Spectatores et fautores dii: Arena Pharsalia: Par gladiatorum Cæsar et Pompeius. Sic alibi:

> ——— sed par quod semper habemus
> Libertas et Cæsar erunt.

Grotius.

10. *Testatus nunquam Latiæ*] Verius et suavius Codex Bersmanni,

> Testatus *Latiæ numquam* se deesse ruinæ.

12. ——— *Sed clauso fidere vallo,*] Scribe cum libris plurimis,

Signa movet, tectusque via dumosa per arva
Dyrrhachii præceps rapiendas tendit ad arces.
Hoc iter æquoreo præcepit limite Magnus,
Quemque vocat collem Taulantius incola Petram,
Insedit castris, Ephyreaque mœnia servat,
Defendens tutam vel solis turribus urbem.
Non opus hanc veterum, nec moles structa tuetur,
Humanusque labor, facilis, licet ardua tollat,
Cedere vel bellis, vel cuncta moventibus annis.
Sed munimen habet nullo quassabile ferro,
Naturam, sedemque loci. nam clausa profundo
Undique præcipiti, scopulisque vomentibus æquor,
Exiguo debet, quod non est insula, colli.
Terribiles ratibus sustentant mœnia cautes,
Ioniumque furens rapido cum tollitur Austro,
Templa, domosque quatit, spumatque in culmina pontus.
  Hinc avidam belli rapuit spes improba mentem
Cæsaris, ut vastis diffusum collibus hostem

In pugnam generum: *clauso sed* fidere vallo.

13. —— *Tectusque via dumosa per arva*] Latet hic mendum, specie sua et fraude tectissimum. Nempe boni Librarii *Tectus* huc induxerunt ob illos *Dumos*. Atqui qui tectam viam quærit, ambages et dispendia viæ sequitur: Cæsar vero hic *præceps* tendit. Quid quæris? Repone,

Signa movet, *RECTUSQUE VIÆ* dumosa per arva
Dyrrhachii *præceps* rapiendas *tendit* ad arces.

Virgilius viii. 594.

Olli per *dumos*, qua *proxima meta viarum*
Armati *tendunt*.

Ideo per dumosa arva; quia recta ibat, non viæ publicæ tritæque circuitu, *Rectus viæ*, ut Seneca de vita Beata cap. 6. *Beatus ergo est* judicii rectus.

17. —— *Ephyreaque mœnia servat,*] Dyrrhachium conditum à Corcyræis. Corcyra à Corinthiis. Vide Strabonem et Thucydidem. Grotius.

19. *Non opus hanc veterum, nec moles structa tuetur,*
Humanusque labor,] Cur sodes *Veterum opus;* cum quo vetustius est munimentum, tanto imbecillius sit? Cur etiam *Humanus labor?* quo refertur? cui opponitur? An mirum est, adeo multis sordere hunc poëtam, qui tot mendis conspurcatus sit? Repone ex codice Regio,

Non opus hanc *SUPERUM*, nec moles structa tuetur,
Humanusque labor.

Nec Dii nec homines hanc Petram muniverunt: ipsa suo situ et loci natura tuta est. *Opus Superum;* nempe ut Trojæ mœnia Neptuno et Apolline structa. Noster infra 49.

Nunc vetus Iliacos attollat fabula muros,
Adscribatque deis.

20. *Humanusque labor, facilis, licet ardua tollat,*
Cedere vel bellis, vel cuncta moventi-

Cingeret ignarum, ducto procul aggere valli.
Metitur terras oculis: nec cespite tantum
Contentus fragili subitos attollere muros,
Ingentes cautes, avulsaque saxa metallis,
Graiorumque domos, direptaque mœnia transfert.
Extruitur, quod non aries impellere sævus,
Quod non ulla queat violenti machina belli.
Franguntur montes, planumque per ardua Cæsar
Ducit opus: pandit fossas, turritaque summis
Disponit castella jugis, magnoque recessu
Amplexus fines, saltus, nemorosaque tesqua,
Et silvas, vastasque feras indagine claudit.
Non desunt campi, non desunt pabula Magno,
Castraque Cæsareo circumdatus aggere mutat.
Flumina tot cursus illic exorta fatigant,
Illic mersa suos: operumque ut summa revisat,
Defessus Cæsar mediis intermanet agris.
Nunc vetus Iliacos attollat fabula muros,

bus annis.] Quid sibi vult illud *Ardua tollat?* Si singularem vis numerum *Ardua*, quid tollit? Si pluralem, quæ sunt illa *Ardua?* Corrige,

Humanusque labor, facilis, licet ardua *SURGAT*,
Cedere vel bellis, vel cuncta moventibus annis.

Moles humano labore *Structa*, quamtumvis ardua surgat, facilis tamen, &c. At Librarii, qui *Facilis* et *Surgat* cum proximo nomine *Labor* connectebant, id acumine suo videbant *Arduus* hoc pacto dicendum fuisse non *Ardua*. ergo verbum deponens *Surgat*, quo constructioni consulerent, verterunt in activum *Tollat*.

24. *Undique præcipiti, scopulisque vomentibus æquor,*] MS. P.

——— nam clausa profundo
Undique et illisum scopulis removentibus æquor.

Pro *removentibus* rectius forte, *revomentibus* legas. Grotius. Recipimus lectionem codicis Grotiani, nam *Præcipiti profundo* nescio quid scit. Sed illud *Removentibus* vel *Revomentibus* non placet. Malim, quod alias Noster.

——— nam clausa profundo
Undique *ET ILLISUM* scopulis *FRANGENTIBUS æquor.*

Recte *Illisum*, ubi enim, QUE semel hic insederat, restabat ut *Præcipiti* huc intruderent, quo Colon scilicet clauderetur. Infra 266.

Frangentem fluctus scopulum ferit.

27. —— *Rapido cum tollitur Austro,*] Repone ex aliis codicibus *Rabido*.

29. *Hinc avidam belli rapuit spes improba mentem*] Recte codex Collegii Trinitatis, HIC. Ita semper poëtæ, ubi raptam occasionem notant. Virgilius xii. 411.

Hic Venus indigno nati concussa dolore.

et *554*.

Hic mentem Æneæ genitrix pulcherrima misit.

42. *Et silvas, vastasque feras indagine claudit.*] Apage istas *vastas feras*, et repone ex omnibus quos vidi codicibus,

VASTAQUE feras indagine claudit.

45. *Flumina tot cursus illic exorta fati-*

Adscribatque Deis: fragili circumdata testa
Mœnia mirentur refugi Babylonia Parthi.
En quantum Tigris, quantum celer ambit Orontes,
Assyriis quantum populis telluris Eoæ
Sufficit in regnum, subitum, bellique tumultu
Raptum clausit opus. tanti periere labores.
Tot potuere manus adjungere Seston Abydo,
Ingestoque solo Phryxeum elidere pontum,
Aut Pelopis latis Ephyren abrumpere regnis,
Et ratibus longæ flexus donare Maleæ,
Aut aliquem mundi, quamvis Natura negasset,
In melius mutare locum. coit area belli:
Hic alitur sanguis terras fluxurus in omneis,
Hic et Thessalicæ clades, Libycæque tenentur.
Æstuat angusta rabies civilis arena.
Prima quidem surgens operum structura fefellit
Pompeium: veluti mediæ qui tutus in arvis
Sicaniæ rapidum nescit latrare Pelorum:
Aut vaga cum Tethys, Rutupinaque littora fervent,
Unda Caledonios fallit turbata Britannos.
Ut primum vasto septas videt aggere terras;
Ipse quoque a tuta deducens agmina Petra
Diversis spargit tumulis, ut Cæsaris arma
Laxet, et effuso claudentem milite tendat:
Ac tantum septi vallo sibi vendicat agri,
Parva Mycenææ quantum sacrata Dianæ
Distat ab excelsa nemoralis Aricia Roma:
Quoque modo Romæ prælapsus mœnia Tybris
In mare descendit, si nusquam torqueat amnem.

gant,] Magis nitide varieque codex Bersmanni,

Flumina tot cursus, *ILLINC* exorta, fatigant,
Illic mersa, suos.

54. *Raptum clausit opus. tanti periere labores.*] Recte codex Regius CLAUDIT, idque ob illud EN, quod amat et ostendit tempus præsens. Noster i. 120.

En adsum victor terraque marique.

Virgilius, Æneid. xii. 231.

En omnes et Troës et Arcades hi *sunt.*

Tum autem pro *Tanti*, ut erigatur sententia; repone *Quanti.*

Raptum *CLAUDIT* opus. *QUANTI* periere labores!

55. *Tot potuere manus adjun gere Seston*

Classica nulla sonant, injussaque tela vagantur:
Et fit sæpe nefas, jaculum tentante lacerto.
Major cura duces miscendis abstrahit armis.
Pompeium exhaustæ præbenda ad pabula terræ,
Quæ currens obtrivit eques, gradibusque citatis
Ungula frondentem discussit cornea campum.
Belliger attonsis sonipes defessus in arvis,
Advectos cum plena ferant præsepia culmos,
Ore novas poscens moribundus labitur herbas,
Et tremulo medios abrumpit poplite gyros.
Corpora tum solvit tabes, et digerit artus.
Traxit iners cœlum fluidæ contagia pestis
Obscuram in nubem. tali spiramine Nesis
Emittit Stygium nebulosis aëra saxis,
Antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant.
Inde labant populi, cœloque paratior unda
Omne pati virus duravit viscera cœno.
Jam riget atra cutis, distentaque lumina rumpit:
Igneaque in vultus, et sacro fervida morbo
Pestis abit, fessumque caput se ferre recusat.
Jam magis atque magis præceps agit omnia fatum:
Nec medii dirimunt morbi vitamque, necemque:
Sed languor cum morte venit, turbaque cadentum
Aucta lues, dum mista jacent incondita vivis
Corpora: nam miseros ultra tentoria cives
Spargere funus erat. tamen hos minuere labores
A tergo pelagus, pulsusque Aquilonibus aër,
Littoraque, et plenæ peregrina messe carinæ.
At liber terræ spatiosis collibus hostis

Abydo,] Repone ex libris plerisque omnibus,

> Tot potuere manus *AUT JUNGERE* Seston Abydo,
> *Aut* Pelopis latis.

66. *Sicaniæ rapidum nescit latrare Pelorum:*] Iterum pro *Rapidum* repone ex aliis codicibus RABIDUM: idque magis, ob *Latrare.*

69. *Ut primum vasto septas videt aggere terras;*] Concinnius duo Pulmanni codices,

> Ut primum *septas vasto* videt aggere terras.

77. *In mare descendit, si nusquam torqueat amnem.*] Sic codices: sed reponendum puto,

> In mare *DESCENDAT, nusquam si* torqueat amnem.

85. *Advectos cum plena ferant præse-*

Aëre non pigro, nec inertibus angitur undis:
Sed patitur sævam, veluti circumdatus arcta
Obsidione, famem. nondum surgentibus altam
In segetem culmis, cernit miserabile vulgus
In pecudum cecidisse cibos, et carpere dumos,
Et morsu spoliare nemus, letumque minanteis
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas:
Quæ mollire queunt flamma, quæ frangere morsu,
Quæque per abrasas utero demittere fauces,
Plurimaque humanis antehac incognita mensis
Diripiens miles, saturum tamen obsidet hostem.
Ut primum libuit ruptis evadere claustris
Pompeio, cunctasque sibi permittere terras:
Non obscura petit latebrosæ tempora noctis,
Et raptum furto soceri cessantibus armis
Dedignatur iter: latis exire ruinis
Quærit, et impulso turres confringere vallo,
Perque omneis gladios, et qua via cæde paranda est.
Opportuna tamen valli pars visa propinqui,
Quam Minuti castella vocant, et confraga densis

pia culmos.] Sensus videtur esse, culmorum aridorum satis fuisse in præsepibus, sed ab equis desideratas herbas virides. Grotius.

105. —— *Peregrina messe carinæ.*] Lege MERCE.

112. *Et morsu spoliare nemus,*] Atqui iterum habemus altero post versu, *Quæ frangere morsu.* Reponenda igitur complurium codicum lectio,

Et *FOLIIS* spoliare nemus.

114. *Quæ mollire queunt flamma,*] Codex Bersmanni QUEANT. Lege QUEAT; sequitur enim,

Diripiens *miles*, saturum tamen *obsidet* hostem.

122. —— *Latis exire ruinis*] Si attentius locum consideres, luxatum esse deprehendes,

—— latis exire ruinis
Quærit, et impulso turres confringere vallo,
Perque omneis gladios, et qua via cæde paranda est.

Quid enim est, *Confringere turres per omnes gladios?* Porro omnes nostri codices, *Impulsi valli*, vel *Impulsu*. Turres enim ipsius valli pars erant. Totum locum sic constitue,

—— latis exire ruinis
Perque omnes gladios, et qua via cæde paranda est,
Quærit, et *IMPULSI* turres confringere *VALLI.*

125. *Opportuna tamen valli pars visa propinqui,*] Cur iterum *Valli*, quod versu abhinc secundo habuimus? Repone MURI, ut supra v. 33. *Subitos attollere muros.* et infra 175. *Detrudit muris.* et 180. *Cadavera murum Admovere solo.* 280. *Invenit impulsos presso jam pulvere muros.*

126. *Quam Minuti castella vocant,*] Minutii cujusdam in hac historia meminit Appianus. Si id nomen rectum est, fecit

Arboribus dumeta tegunt. huc pulvere nullo
Proditus agmen agit, subitusque ad mœnia venit.
Tot simul e campis Latiæ fulsere volucres:
Tot cecinere tubæ. ne quid victoria ferro
Deberet, pavor attonitos confecerat hostes.
Quod solum valuit virtus, jacuere peremti,
Debuerant quo stare loco: qui vulnera ferrent
Jam deerant, nimbusque ferens tot tela peribat.
Tum piceos volvunt immissæ lampadis ignes:
Tum quassæ nutant turres, lapsumque minantur.
Roboris impacti crebros gemit agger ad ictus.
Jam Pompeianæ celsi super ardua valli
Exierant Aquilæ: jam mundi jura petebant.
Quem non mille simul turmis, nec Cæsare toto
Auferret Fortuna locum, victoribus unus,
Eripuit, vetuitque capi: seque arma tenente,
Ac nondum strato, Magnum vicisse negavit.
Scæva viro nomen: castrorum in plebe merebat
Ante feras Rhodani gentes: ibi sanguine multo
Promotus Latiam longo gerit ordine vitem.

et hic in secunda systolen Lucanus. Ita enim peccata poëtarum solemus ὑποκορίζεσθαι. At MS. P. et T. *Numici* habent. Grotius. Nihil opus est aut *Systola* illa aut ὑποκορισμῷ. Codices omnes: *Minuci* vel *Minici*, et Appiano dicitur Μινύκιος: quod nomen secunda syllaba brevi est. Silius vii. 386.

> Si factis nondum, *Minuci*, te cauta probare.

et *523*.

> Nec mora, disjecto *Minuci* vecordia vallo.

Minucius ille, ut Appianus narrat, φρούραρχος, erat, *præfectus castello*, in quo Scæva pugnabat, ipse quoque in ea pugna non Scæva inferior.

129. *Tot simul e campis Latiæ*] Cur *e campis*, cum *in campis* essent; ut nonnulli codices hic præferunt. Corrigendum, et distinguendum,

> Tot simul *AC* campis Latiæ fulsere volucres,
> Tot cecinere tubæ; ne quid victoria ferro
> Deberet, &c.

134. —— *Nimbusque ferens tot tela peribat.*] Dimidia pars codicum habet, *Et nimbus agens*, Recte: non *Ferens*, quia *ferrent* jam proximo versu habuimus,

> —— qui vulnera ferrent
> Jam deerant et nimbus *AGENS* tot tela peribat.

135. —— *Immissæ lampadis ignes:*] An una *Lampas* tot manibus suffecit? Corrige sine dubio:

> Tum piceos volvunt immissæ *LAMPADES* ignes:
> Tum quassæ nutant turres.

139. —— *Jam mundi jura petebant.*] MSS. omnes *patebant*, ut sensus sit: Jam aditus erat ad libertatem. Grotius.

146. —— *Latiam longo gerit ordine vitem.*] Lege PRIMO. Livius xlii. 34. *Tribuni militares in legione prima* primum pilum *virtutis causa ei assignarunt.* Ta-

Pronus ad omne nefas, et qui nesciret, in armis
Quam magnum virtus crimen civilibus esset.
Hic ubi quærentes socios jam marte relicto
Tuta fugæ cernit, quo vos pavor, inquit, abegit
Impius, et cunctis ignotus Cæsaris armis?
O famuli turpes, servum pecus, absque cruore
Terga datis morti? cumulo vos deesse virorum
Non pudet, et bustis, interque cadavera quæri?
Non ira saltem juvenes, pietate remota,
Stabitis? e cunctis, per quos erumperet hostis,
Nos sumus electi. non parvo sanguine Magni
Ista dies ierit. peterem felicior umbras
Cæsaris in vultu. testem hunc Fortuna negavit:
Pompeio laudante cadam. confringite tela
Pectoris incursu, jugulisque retundite ferrum.
Jam longinqua petit pulvis, sonitusque ruinæ,
Securasque fragor concussit Cæsaris aures.
Vincimus o socii; veniet, qui vendicet arces,
Dum morimur. movit tantum vox illa furorem,
Quantum non primo succendunt classica cantu:
Mirantesque virum, atque avidi spectare, sequuntur

citus Annal. i. 29. *Calonius* primi ordinis *centurio ad Tiberium mittitur.*

150. —— *Quo vos pavor, inquit, abegit Impius;*] Quid illud *Abegit?* Nondum enim fugerant; *Quærebant* tantum, circumspectabant, qua tuto fugerent. Recte codex Collegii Trinitatis,

—— Quo vos pavor, inquit, *ADEGIT*
Impius.

152. *O famuli turpes, servum pecus, absque cruore*] Versus hic a melioribus codicibus aut abest, aut in margine vel inter lineas ponitur. Omnino ejiciendus est, ut κακοῦ κόμματος. *O famuli turpes,* hoc ex lib. ix. 274. transductum est.

O famuli turpes, domini post fata prioris
Itis ad hæredem.

Tum illud *servum pecus* Horatii est,

O imitatores, *servum pecus!*

Hic vero inepte assuitur; nam post *famuli turpes,* et ταυτόλογον et minus est. Quin et illud prave, *Absque cruore Terga datis morti;* quasi vero vulnere accepto, terga dare ac fugere honestum esset. cæterum *Morti* hic recipimus, non, quod alii codices, *Marti.* Jam enim habuimus *Marte relicto.*

164. *Vincimus o socii;*] Lege VICIMUS. Livius xxi. 43. *Si quem animum paulo ante habuistis, eundum mox habueritis,* vicimus, *milites.* et mox. *Si hoc bene fixum omnibus destinatumque in animo est, iterum dicam,* vicistis.

169. *An plus quam mortem virtus daret.*] An posset virtus iniquo loco et certamine, amplius aliquid dare quam mortem: hoc est, an etiam victoriam dare posset. Grotius. Cave, vel cum viro magno *victoriam* hic intelligas, vel cum aliis *Famam et gloriam.* *Plusquam mor-*

Scituri juvenes, numero deprensa, locoque,
An plus quam mortem virtus daret. ille ruenti
Aggere consistit, primumque cadavera plenis
Turribus evolvit, subeuntesque obruit hostes
Corporibus: totæque viro dant tela ruinæ,
Roboraque, et moles; hosti seque ipse minatur.
Nunc sude, nunc duro contraria pectora conto
Detrudit muris, et valli summa tenentes
Amputat ense manus: caput obterit, ossaque saxo,
Ac male defensum fragili compage cerebrum
Dissipat: alterius flamma crinesque, genasque
Succendit: strident oculis ardentibus ignes.
Ut primum cumulo crescente cadavera murum
Admovere solo; non segnior extulit illum
Saltus, et in medias jecit super arma catervas,
Quam per summa rapit celerem venabula pardum.
Tunc densos inter cuneos compressus, et omni
Vallatus bello vincit, quem respicit, hostem.
Jamque hebes, et crasso non asper sanguine mucro
Percussum Scævæ frangit, non vulnerat, hostem.
Perdidit ensis opus, frangit sine vulnere membra.

tem, eodem sensu, quo versu operis primo, *Bella plusquam civilia.* Gravius quod bellum et crudelius quam civile; Fortius quid et generosius, quam mortem ipsam capere, ut rei modus rem ipsam superet. Supra i. 469. *Animique capaces Mortis.* ii. 557.

——— minimumque in morte virorum
Mors virtutis habet.

Cæterum illud *Deprensa numero*, non sane arridet. Lego, *Depressa virtus;* et numero et loco inferior. Sidonius Carm. v. ex Nostro elegantissime,

——— si forte *premantur*
Seu *numero* seu *sorte loci;* mors obruit illos,
Non timor: invicti perstant animoque supersunt
Jam prope post animam.

Cæsar Gall. vii. 50. *Cum hostes loco et numero, nostri virtute confiderent.*

173. *Roboraque, et moles; hosti seque ipse minatur.*] Non placet *Hosti;* cum altero abhinc versu habuerimus, *Subeuntesque obruit hostes.* Forte legendum,

Roboraque, et moles *vastas*, seque ipse minatur.

184. *Tunc densos inter cuneos compressus,*] Recte codex Pulmanni COMPRENSUS. et mox habemus, *Compressa tempora* v. 193.

187. *Percussum Scævæ frangit, non vulnerat, hostem.*] Vel sola vox *frangit* repetita satis ostendit horum duorum versuum alterum vacare. MS. T. ex prima manu versum duntaxat priorem habet: posteriorem ad marginem asscriptum. Contra in MS. P. annotatum est priorem versum abundare. Puto hunc locum unum esse ex iis quos in secunda editione, ut fieri solet, mutavit Lucanus: et priorem versum prius scriptum: postea ejus loco substitutum alterum, hunc in modum:

Illum tota premit moles, illum omnia tela.
Nulla fuit non certa manus, non lancea felix:
Parque novum Fortuna videt concurrere, bellum,
Atque virum. fortis crebris sonat ictibus umbo,
Et galeæ fragmenta cavæ compressa perurunt
Tempora: nec quicquam nudis vitalibus obstat
Jam, præter stantes in summis ossibus hastas.
Quid nunc vesani jaculis, levibusque sagittis
Perditis hæsuros nunquam vitalibus ictus?
Hunc aut tortilibus vibrata phalarica nervis
Obruat, aut vasti muralia pondera saxi:
Hunc aries ferro, ballistaque limine portæ
Summoveat: stat non fragilis pro Cæsare murus,
Pompeiumque tenet: jam pectora non tegit armis:
Ac veritus credi clypeo, lævaque vacasse,
Aut culpa vixisse sua, tot vulnera belli
Solus obit, densamque ferens in pectore silvam,
Jam gradibus fessis, in quem cadat, eligit hostem,
Par pelagi monstris. Libycæ sic bellua terræ,
Getulus densis Elephas oppressus ab armis
Omne repercussum squalenti missile tergo
Frangit, et hærentes mota cute discutit hastas.
Viscera tuta latent penitus, citraque cruorem
Confixæ stant tela feræ: tot facta sagittis,
Tot jaculis, unam non explent vulnera mortem.
Dictæa procul ecce manu Gortynis arundo
Tenditur in Scævam, quæ voto certior omni

Jamque hebes et crasso non asper sanguine mucro
Perdidit ensis opus: frangit sine vulnere membra.

Est enim hoc acutius. Grotius.

192. —— *Fortis crebris sonat ictibus umbo,*] Ride illum *Fortem umbonem,* et repone,

Parque novum Fortuna videt concurrere, bellum
Atque virum *FORTEM:* crebris sonat ictibus umbo.

Seneca Patruus de Providentia ii. 12. *Ecce par deo dignum,* vir fortis *cum mala Fortuna compositus.* Hoc ipsum Lucanus, coram oculis habuit.

198. *Hunc aut tortilibus vibrata phalarica nervis*] Falarica scribe a falis id est turribus. Notat Servius apud Virgilium ostendi robur Turni qui talem hastam jaculatus sit. Sed ipsum vide. Locus autem hic Lucani ex illo Æneidos viii. de Bitia expressus est. Grotius.

204. —— *Tot vulnera belli*
Solus obit,] *Obire vulnera* non memini usquam legisse. Corrigo,

In caput, atque oculi lævum descendit in orbem.
Ille moras ferri, nervorum et vincula rumpit,
Affixam vellens oculo pendente sagittam
Intrepidus, telumque suo cum lumine calcat.
Pannonis haud aliter post ictum sævior ursa,
Cum jaculum parva Libys amentavit habena,
Se rotat in vulnus: telumque irata receptum
Impetit, et secum fugientem circuit hastam.
Perdiderat vultum rabies: stetit imbre cruento
Informis facies: lætus fragor æthera pulsat
Victorum: majora viris de sanguine parvo
Gaudia non faceret conspectum in Cæsare vulnus.
Ille tegens alta suppressum mente dolorem,
Mitis, et a vultu penitus virtute remota,
Parcite, ait, cives: procul hinc avertite ferrum:
Collatura meæ nil sunt jam vulnera morti:
Non eget ingestis, sed vulsis pectore telis.
Tollite, et in Magni viventem ponite castris:
Hoc vestro præstate duci: sit Scæva relicti
Cæsaris exemplum potius, quam mortis honestæ.
Credidit infelix simulatis vocibus Aulus:
Nec vidit recto gladium mucrone tenentem:
Membraque captivi pariter laturus, et arma,
Fulmineum mediis excepit faucibus ensem.
Incaluit virtus: atque una cæde refectus
Solvat, ait, pœnas, Scævam quicunque subactum
Speravit: pacem gladio si quærit ab isto

——— tot *MUNIA* belli
Solus obit.

Noster v. 8. Vagos *belli per munia* patres. obire *Munia* et *Munera* passim habes.

207. *Par pelagi monstris.*] Et hoc quoque libri nonnulli agnoscunt. At MS. P. sic habet:

——— in quem cadat, eligit hostem,
Sic Libycus densis Elephas oppressus ab armis.

Quod et ipsum puto esse ex secunda et meliore Lucani editione. Neque immerito repudiavit illud de pelagi monstris, ut alienum hoc loco. Grotius. Etiam codices qui priorem versum agnoscunt, in secundo tamen plerique habent *Sic Libycus*, non *Getulus:* quod Correctorum est.

221. *Cum jaculum parva Libys amentavit habena,*] Lege, CUI jaculum.

226. —— *De sanguine parvo*] Plures et meliores E sanguine.

232. *Non eget ingestis, sed vulsis pectore telis.*] Adducit hoc Servius ad illud Virg. xi. Æneidos:

Eduxit corpore telum.

Magnus, adorato submittat Cæsare signa.
An similem vestri, segnemque ad fata putastis?
Pompeii vobis minor est, causæque Senatus,
Quam mihi mortis amor. Simul hæc effatus, et altus
Cæsareas pulvis testatur adesse cohortes.
Dedecus hic belli Magno, crimenque remisit,
Ne solum totæ fugerent te Scæva catervæ:
Subducto qui Marte ruis: nam sanguine fuso
Vires pugna dabat. labentem turba suorum
Excipit, atque humeris defectum imponere gaudet.
Ac velut inclusum perfosso in pectore numen,
Et vivam magnæ speciem Virtutis adorant:
Telaque confixis certant evellere membris,
Exornantque Deos, ac nudum pectore Martem
Armis Scæva tuis. felix hoc nomine famæ
Si tibi durus Iber, aut si tibi terga dedisset
Cantaber exiguis, aut longis Teutonus armis.
Non tu bellorum spoliis ornare Tonantis
Templa potes, non tu lætis ululare triumphis.
Infelix, quanta dominum virtute parasti!
   Nec magis hac Magnus castrorum parte repulsus
Intra claustra piger dilato marte quievit,
Quam mare lassatur, cum se tollentibus Euris
Frangentem fluctus scopulum ferit, aut latus alti

Quo facilius possit perire, inquit. Grotius.

237. *Nec vidit recto gladium mucrone tenentem :*] Longe melius, quod alii codices habent. TREMENTEM. vel si Scævam ipsum mavis, et non gladium, PREMENTEM. Noster vii. 562. Quæ *presso tremat* ense manus.

244. *An similem vestri, segnemque ad fata putastis?*] Omnes fere codices PUTATIS, et recte.

246. —— *Simul hæc effatus, et altus*] Et sensus et sonus postulat, quod alii codices EFFATUR.

256. —— *Ac nudum pectore Martem*] Scribe PECTORA. Virgilius: *Nudus tempora. Et nudus membra Pyracmon.*

257. —— *Felix hoc nomine famæ*] Sic infra 604.

Impia lætatur vulgatæ *nomine famæ*
Thessalis.

Sed codex Collegii Trinitatis hic habet, *Felix hoc* MUNERE *famæ.* Quod si cui abblandiatur, tum erit, *hoc meo munere, hoc carmine* quo semper victurus es. Virgilius de Niso et Euryalo,

Felices ambo, siquid mea carmina possunt.

Nam quod hic Scævæ, etiam Cæsari ipsi imputare audet Noster, ix. 982.

Invidia sacræ, Cæsar, ne tangere famæ:
Venturi me teque legent.

262. *Infelix, quanta dominum virtute parasti!*] Ex Sallustio qui Histor. 1. dix-

Montis adest, seramque sibi parat unda ruinam.
Hinc vicina petens placido castella profundo
Incursu gemini martis rapit: armaque late
Spargit, et effuso laxat tentoria campo:
Mutandæque juvat permissa licentia terræ.
Sic pleno Padus ore tumens super aggere tutas
Excurrit ripas, et totos concutit agros.
Succubuit si qua tellus, cumulumque furentem
Undarum non passa, ruit; tum flumine toto
Transit, et ignotos aperit sibi gurgite campos.
Illos terra fugit dominos; his rura colonis
Accedunt, donante Pado. vix prælia Cæsar
Senserat, elatus specula quæ prodidit ignis.
Invenit impulsos presso jam pulvere muros,
Frigidaque ut veteris deprendit signa ruinæ;
Accendit pax ipsa loci, movitque furorem
Pompeiana quies, et victo Cæsare somnus.
Ire vel in clades properat, dum gaudia turbet.
Torquato ruit inde minax: qui Cæsaris arma
Segnius haud vidit, quam malo nauta tremente
Omnia Circeæ subducit vela procellæ:
Agminaque interius muro breviore recepit,
Densius ut parva disponeret arma corona.
Transierat primi Cæsar munimina valli,

erat: *Victor exercitus, cui per tot labores et vulnera nihil præter tyrannum quæsitum est.* Nec abit illud Dionis: πολλὴν σπουδὴν ὥσπερ ποτὲ ὑπὲρ τῆς σφετέρας ἐλευθερίας, οὕτω τότε κατὰ τῆς τῶν ῥωμαίων δουλείας ποιούμενοι. Grotius.

263. *Nec magis hac Magnus castrorum parte repulsus*] Idem codex MURORUM. Recte. Vide supra ad v. 125.

266. —— *Aut latus alti Montis adest,*] Id est adedit. Grotius. Quis umquam dixit *adest* pro *adedit?* Est, comest, exest; sed nusquam *Adest* ob ambiguum. latet aliquod mendum.

272. —— *Super aggere tutas Excurrit ripas, et totos concutit agros.*] Plane aliud quærit comparationis hujus ratio ac sententia: Ubi ripæ sunt firmæ atque *aggere tutæ*, illic intra alveum continetur Padus; at sicubi ripæ imbecilles sunt, ibi erumpit et ignotos sibi campos aperit. Quare sic lego,

Sic pleno Padus ore tumens *INTRA* aggere tutas
DECURRIT ripas, *NEC* totos concutit agros.

282. —— *Movitque furorem Pompeiana quies, et victo Cæsare somnus.*] Non placet *Victo.* an ob tantillam rem victus Cæsar? Corrigo,

—————— movitque furorem
Pompeiana quies, *INVITO ET* Cæsare somnus.

291. *Cum super e totis emisit collibus*

Cum super e totis emisit collibus agmen,
Effuditque acies obseptum Magnus in hostem.
Non sic Ætnæis habitans in vallibus horret
Enceladum spirante Noto, cum tota cavernas
Egerit, et torrens in campos defluit Ætna:
Cæsaris ut miles glomerato pulvere victus
Ante aciem, cæci trepidus sub nube timoris
Hostibus occurrit fugiens, inque ipsa pavendo
Fata ruit. totus mitti civilibus armis
Usque vel in pacem potuit cruor: ipse furenteis
Dux tenuit gladios. felix, ac libera legum,
Roma, fores, jurisque tui, vicisset in illo
Si tibi Sylla loco. dolet heu, semperque dolebit,
Quod scelerum, Cæsar, prodest tibi summa tuorum
Cum genero pugnasse pio. Pro tristia fata,
Non Uticæ Libye clades, Hispania Mundæ
Flesset, et infando pollutus sanguine Nilus
Nobilius Phario gestasset rege cadaver:
Nec Juba Marmaricas nudus pressisset arenas,
Pœnorumque umbras placasset sanguine fuso
Scipio: nec sancto caruisset vita Catone.

agmen,] Meliores libri IMMISIT. Super-immisit; ut in composito dicitur, *Superingero, Superinjicio.*

293. *Non sic Ætnæis habitans in vallibus*] Jam viderunt viri docti legendum esse *Ennæis;* ab *Enna* urbe prope Ætnam sita. Redit enim altero abhinc versu, *In campos defluit Ætna.* Sed locus majoribus adhuc mendis obsitus opem nostram desiderat:

> Non sic Ennæis habitans in vallibus horret
> Enceladum spirante Noto, cum tota cavernas
> Egerit, et torrens in campos defluit Ætna:
> Cæsaris ut miles ——————
> —— —— ——
> Hostibus occurrit fugiens.

Ubi vidi loci ἀκολυθίαν. *Habitator ille non sic horret Enceladum, ut miles Cæsaris,* horret aliquid opinor: immo, ut miles *occurrit hostibus.* Hoccine placet? Quid vero est *Spirante Noto?* Miserrimus sane habitator, si quotiescumque Notus flat, Ætnæ ruinis obruitur. Quid porro est *Egerere cavernas?* ex cavernis aliquid egerat, sed ipsas cavernas qui possit? cum illæ, siquid inde egeritur, majores relinquantur. Corrige et distingue,

> Non sic Ennæis habitans in vallibus horret,
> *ENCELADO* spirante *NOTUM*, cum tota *RUINAS*
> Egerit, et torrens in campos defluit Ætna;
> Cæsaris ut miles glomerato pulvere victus, *&c.*

Horret Notum spirante Encelado. Sic tres habent Pulmanni codices, quos audire debuerunt Interpretes. Multum interest inter duas istas lectiones. Si *Horret Enceladum, spirante Noto;* tum Ennenses horrent Enceladum (sive Ætnam) etiam quiescentem, si ventus flat: quod falsum. *Notus* hic, ut Auster Virgilio (notante Servio) pro quolibet vento: species pro genere. At *Horret Notum, Encelado spirante;* hoc est, Ætna incendium

Ultimus esse dies potuit tibi, Roma, malorum:
Exire e mediis potuit Pharsalia fatis.
Deserit adverso possessam numine sedem
Cæsar, et Emathias lacero petit agmine terras.
Arma secuturum soceri, quacunque fugasset,
Tentavere sui comites divertere Magnum,
Hortati, patrias sedes, atque hoste carentem
Ausoniam peteret. Nunquam me Cæsaris, inquit,
Exemplo reddam patriæ, nunquamque videbit
Me, nisi dimisso redeuntem milite Roma.
Hesperiam potui, motu surgente, tenere,
Si vellem patriis aciem committere templis,
Ac medio pugnare foro. dum bella relegem,
Extremum Scythici transcendam frigoris orbem,
Ardentesque plagas. victor tibi, Roma, quietem
Eripiam, qui, ne premerent te prælia, fugi?
Ah potius, ne quid bello patiaris in isto,
Te Cæsar putet esse suam. sic fatus, in ortus
Phœbeos convertit iter, terræque secutus
Devia, qua vastos aperit Candavia saltus,
Contigit Emathiam, bello quam fata parabant.

eructante, horrent ventum, ne favillas et turbinem totum in suos agros impellat. Non sic, ait, Ennenses Ætna flammas egerente horrent ventum, ut *miles Cæsaris horrebat*, ventum scilicet; qui *glomerati pulveris* nubes in oculos eis ingessit. Recte autem, ut arbitror, *Ruinas egerit.* Virgilius, Æneid. iii. 573.

Horrificis juxta tonat Ætna *ruinis.*

312. *Ultimus esse dies potuit tibi, Roma, malorum:*] Duo optimi ex nostris, LABORUM. Placet. Hæ voces passim inter se permutantur: ut iii. 317.

Hic, dabit hic pacem jugulus finemque *laborum.*

codices fere omnes *Malorum.*

314. *Deserit adverso possessam numine sedem*] Meliores codices AVERSO.

317. *Tentavere sui comites divertere Magnum,*] Meliores DEVERTERE. ut infra 591.

Quæque suo ventura potes *devertere* cursu.

325. *Extremum Scythici transcendam frigoris orbem,*] Sic nostri codices: Sed elegantius est, quod Eutyches vetus Grammaticus nobis servavit p. 2176. *Relego, gas: ut Lucanus:*

——— dum bella relegem,
Extremum Scythici transcendam frigoris *AXEM.*

328. *Ah potius, ne quid bello patiaris in isto,*] Concinnius alii codices,

Ah potius, *bello ne quid* patiaris in isto.

329. —— *Sic fatus, in ortus Phœbeos convertit iter,*] Quomodo *convertit* iter, qui nondum inceperat? Lege, CONTENDIT *iter;* ut unus Pulmanni codex.

339. *Excipit adversos Zephyros, et Iapyga Pindus,*] Lege ex aliis codicibus *Aversos.*

Thessaliam, qua parte diem brumalibus horis
Attollit Titan, rupes Ossæa coërcet.
Cum per summa poli Phœbum trahit altior æstas,
Pelion opponit radiis nascentibus umbras.
At medios ignes cœli, rabidique Leonis
Solstitiale caput nemorosus submovet Othrys.
Excipit adversos Zephyros, et Iapyga Pindus,
Et maturato præcidit vespere lucem.
Nec metuens imi Borean habitator Olympi
Lucentem totis ignorat noctibus Arcton.
Hos inter montes media qui valle premuntur,
Perpetuis quondam latuere paludibus agri:
Flumina dum campi retinent, nec pervia Tempe
Dant aditus pelago, stagnumque implentibus undis
Crescere cursus erat. postquam discessit Olympo
Herculea gravis Ossa manu, subitæque ruinam
Sensit aquæ Nereus: melius mansura sub undis,
Emathis æquorei regnum Pharsalos Achillis
Eminet, et prima Rhœteia littora pinu
Quæ tetigit Phylace, Pteleosque, et Dorion ira
Flebile Pieridum; Trachin, pretioque nefandæ
Lampados Herculeis fortis Melibœa pharetris:
Atque olim Larissa potens: ubi nobile quondam
Nunc super Argos arant: veteres ubi fabula Thebas
Monstrat Echionias: ubi quondam Pentheos exul
Colla caputque ferens supremo tradidit igni,

343. *Hos inter montes media qui valle premuntur,*] Corrigendum,

——— media *QUA* valle premuntur.

346. *Dant aditus pelago,*] Immo *pelagi*, ut habet MS. P. et R. A. Maris aditus erant interclusi. Grotius. Recte *Pelagi*. Nam *Pelago* non esset, *Dant fluminibus aditus ad pelagus*, (quod sententia hic postulat) sed dant pelago aditus *ad flumina*. Noster viii. 45. *Habes aditum venturæ in sæcula famæ*. Casu ut hic patrio. Porro autem, pro *Undis*, plerique omnes codices habent,

——— stagnumque implentibus UNUM Crescere cursus erat.

Unum stagnum, quo omnia flumina convenerunt; et *Implentibus* scilicet fluminibus, ut supervacuum sit illud UNDIS: quodque tertio abhinc versu recurrit. Argute autem, *Crescere cursus erat:* ut supra 103. *Miseros ultra tentoria cives Spargere funus erat.*

354. —— *Herculeis fortis Melibœa pharetris:*] Codices plerique omnes *Sagittis*, quod hic melius convenit, vel ob illud *Fortis*. Fortitudo enim ex sagittis, potius quam ex pharetris monstratur.

355. *Atque olim Larissa potens:* ——

—— *rapuisset Agave.*] Hi quinque versus mihi spurii videntur, *Larissa*, etiam

Questa quod hoc solum nato rapuisset Agave.
Ergo abrupta palus multos discessit in amnes.
Purus in occasus, parvi sed gurgitis, Æas
Ionio fluit inde mari: nec fortior undis
Labitur avectæ pater Isidis, et tuus, Œneu,
Pene gener crassis oblimat Echinadas undis:
Et Meleagream maculatus sanguine Nessi
Euenos Calydona secat. ferit amne citato
Maliacas Sperchios aquas: et flumine puro
Irrigat Amphrysos famulantis pascua Phœbi.
Quique nec humentes nebulas, nec rore madentem
Aëra, nec tenues ventos suspirat Anauros.
Et quisquis pelago per se non cognitus amnis
Peneo donavit aquas. it gurgite rapto
Apidanos: nunquamque celer, nisi mistus, Enipeus.
Accipit Asopos cursus, Phœnixque, Melasque.
Solus in alterius nomen cum venerit undæ,
Defendit Titaresus aquas, lapsusque superne
Gurgite Penei pro siccis utitur arvis.
Hunc fama est Stygiis manare paludibus amnem,
Et capitis memorem, fluvii contagia vilis
Nolle pati, superumque sibi servare timorem.
Ut primum emissis patuerunt amnibus arva,
Pinguis Bœbicio discessit vomere sulcus:
Mox Lelegum dextra pressum descendit aratrum.
Æolidæ, Dolopesque solum fregere coloni,

tum potens. *Argos*, nullum ejus nominis ibi oppidum. *Veteres Thebas Echionias*, præter geminum Epitheton; etiam fallitur, nam Thebæ Echioniæ sunt Bœoticæ; non hæ Pthioticæ. Et Agave in Bœoticis ut notum. præterea numquam illa *Exul*. Stulte bis dicitur, *Quondam*. Stulte *Colla caputque*, et mox de uno, *Hoc solum*, et stulte de Pentheo et Agave hic; cum hoc alibi narrat i. 574. et vii. 709.

356. —— *Veteres ubi fabula Thebas Monstrat Echionias*:] Hoc vult, Thebas Pthioticas dictas à Thebis Bœoticis, ex eo quod Agave ibi exsilii sui sedem invenisset. Grotius. Nescio quo auctore, hæc vir magnus de exilio Agaves.

360. *Ergo abrupta palus multos discessit in amnes.*] Alii codices elegantius DISCEDIT.

361. —— *Æas*] Variant MSS. Sed veram hanc esse lectionem docent Strabo et Plinius. Grotius.

376. *Defendit Titaresus aquas*,] Titaresius Homero in Bœotia, unde hæc fluminis sumta descriptio: et ea quæ apud Plinium est in Thessalia. Grotius.

382. *Pinguis Bœbicio*] Rescribe *Bebrycio* cum MSS. Grotius.

383. *Mox Lelegum dextra pressum de-*

Et Magnetes equis, Minyæ gens cognita remis.
Illic semiferos Ixionidas Centauros
Fœta Pelethroniis nubes effudit in antris.
Aspera te Pholoës frangentem, Monyche, saxa,
Teque sub Œtæo torquentem vertice vulsas,
Rhœce ferox, quas vix Boreas inverteret, ornos:
Hospes et Alcidæ magni, Phole: teque per amnem
Improbe Lernæas vector passure sagittas:
Teque, senex Chiron, gelido qui sidere fulgens
Impetis Æmonio majorem Scorpion arcu.
Hac tellure feri micuerunt semina martis.
Primus ab æquorea percussis cuspide saxis
Thessalicus sonipes bellis feralibus omen
Exiluit; primus chalybem, frænosque momordit,
Spumavitque novis Lapithæ domitoris habenis.
Prima fretum scindens Pagasæo littore pinus,
Terrenum ignotas hominem projecit in undas.
Primus Thessalicæ rector telluris Itonus
In formam calidæ percussit pondera massæ,
Fudit et argentum flammis, aurumque moneta
Fregit, et immensis coxit fornacibus æra.
Illic, quod populos scelerata impegit in arma,
Divitias numerare datum est. hinc maxima serpens
Descendit Python, Cyrrhæaque fluxit in antra:
Unde et Thessalicæ veniunt ad Pythia laurus.
Impius hinc prolem superis immisit Alœus:

scendit aratrum.] Citat Servius ad viii. Æneidos i. Grotius.

389. *Teque sub Œtæo torquentem vertice vulsas,*

Rhœce ferox,] Primum lege RHŒTE, ut hic codices, et aliorum scriptorum loca monstrant: Deinde corrige,

VOSQUE sub Œtæo TORQUENTES vertice.

Hoc est, *Vos, Rhœte, et Phole,* nam si *Teque* his adsciscis, deerit alterum *Teque,* quod Pholum introducat.

402. *Primus Thessalicæ rector telluris Itonus*] Scholiastes Apollonii lib. i. Ἀρμενίδας ἐν τοῖς Θηβαϊκοῖς, Ἀμφικτύονος υἱὸν Ἴτωνον ἐν Θεσσαλίᾳ γεννηθῆναι, ἀφ᾽ οὗ Ἰτὼν πόλις καὶ Ἰτωνὶς Ἀθηνᾶ. Grotius. Itonis urbis meminit Homerus Bœotio, Apollodorus l. 11. Montem Itonum vocant Strabonis libri MSS. Apud Plinium: *Auri metalla et conflaturam Cadmus Phœnix ad Panchæum montem, ut alii Thoas,* legam *Itonus* Cassiod. l. 111. epistola 31. *Æs enim Ionas* (scribe *Itonus*) *Thessaliæ rex, plumbum Midas regnator Phrygiæ repererunt.* Grotius. Manuscripti omnes *Ionas, Ionos, Ionus;* Cassiodori lectio *Ionas* retinenda est, nisi mavis *Iannos,* cum Is. Vossio ad Catullum.

Inseruit celsis prope se cum Pelion astris,
Sideribusque vias incumbens abstulit Ossa.
Hac ubi damnata fatis tellure locarunt
Castra duces; cunctos belli præsaga futuri
Mens agitat, summique gravem discriminis horam
Adventare palam est. propius jam fata moveri
Degeneres trepidant animi, pejoraque versant.
Ad dubios pauci præsumto robore casus
Spemque metumque ferunt. turbæ sed mistus inerti
Sextus erat, Magno proles indigna parente,
Qui mox Scyllæis exul grassatus in undis,
Polluit æquoreos Siculus pirata triumphos.
Qui stimulante metu fati prænoscere cursus,
Impatiensque moræ, venturisque omnibus æger;
Non tripodas Deli, non Pythia consulit antra,
Nec quæsisse libet, primis quid frugibus altrix
Ore Jovis Dodona sonet, quis noscere fibra
Fata queat, quis prodat aves, quis fulgura cœli
Servet et Assyria scrutetur sidera cura,
Aut si quid tacitum, sed fas, erat. ille supernis
Detestanda Deis sævorum arcana Magorum
Moverat, et tristeis sacris feralibus aras,
Umbrarum, Ditisque fidem: miseroque liquebat
Scire parum Superos. vanum, sævumque furorem
Adjuvat ipse locus, vicinaque mœnia castris
Hæmonidum, ficti quas nulla licentia monstri

406. *Illic, quod populos scelerata impegit in arma,*
Divitias numerare datum] Immo ILLINC, ut postea bis *Hinc.* Non *illic* modo in Thessalia, sed *Illinc* in reliquo terrarum orbe pecuniæ numerantur non penduntur.

409. —— *Ad Pythia*] Certamina scilicet, quorum præmium Laurus. Grotius.

412. *Sideribusque vias incumbens abstulit Ossa.*] *Incumbens,* scilicet Pelio. Sed melior lectio est aliorum et plurium codicum:

Inseruit celsis prope se cum Pelion astris,
Sideribusque vias *INCURRENS abstulit Ossa.*

Pelion, inferior mons, *prope se inseruit astris;* at ei imposita Ossa plane *incurrit* in astra, et eorum cursus impedivit.

426. —— *Primis quid frugibus altrix*
Ore Jovis Dodona sonet,] Colbertini duo *Ære Jovis.* Val. Maximus viii. 15. 3. de Amphiarai oraculo. *Cujus cineres idem honoris possident, quod Pythicæ cortinæ, quod* aheno Dodonæ, *quod Hammonis fonti datur.*

432. *Moverat,*] Ita rescripsi pro *Noverat.* Non enim vult Sexto cognitas artes

Transierat, quarum, quicquid non creditur, ars est.
Thessala quinetiam tellus herbasque nocenteis
Rupibus ingenuit, sensuraque saxa canentes
Arcanum ferale Magos. ibi plurima surgunt
Vim factura Deis. et terris hospita Colchis
Legit in Hæmoniis, quas non advexerat, herbas.
Impia tot populis, tot surdas gentibus aures
Cœlicolum, diræ convertunt carmina gentis.
Una per æthereos exit vox illa recessus,
Verbaque ad invitum perfert cogentia numen,
Quod non cura poli, cœlique volubilis unquam
Avocat. infandum tetigit cum sidera murmur,
Tunc Babylon Persea licet, secretaque Memphis
Omne vetustorum solvat penetrale Magorum:
Abducit superos alienis Thessalis aris.
   Carmine Thessalidum dura in præcordia fluxit
Non fatis adductus amor: flammisque severi
Illicitis arsere senes. nec noxia tantum
Pocula perficiunt, aut cum turgentia succo
Frontis amaturæ subducunt pignora fetæ.
Mens hausti nulla sanie polluta veneni
Excantata perit. quos non concordia misti

magicas, sed implorasse eum τὴν νεκυομαντείαν, ut omnibus aliis divinationibus certiorem. Grotius.

436. —— *Licentia monstri*] Nihil tam licenter fingitur quod non illæ superent. Simile illud Claudiani:

——— sed quamvis variis miracula monstris
Ingeminent teneras vincturi carmine mentes,
Nil veris æquale dabunt. Grotius.

447. *Quod non cura poli, cœlique volubilis unquam*
Avocat.] Placet codex Pulmanni, qui USQUAM habet.

449. *Tunc Babylon Persea licet, secretaque Memphis*] Lege *Persæa*. Val. Flac. vii. 450.

————————— Titania jamque
Gramina *Persæasque* sinu depromere vires
Cœperat ——— Medea.

Vel potius *Persei*, ut *Perseis Hecate*. Ovid. Met. *Hecates Perseidos*. et Rem. Amor.

Quid tibi profuerint, Circe, Perseides herbæ.

A Πέρσης non πέρσειος nec περσαῖος sed περσικός. περσαῖος dicitur a Persa Πέρσα, urbe prope Euphratem. Steph. de urbibus solus memorat. Cur autem *Persea Babylon*, quæ ab Assyria Semiramide condita? Nemo sic Babylonem vocavit. Deinde inconcinne, hinc *Persea*, illinc non aliud nomen gentile, sed *Secreta:* potius Lucanum scripsisse crediderim,

Tunc Babylon *PRÆSAGA* licet secretaque Memphis.

Præsaga ob Chaldæos Astrologos, qui futura prævidebant.

451. *Abducit superos alienis Thessalis aris.*] Non de *aris*, sed de *carmine* agitur, Corrigo,

Abducit superos *ALIENAS* Thessalis *ORAS*.

Æneid. iii. 601.

Alligat ulla tori, blandæque potentia formæ,
Traxerunt torti magica vertigine fili.
Cessavere vices rerum: dilataque longa
Hæsit nocte dies: legi non paruit æther.
Torpuit et præceps audito carmine mundus:
Axibus et rapidis impulsos Juppiter urgens
Miratur non ire polos. nunc omnia complent
Imbribus, et calido producunt nubila Phœbo:
Et tonat ignaro cœlum Jove. vocibus iisdem
Humentes late nebulas, nimbosque solutis
Excussere comis. ventis cessantibus, æquor
Intumuit: rursus vetitum sentire procellas
Conticuit turbante Noto: puppimque ferentes
In ventum tumuere sinus. de rupe pependit
Abscissa fixus torrens: amnisque cucurrit
Non qua pronus erat. Nilum non extulit æstas:
Mæander direxit aquas: Rhodanumque morantem
Præcipitavit Arar: submisso vertice montes
Explicuere jugum. nubes suspexit Olympus:
Solibus et nullis Scythicæ, cum bruma rigeret,
Dimaduere nives. impulsam sidere Tethyn
Reppulit Hæmonidum, defenso littore, carmen.

Tollite me, Teucri, quascumque abducite terras.

455. *Pocula perficiunt,*] Neque hoc præstant venena, sed sola carmina. Grotius. Melius alii codices PROFICIUNT.

460. *Traxerunt torti magica vertigine fili.*] Ridiculum est illud *Torti fili.* Repone RHOMBI. Ovid. Amor. i. 8.

Scit bene quid gramen, quid *torto* concita *rhombo*
Licia, quid valeat virus amantis equæ.

Propert. ii. 21. 35.

Deficiunt magico *torti* sub carmine *rhombi.*

Idem iii. 4. 26.

Staminea rhombi ducitur ille rota.

466. —— *Et calido producunt nubila Phœbo:*] PRÆDUCUNT, tres codices Nicolai Heinsii: Recte. Vide ipsum ad Silii x. 411.

467. —— *Vocibus iisdem*
Humentes late nebulas, nimbosque solutis
Excussere comis.] Quid hoc? Si *vocibus* quomodo *comis?* Saltem *comisque* dicendum fuit. Ex sensu ipso emendationem eruimus,

—————————— solutis
Excussere *UMBRIS.*

Sic i. 261.

Nondum gelidas lux *solverat umbras.*

471. —— *Turbante Noto:*] In tempestate malaciam faciunt: In sereno iratum mare. Grotius.

475. *Mæander direxit aquas:*] Scribe Mæandros, ut Noster alibi, *Errantem* Mæandron *adit.* vide Nic. Heinsium ad Ovid. Heroid. ix. 55.

480. *Reppulit Hæmonidum, defenso lit-*

Terra quoque immoti concussit ponderis axem,
Et medium vergens nisu titubavit in orbem.
Tantæ molis onus percussum voce recessit,
Prospectumque dedit circumlabentis Olympi.
Omne potens animal leti, genitumque nocere,
Et pavet Hæmonias, et mortibus instruit arteis.
Has avidæ tigres, et nobilis ira leonum
Ore fovent blando : gelidos his explicat orbes,
Inque pruinoso coluber distenditur arvo.
Viperei coëunt, abrupto corpore, nodi :
Humanoque cadit serpens afflata veneno.
  Quis labor hic superis, cantus herbasque sequendi,
Spernendique timor ? cujus commercia pacti
Obstrictos habuere Deos ? parere necesse est,
An juvat ? ignota tantum pietate merentur ?
An tacitis valuere minis ? hoc juris in omneis
Est illis superos ? an habent hæc carmina certum
Imperiosa Deum, qui mundum cogere, quicquid
Cogitur ipse, potest ? illis et sidera primum

tore, carmen.] Lege *Hæmonium*. Sic infra 693.

——— mox cætera cantu
Explicat *Hæmonio*.

et v. 486.

Hæmonias artes.

482. *Et medium vergens nisu titubavit in orbem.*] Pro *vergens nisu*, Doctissimus Gronovius Observ. ii. 7. magnopere contendit, legendum esse, prout alii codices habent, *vergens nisus*, accusativo plurali. Non accedo. *Terra concussit axem*, hoc est, de centro mundi recessit; *et nisu suo vergens in medium orbem*, sive, ultro citroque centrum prætervecta est et fluctuavit, priusquam in medio quiesceret. Hæc vera loci sententia est, et Poëtam Philosophum indicat. Seneca de otio Sapientis. *Suapte natura gravia descenderint, an præter nisum pondusque corporum altior aliqua vis legem singulis dixerit?*

484. *Prospectumque dedit*] Terra in medio obstans vetat uno in loco videri supera cœli, atque infera : quæ simul appareant, si illam è medio dimoveris. Grotius.

488. *Ore fovent blando :*] Alii codices FOVET, quod recipimus. Animadvertes enim, Nostrum ubi plures sunt Nominativi etiam numeri pluralis, proximo, si singularis nomen sit, singulare verbum subnectere.

492. *Quis labor hic superis,*] Codex Colbert. PAVOR. Lego ex antitheti ratione,

Unde *AMOR* hic superis cantus herbasque sequendi
Spernendive timor?

Amor edendi, habendi, pugnandi, &c. Virg. Ec. x.

——— omnes
Unde *amor* iste, rogant, tibi?

499. ——— *Illis et sidera primum*
Præcipiti deducta polo :] Omnes codices ILLIC, in Thessalia scilicet.

505. ——— *Cantu deprensa*] Lectio non mala et è MS. Sic Catullus : *Velut minuta magno Deprensa navis in mari.* Sed cum Manuscripti quos postea vidi omnes

Præcipiti deducta polo: Phœbeque serena
Non aliter diris verborum obsessa venenis
Palluit, et nigris, terrenisque ignibus arsit,
Quam si fraterna prohiberet imagine tellus,
Insereretque suas flammis cœlestibus umbras.
Et patitur tantos cantu deprensa labores
Donec suppositas propior despumet in herbas.
Hos scelerum ritus, hæc diræ carmina gentis
Effera damnarat nimiæ pietatis Erichtho,
Inque novos ritus pollutam duxerat artem.
Illis namque nefas urbis submittere tecto
Aut laribus ferale caput: desertaque busta
Incolit, et tumulos expulsis obtinet Umbris,
Grata Deis Erebi. cœtus audire silentum,
Nosse domos Stygias, arcanaque Ditis operti,
Non Superi, non vita vetat. tenet ora profanæ
Fœda situ macies, cœloque ignota sereno.
Terribilis Stygio facies pallore gravatur,
Impexis onerata comis. si nimbus, et atræ

depressa habeant, quid ni sequamur, ut vi de cœlo deductam significet. Grotius.

507. *Hos scelerum ritus, hæc diræ carmina gentis*] Tota venus et virtus hujus sententiæ periit, Librariorum facinore. Solus Pulmanni codex rem nobis restituit,

> Hos scelerum ritus, hæc diræ *CRIMINA* gentis
> Effera damnarat nimiæ pietatis Erichtho.

Illa ipsa *scelera ac crimina* videbantur huic veneficæ *nimium pia;* novos igitur et feraliores ritus in artem induxerat. Jam *carmina* substitue, et tota Antitheti gratia evanescit.

509. *Inque novos ritus pollutam duxerat artem.*] Atqui altero abhinc versu præcesserat, *Hos scelerum ritus.* Repone,

> Inque novos *ACTUS* pollutam duxerat artem.

Infra 606.

> Pronum erat, o juvenis, quos velles (inquit) *in actus*
> Invitos præbere Deos.

Vel *Inque novos* USUS, ut 577.

> Illa Magis, magicisque Deis incognita verba
> Tentabat, carmenque *novos* fingebat *in usus.*

511. *Aut laribus ferale caput:*] Jam bis habuimus *Ferale,* 432. 440. Lege igitur, ne semper eandem chordam,

> Aut laribus *furiale* caput.

Quod et per se melius est. Virgilius vii. 415.

> Alecto torvam faciem et *furialia* membra
> Exuit.

517. *Terribilis Stygio facies pallore gravatur,*
Impexis onerata comis.] Tertio abhinc versu jam habuimus, *Nosse domos Stygias.* Quare aliud Epitheton excogitandum. Quid vero illud *Gravatur pallore?* an in pallore est aliquid ponderis? Nec magis placet *Onerata facies:* caput, collum, cervix, sed non *Facies.* Legerim,

Sidera subducunt nubes, tunc Thessala nudis
Egreditur bustis, nocturnaque fulgura captat.
Semina fœcundæ segetis calcata percussit,
Et non letiferas spirando perdidit auras.
Nec superos orat, nec cantu supplice numen
Auxiliare vocat, nec fibras illa litanteis
Novit: funereas aris imponere flammas
Gaudet, et accenso rapuit quæ thura sepulcro.
Omne nefas Superi prima jam voce precantis
Concedunt, carmenque timent audire secundum.
Viventes animas, et adhuc sua membra regentes,
Infodit busto: fatis debentibus annos
Mors invita subit: perversa funera pompa
Rettulit a tumulis: fugere cadavera letum.
Fumantes juvenum cineres, ardentiaque ossa
E mediis rapit illa rogis, ipsamque, parentes
Quam tenuere, facem: nigroque volantia fumo
Feralis fragmenta tori, vestesque fluentes
Colligit in cineres, et olentes membra favillas.

> Terribilis *TETRO* facies *SQUALORE* gravatur,
> Impexis *UMBRATA* comis.

Noster infra, 625.

> Mœstum tecta caput *squalenti* nube.

Virgilius, Æneid. vi. 299.

> Terribili *squalore* Charon, cui plurima mento
> Canities inculta jacet.

Sic Ovidius, *Medusæ ora squalentia*, et alii passim. Statius, de Tisiphone,

> Centum illi stantes *umbrabant* ora cerastæ.

Ovid. Metam. xiii. 845.

> Prominet in vultus, humerosque, ut lucus, obumbrat.

519. —— *Tunc Thessala nudis Egreditur bustis,*] Jam dixerat 511. *Desertaque busta Incolit;* ut probe sciremus unde egressa sit, etsi *bustis* non iterum inculcasset. Quid autem *nudis bustis?* Corrige,

> ——— Tunc Thessala nudis
> Egreditur *PEDIBUS*

Hoc in omnibus veneficiis solenne est. Horat. Serm. i. 8.

> Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
> Canidiam, *pedibus nudis* passoque capillo.

Medea apud Ovidium. Metam. vii. 182.

> Egreditur tectis vestes induta recinctas
> *Nuda pedem.*

522. *Et non letiferas spirando perdidit auras.*] Vellem doceri, quid sit *auras perdere?* Nisi si sit ad nihilum redigere: quod Philosophi non concedent. *vitiare, corrumpere, inficere auras;* sed *perdere* quid sit nescio. Scribe,

> Et non letiferas spirando *REDDIDIT* auras.

Auras prius non letiferas spirando reddidit, fecit, letiferas. Ovid. Metam. *Aut stetit, aut visa est*, hoc est, Stetisse.

538. —— *Ubi servantur saxis,*] Quibus in locis corpora non cremantur, sed conduntur, ut apud Ægyptios et Judæos. Vide Tacitum hist. v. sequentia saniem

Ast ubi servantur saxis, quibus intimus humor
Ducitur, et tracta durescunt tabe medullæ
Corpora ; tunc omneis avide desævit in artus,
Immersitque manus oculis : gaudetque gelatos
Effodisse orbes : et siccæ pallida rodit
Excrementa manus : laqueum, nodosque nocenteis
Ore suo rupit : pendentia corpora carpsit,
Abrasitque cruces: percussaque viscera nimbis
Vulsit, et incoctas admisso sole medullas.
Insertum manibus chalybem, nigramque per artus
Stillantis tabi saniem, virusque coactum
Sustulit, et nervo morsus retinente pependit.
Et quacunque jacet nudum tellure cadaver,
Ante feras, volucresque sedet: nec carpere membra
Vult ferro, manibusque suis, morsusque luporum
Expectat, siccis raptura e faucibus artus.
Nec cessant a cæde manus, si sanguine vivo
Est opus, erumpat jugulo qui primus aperto.
Nec refugit cædes, vivum si sacra cruorem,

describunt conditis effluentem corporibus. Grotius.

541. *Immersitque manus oculis :*] Melius alii codices,

———————— desævit in artus,
IMMERGITQUE manus oculis, gaudetque, *&c.*

543. —— *Laqueum, nodosque nocenteis*
Ore suo rupit:] *Nocentes*, quia collum alicui eliserant. Pulmanni tamen codex RECENTES, et prætulerim, quoniam plus virium habent a gula jam nuper fracta.

547. *Insertum manibus chalybem,*] Clavos ferreos quibus fixi qui in cruce pendebant quod est προσηλῶσθαι in Evangelio Joannis xx. 25. atque inde τύπος ἥλων ibidem. Grotius.

550. —— *Quacunque jacet nudum tellure cadaver,*] Ita emendavimus pro *quodcunque*. Grotius. Omnes omnium codices habent,

Et *quodcumque* jacet *nuda* tellure cadaver.

Recte : *nuda tellure cadaver*, nullo busto aut sepulcro conditum ; utrum cadaver ipsum nudum an vestitum fuerit, nihil intererat. Sed cur *Sedet ante feras ?* an feræ aut volucres sedent ? aut ipsa nihil agere potuit, nisi sedendo? Lege ex codice Regio,

Et quodcumque jacet nuda tellure cadaver,
Ante feras, volucresque *VIDET.*

Videt, priusquam vultures et feræ ὀξυδερκέστατοι, videant.

553. —— *Siccis raptura e faucibus artus.*] Bis paulo ante *artus* in fine versus : deinde an lupi totos *artus* uno morsu hauriunt ? Corrigo,

Siccis raptura e faucibus *OFFAS.*

556. *Nec refugit cædes,*] Hic versus cum sequente deest in MS. P. Forte et hoc ex emendatione Lucani aut Argentariæ Pollæ. Grotius. Aut hoc distichon, aut quod proximum habuimus, est correctio alterius, et ex curis secundis ; placet magis, posterius est.

Extaque funereæ poscunt trepidantia mensæ:
Vulnere sic ventris, non, qua Natura vocabat,
Extrahitur partus, calidis ponendus in aris.
Et quoties sævis opus est, ac fortibus umbris,
Ipsa facit manes: hominum mors omnis in usu est
Illa genæ florem primævo corpore vulsit,
Illa comam læva morienti abscidit ephebo.
Sæpe etiam caris cognato in funere dira
Thessalis incubuit membris: atque oscula fingens,
Truncavitque caput, compressaque dentibus ora
Laxavit: siccoque hærentem gutture linguam
Præmordens, gelidis infudit murmura labris,
Arcanumque nefas Stygias mandavit ad umbras.
Hanc ut fama loci Pompeio prodidit: alta
Nocte poli, Titan medium quo tempore ducit
Sub nostra tellure diem: deserta per arva
Carpit iter. fidi scelerum, suetique ministri
Effractos circum tumulos, ac busta vagati
Conspexere procul prærupta in caute sedentem,
Qua juga devexus Pharsalica porrigit Æmus.
Illa Magis, magicisque Deis incognita verba
Tentabat, carmenque novos fingebat in usus.
Namque timens, ne Mars alium vagus iret in orbem,
Emathis et tellus tam multa cæde careret;
Pollutos cantu, dirisque venefica succis
Conspersos, vetuit transmittere bella Philippos,
Tot mortes habitura suas, usuraque mundi
Sanguine: cæsorum truncare cadavera Regum
Sperat, et Hesperiæ cineres avertere gentis,

558. *Vulnere sic ventris,*] Omnes codices *Si ventris.* Sententia autem postulat SED. *Nec refugit cædes;* sed *vulnere ventris partus extrahitur.*

560. —— *Quoties sævis opus est, ac fortibus umbris,*] Ubi opus est cruentis umbris, ibi ipsa dat morti, quos suscitet. Grotius.

562. —— *Primævo corpore*] Lege cum aliis codicibus:

Ille genæ florem primævo *E* corpore vulsit.

566. *Truncavitque caput,*] Notato tria ista, *Cognato in funere, caris membris, fingens oscula:* et dic mihi, qui potuit tot præsentibus, aut cur voluit *truncare caput?* Corrige TRACTAVITQUE *caput.* Sententia est, Dum fingit se dare suprema oscula cognato morienti; tractat caput, os clausum aperit, et linguam leviter mordens, insusurrat aliquid, quod ille

Ossaque nobilium, tantosque acquirere manes.
Hic ardor, solusque labor, quid corpore Magni
Projecto rapiat, quos Cæsaris involet artus.
Quam prior affatur Pompeii ignava propago.
O decus Hæmonidum, populis quæ pandere fata,
Quæque suo ventura potes devertere cursu,
Te precor, ut certum liceat mihi noscere finem,
Quem belli fortuna paret. non ultima turbæ
Pars ego Romanæ, Magni clarissima proles;
Vel dominus rerum, vel tanti funeris hæres.
Mens dubiis percussa pavet, rursusque parata est
Certos ferre metus. hoc casibus eripe juris;
Ne subiti, cæcique ruant; vel numina torque,
Vel tu parce Deis, et Manibus exprime verum.
Elysias resera sedes, ipsamque vocatam,
Quos petat e nobis, Mortem tibi coge fateri.
Non humilis labor est: dignum, quod quærere cures,
Vel tibi, quo tanti præponderet alea fati.
Impia lætatur vulgatæ nomine famæ
Thessalis, et contra: Si fata minora moveres,
Pronum erat, o juvenis, quos velles (inquit) in actus
Invitos præbere Deos. conceditur arti,
Unam cum radiis presserunt sidera mortem,
Inseruisse moras: et, quamvis fecerit omnis
Stella senem, medios herbis abrumpimus annos.
At simul a prima descendit origine mundi
Causarum series, atque omnia fata laborant
Si quicquam mutare velis, unoque sub ictu
Stat genus humanum: tunc, Thessala turba fatemur,

Manibus narrare debet. Tacitus Annal. iii. 12. *Quo pertinuit nudare corpus, et contrectandum vulgi oculis permittere?*

597. *Certos ferre metus.*] Paratus sum ferre quævis mala, dum certa mihi prius explorataque sint. Grotius.

601. —— *Mortem tibi coge fateri.*] Mors hic Dea, ut notatum Servio ad illud xi. Æneid.

———— mactantes corpora Morti.

Papinius:

In scopulis Mors sæva sedet.

Grotius.

603. —— *Quo tanti præponderet alea fati.*] Vel ob illud *Quo* corrigendum est,

—— Quo tanti *PROPENDEAT* alea fati.

605. —— *Si fata minora moveres,*] τὰ ἐκ τῶν συναιτίων. Vide Plutarchum de Fato. Grotius.

611. *At simul a prima descendit origine*

Plus Fortuna potest. sed si prænoscere casus
Contentus, faciles aditus, multique patebunt
Ad verum: tellus nobis, ætherque, chaosque,
Æquoraque, et campi, Rhodopeaque saxa loquentur,
Sed pronum, cum tanta novæ sit copia mortis,
Emathiis unum campis attollere corpus,
Ut modo defuncti, tepidique cadaveris ora
Plena voce sonent: ne membris sole perustis
Auribus incertum feralis strideat umbra.
Dixerat: et noctis geminatis arte tenebris,
Mœstum tecta caput squalenti nube, pererrat
Corpora cæsorum, tumulis projecta negatis.
Continuo fugere lupi, fugere revulsis
Unguibus impastæ volucres, dum Thessala vatem
Eligit, et gelidas leto scrutata medullas
Pulmonis rigidi stantes sine vulnere fibras
Invenit, et vocem defuncto in corpore quærit.
Fata peremtorum pendent jam multa virorum,
Quem superis revocasse velit. si tollere totas
Tentasset campis acies, et reddere bello:
Cessissent leges Erebi, monstroque potenti
Extractus Stygio populus pugnasset Averno,
Electum tandem trajecto gutture corpus

mundi] τὰ ἐκ τῶν αἰτίων. τὰ εἱμαρμένα προηγουμένων. Vide Plutarchum dicto libro. Grotius.

616. —— *Faciles aditus, multique patebunt*] Rectius codices plerique, FACILESQUE. Illud QUE promittit aliud Epitheton secuturum.

617. —— *Tellus nobis, ætherque, chaosque,*
Æquoraque, et campi, Rhodopeaque saxa loquentur.] *Tellus, Æther, Chaos, Æquora*, his addit propinqua loca. Ergo legendum,

Æquoraque, et *TEMPE, ET* Rhodopeïa saxa loquentur.

Tempe, montes Thessaliæ, Rhodope proximæ regionis Thraciæ. Claudianus, *Rhodopeïa saxa* habet. Martialis, *Cultor Rhodopeïus Hæmo*.

622. —— *Ne membris sole perustis*] Melius alii codices NEC *membris*.

632. *Fata peremtorum pendent jam multa virorum,*] Alius codex TUNC. Lege TAM *multa*.

637. —— *Trajecto gutture*] Cujus ipsa guttur unco trajecerat. Grotius.

646. —— *Pallensque sub antris*
Longa nocte situs,] *Pallens situs* non apte dicitur; et *Pallida silva* jam tertio ante versu habuimus. Lege iterum,

—— *SQUALENSQUE* sub antris
Longa nocte situs.

650. —— *Quo non metuunt emittere manes*
Tartarei reges.] Manuscripti fere omnes METUANT. Recte. *Non procul a Ditis domo, confinium mundi inferi*

Ducit, et inserto laqueis feralibus unco,
Per scopulos miserum trahitur, per saxa cadaver
Victurum: montisque cavi, quem tristis Erichtho
Damnarat sacris, alta sub rupe locatur.
Haud procul a Ditis cæcis depressa cavernis
In præceps subsedit humus: quam pallida pronis
Urget silva comis, et nullo vertice cœlum
Suspiciens, Phœbo non pervia taxus opacat.
Marcentes intus tenebræ, pallensque sub antris
Longa nocte situs, nunquam, nisi carmine factum,
Lumen habet. non Tænareis sic faucibus aër
Sedit iners, mœstum mundi confine latentis,
Ac nostri: quo non metuunt emittere manes
Tartarei reges. nam quamvis Thessala vates
Vim faciat fatis, dubium est, quod traxerit illuc
Aspiciat Stygias, an quod descenderit, umbras.
Discolor, et vario furialis cultus amictu
Induitur, vultusque operitur crine soluto,
Et coma vipereis substringitur horrida sertis.
Ut pavidos juvenis comites, ipsumque trementem
Conspicit, exanimi defixum lumina vultu:
Ponite, ait, trepida conceptos mente timores:
Jam nova, jam vera reddetur vita figura.
Ut quamvis pavidi possint audire loquentem.

et superi, Quo non metuant; hoc est, Ut ne metuant illuc manes emittere.

652. —— *Dubium est, quod traxerit illuc*
Aspiciat Stygias, an quod descenderit, umbras.] Secundum hanc lectionem et distinctionem, quodcumque agas, nullum huic loco sensum efficies. Codex Bersmanni habet, *Descendit in umbras.* Lege,

——— dubium est, quod traxerit illuc
Aspiciat, Stygias an quod *DESCENDAT AD* umbras.

Sententia hæc est: Quantumvis polleat Venifica, ut anima quædam vocanti illi præsto sit; tamen in hoc specu, quod utriusque mundi est confinium, dubium est, an *aspiciat* animam, quam e Styge exciverat, an aliam quæ recens mortua illac ad inferos descendat.

655. —— *Vultusque operitur crine soluto,*] MSS. P. et T.

——— vultusque aperitur crine remoto.

Hactenus velaverat vultum crine, nunc eum nudat quo sit terribilior. nam sequitur:

Et coma vipereis substringitur horrida nodis.

Grotius. Cum Grotianis codicibus nostri omnes faciunt, et ipsa adeo sententia. Sed hoc non facit, *quo sit terribilior;* sed, quo ad opus se præparet et accingat.

658. —— *Exanimi defixum lumina vul-*

Si vero Stygiosque lacus, ripamque sonantem
Ignibus ostendam, si me præsente videri
Eumenides possent, villosaque colla colubris
Cerberus excutiens, et vincti terga Gigantes;
Quis timor ignavi metuentes cernere manes?
  Pectora tunc primum ferventi sanguine supplet
Vulneribus laxata novis: taboque medullas
Abluit: et virus large lunare ministrat.
Huc quicquid fetu genuit Natura sinistro
Miscetur. non spuma canum, quibus unda timori est,
Viscera non lyncis, non diræ nodus hyænæ
Defuit, et cervi pasti serpentes medulla:
Non puppim retinens, Euro tendente rudentes,
In mediis echeneis aquis, oculique draconum,
Quæque sonant feta tepefacta sub alite saxa:
Non Arabum volucer serpens, innataque rubris
Æquoribus custos pretiosæ vipera conchæ,
Aut viventis adhuc Libyci membrana cerastæ,
Aut cinis Eoa positi Phœnicis in ara.
Quo postquam viles, et habentes nomina pestes
Contulit: infando saturatas carmine frondes,
Et quibus os dirum nascentibus inspuit, herbas
Addidit et quicquid mundo dedit ipsa veneni:

tu:] Satis bene *Defixum*, sed melius est, quod Bersmanni codex suggerit,

Exanimi *DEFLEXUM* lumina vultu.

Adeo exhorruit juvenis Pompeius; ut non ausus aspicere Venificæ apparatum, lumina alio deflecteret. Ovidius Metam. vii. 789.

Lumina deflexi, revocataque rursus eodem
Rettuleram.

663. —— *Si me præsente videri*] *me præstante* rescriptum erat in MS. T. quod probo. Grotius.

671. —— *Non spuma canum*,] Cum hoc apparatu instrumentoque magico confer Ovidium Metam. vii. Senec. Medea: Horatium Epodon v. Grotius. Alii codices omittunt EST. Rectius, quia sequitur Consonans, non Vocalis.

676. *Quæque sonant feta tepefacta sub alite saxa*:] Ætites. Grotius.

678. —— *Custos pretiosæ vipera conchæ*,] Chelonites. Grotius.

686. —— *Confundit murmura primum Dissona, et humanæ multum discordia linguæ.*] Codex Regius, NIMIUM *discordia*.

691. —— *Et planctus illisæ cautibus undæ*,] Hanc lectionem nostram probant MSS. omnes. Sonum inter alios illum dicit, quem fluctus edunt impacti scopulis. Et proprie hic ponitur planctus: ut, *plangunt littora fluctus*. Grotius.

697. *Et Rector terræ, quem longa in secula torquet Mors dilata deum*,] Perperam hic Interpretes, Quem deum torquet dilata

Tunc vox Lethæos cunctis pollentior herbis
Excantare Deos, confundit murmura primum
Dissona, et humanæ multum discordia linguæ.
Latratus habet illa canum, gemitusque luporum.
Quod trepidus bubo, quod strix nocturna quæruntur,
Quod strident ululantque feræ, quod sibilat anguis,
Exprimit, et planctus illisæ cautibus undæ,
Silvarumque sonum, fractæque tonitrua nubis.
Tot rerum vox una fuit. mox cætera cantu
Explicat Hæmonio, penetratque in Tartara lingua.
Eumenides, Stygiumque nefas, pœnæque nocentum,
Et Chaos innumeros avidum confundere mundos,
Et Rector terræ, quem longa in secula torquet
Mors dilata deum, Styx, et quos nulla meretur
Thessalis, Elysios, cœlum, matremque perosa
Persephone, nostræque Hecates pars ultima, per quam
Manibus et mihi sunt tacitæ commercia linguæ:
Janitor et sedis laxæ, qui viscera sævo
Spargis nostra cani: repetitaque fila sorores
Fracturæ: tuque o flagrantis portitor undæ
Jam lassate senex ad me redeuntibus umbris:
Exaudite preces, si vos satis ore nefando,
Pollutoque voco, si nunquam hæc carmina fibris
Humanis jejuna cano, si pectora plena

in longa sæcula mors sua: adeo ut præ sortis iniquitate tædium vitæ eum capiat. Tu vero *Mors deum* hic accipe, pro *Deorum:* Quem mors deorum diu dilata torquet et cruciet. Stoicum hic agit Noster, ut semper. Ex eorum sententia, in conflagratione mundi omnia pereunt, etiam ipsi qui nunc Dii. Optat igitur Pluto, sortem suam tertiam ægre ferens, ut conflagratio citius fiat, et in mundi renovatione vel Maris vel etiam Cœli sibi sortem speret.

698. —— *Styx, et quos nulla meretur Thessalis, Elysios, cœlum, matremque perosa Persephone,*] Hæc mendosa sunt: Lege cum aliis codicibus,

———— Styx, et quos nulla meretur
Thessalis, *ELYSII;* cœlum matremque perosa
Persephone.

Quippe Elysios non oderat Proserpina, quos ipsi Cœlo prætulit. Styx, et Elysii campi, exaudite.

702. —— *Qui viscera sævo Spargis nostra cani:*] Servius ad vi. Æn. *Et quia de anima dicturus est, bene facit ante Cerberi commemorationem, consumtoris corporum. Lucanus: qui viscera sævo Spargis nostra cani. Tunc enim animæ locum suum accipiunt, cum fuerit corpus absumtum.* Nimirum κέρβερον Græci dictum putant, velut κρεῶν βοράν. Grotius.

703. —— *Repetitaque fila sorores*

Sæpe dedi, et lavi calido prosecta cerebro:
Si quis, qui vestris caput, extaque lancibus infans
Imposuit, victurus erat, parete precanti.
Non in Tartareo latitantem poscimus antro,
Assuetamque diu tenebris, modo luce fugata
Descendentem animam: primo pallentis hiatu
Hæret adhuc Orci. licet has exaudiat herbas
Ad manes ventura semel. ducis omina nato
Pompeiana canat noti modo militis umbra,
Si bene de vobis civilia bella merentur.
  Hæc ubi fata, caput, spumantiaque ora levavit,
Aspicit astantem projecti corporis umbram,
Exanimes artus, invisaque claustra timentem
Carceris antiqui. pavet ire in pectus apertum,
Visceraque, et ruptas letali vulnere fibras.
Ah miser, extremum cui mortis munus iniquæ
Eripitur, non posse mori. miratur Erichtho
Has fatis licuisse moras, irataque Morti
Verberat immotum vivo serpente cadaver:
Perque cavas terræ, quas egit carmine, rimas
Manibus illatrat, regnique silentia rumpit.
Tisiphone, vocisque meæ secura Megæra,
Non agitis sævis Erebi per inane flagellis
Infelicem animam? jam vos ego nomine vero
Eliciam, Stygiasque canes in luce superna
Destituam: per busta sequar, per funera custos,

Fracturæ:] Rectum est *Tracturæ.* iterum neturæ fila, quæ semel absolveratis: id dicit, quia revocatura est cadaver ad vitam. Grotius.

710. *Si quis, qui vestris caput, extaque lancibus infans Imposuit, victurus erat,*] Duo ex nostris, *Si quisquis vestris:* Bersmanni unus, *Si quisquam nostris.* Lege,

Si *QUISQUIS NOSTRIS* caput extaque lancibus infans
Imposuit, victurus erat.

Si quis et *Si quisquam* hoc volunt, si *aliquis* ex infantibus erat victurus: *Si quisquis* majus quid notat et *satis nefandum;* omnes nempe infantes victuros fuisse. Porro *nostris* lancibus, quas *ego* vobis fero: *vestris* etiam minorum veneficarum lances includeret.

713. —— *Modo luce fugata Descendentem animam:*] Citat et explicat Servius ad vi. Æneid. Grotius.

717. —— *Noti modo militis umbra,*] MS. P. et Th. et R. A. *nostri modo militis umbra.* recte. Grotius.

721. *Exanimes artus, invisaque claustra*] Melius alii codices *Exanimesque artus.*

724. —— *Cui mortis munus iniquæ Eripitur, non posse mori.*] Lege *inique.* Grotius. Non accedo. Friget

Expellam tumulis, abigam vos omnibus urnis.
Teque Deis, ad quos alio procedere vultu
Ficta soles, Hecate, pallenti tabida forma,
Ostendam, faciemque Erebi mutare vetabo.
Eloquar immenso terræ sub pondere, quæ te
Contineant, Ennæa, dapes, quo fœdere mœstum
Regem noctis ames, quæ te contagia passam
Noluerit revocare Ceres. tibi, pessime mundi
Arbiter, immittam ruptis Titana cavernis,
Et subito feriere die. paretis? an ille
Compellandus erit, quo nunquam terra vocato
Non concussa tremit, qui Gorgona cernit apertam,
Verberibusque suis trepidam castigat Erinnym,
Indespecta tenet vobis qui Tartara; cujus
Vos estis superi; Stygias qui pejerat undas?
  Protinus astrictus caluit cruor, atraque fovit
Vulnera, et in venas extremaque membra cucurrit.
Percussæ gelido trepidant sub pectore fibræ:
Et nova desuetis subrepens vita medullis.
Miscetur morti. tunc omnis palpitat artus:
Tenduntur nervi: nec se tellure cadaver
Paulatim per membra levat, terraque repulsum est,
Erectumque simul. distento lumina rictu
Nudantur. nondum facies viventis in illo,
Jam morientis erat. remanet pallorque rigorque;
Et stupet illatus mundo. sed murmure nullo

hoc præ illo *Iniquæ mortis;* violentæ scilicet, ob *ruptas letali vulnere fibras.* Etiam iniquæ mortis hoc saltem munus est, semel mori; cum *miser* dixit, eo ipso sat ostenderat, *inique* eripi. sed et mors ipsa per se *dura* et *iniqua* passim audit.

739. —— *Terræ sub pondere, quæ te Contineant, Ennæa, dapes,*] Mirum, si *Dapes* eam *contineant,* coërceant, comprimant. Recte Nic. Heinsius ad Claudianum, seu ex codice sive ex conjectura, DETINEANT, suadeant, invitent ad commorandum. Seneca Epist. 70. *Sic veteres inquilinos indulgentia loci et consuetudo, etiam inter injurias,* detinet.

741. —— *Quæ te contagia passam Noluerit revocare Ceres.*] Contagia ciborum infernalium, malorum scilicet Punicorum acinos. Apollodorus l. i. Ovid. Met. v. et Fast. iv. Serv. ad i. Georg. ubi hoc Lucani loco utitur. Grotius.

744. —— *An ille Compellandus erit.*] Papinius:

Scimus enim et quicquid dici noscique timetis.

Et quæ sequuntur lib. iv. Thebaidos, ubi similis *νεκρομαντεία* describitur. ad quem locum videndus Scholiastes vetus. Grotius.

756. —— *Terraque repulsum est, Erectumque simul.*] Omnes nostri SEMEL: uno impetu, non gradatim, non flexu membrorum surgens.

Ora astricta sonant. vox illi, linguaque tantum
Responsura datur. dic, inquit Thessala, magna,
Quod jubeo, mercede mihi: nam vera locutum
Immunem toto mundi præstabimus ævo
Artibus Hæmoniis: tali tua membra sepulcro,
Talibus exuram Stygio cum carmine silvis,
Ut nullos cantata magos exaudiat umbra.
Sit tanti vixisse iterum: nec verba, nec herbæ
Audebunt longæ somnum tibi solvere Lethes,
A me morte data. tripodas, vatesque deorum
Sors obscura tenet. certus discedit, ab umbris
Quisquis vera petit, duræque oracula Mortis
Fortis adit. ne parce, precor. da nomina rebus,
Da loca, da vocem qua mecum fata loquantur.
Addidit et carmen, quo, quicquid consulit, umbram
Scire dedit. Mœstum fletu manante cadaver,
Tristia non equidem Parcarum stamina, dixit,
Respexi, tacitæ revocatus ab aggere ripæ:
Quod tamen e cunctis mihi noscere contigit umbris,
Effera Romanos agitat discordia manes,
Impiaque infernam ruperunt arma quietem.
Elysias alii sedes, ac Tartara mœsta
Diversi liquere duces: quid fata pararent,
Hic fecere palam. tristis felicibus umbris
Vultus erat. vidi Decios, natumque, patremque,
Lustrales bellis animas, flentemque Camillum,

757. —— *Distento lumina rictu
Nudantur.*] Sunt qui NICTU substituere velint; quia ad *lumina* referunt. Frustra. Duplex vultus morientis signum ponit, *Lumina nuda*, et *Rictum distentum*. Rigent enim oculi, et maxillæ cadunt, viii. 683.

Dum vivunt vultus, dum *lumina nuda* rigescunt.

Suetonius de Augusto moribundo; *Capillum sibi comi, et* malas labentes corrigi præcepit. Homerus de Agamemnone, utrumque ponit, Odyss. λ. 425.

χερσὶ κατ' ὀφθαλμοὺς ἑλέειν, σύν τε στόμ' ἐρεῖσαι.

759. *Jam morientis erat.*] Ita legendum ex MS. opposita sunt *nondum* et *jam*. Grotius.

770. —— *Tripodas, vatesque deorum
Sors obscura tenet. certus discedit, ab umbris
Quisquis vera petit,*] Si quisquis umbras consulit, certus veri discedit; cur tot verbis et tanta mercede hanc umbram hortatur, ut vera dicat? Repone cum melioribus codicibus,

—————— tripodas, vatesque deorum
Sors obscura *DECET*. certus *DISCEDAT*, ab umbris
Quisquis vera petit.

Et Curios; Syllam de te, Fortuna, querentem.
Deplorat Libycis perituram Scipio terris
Infaustam sobolem. major Carthaginis hostis,
Non servituri mœret Cato fata nepotis.
Solum te, Consul, depulsis prime tyrannis
Brute, pias inter gaudentem vidimus umbras.
Abruptis Catilina minax, fractisque catenis
Exultat, Mariique truces, nudique Cethegi.
Vidi ego lætantes popularia nomina Drusos;
Legibus immodicos, ausosque ingentia Gracchos.
Æternis chalybum nodis, et carcere Ditis
Constrictæ plausere manus: camposque piorum
Poscit turba nocens. regni possessor inertis
Pallentes aperit sedes, abruptaque saxa
Asperat, et durum vinclis adamanta, paratque
Pœnam victori. refer hæc solatia tecum,
O juvenis, placido manes, patremque, domumque,
Expectare sinu, regnique in parte serena
Pompeio servare locum. nec gloria parvæ
Sollicitet vitæ: veniet quæ misceat omneis
Hora duces. properate mori, magnoque superbi
Quamvis e parvis animo descendite bustis,
Et Romanorum manes calcate Deorum.
Quem tumulum Nili, quem Tybridis abluat unda,
Quæritur, et ducibus tantum de funere pugna est.
Tu fatum ne quære tuum cognoscere: Parcæ,

777. *Tristia non equidem Parcarum stamina, dixit,*

Respexi,] Omnes fere codices, ASPEXI. Recte. Nam Parcæ ultra Styga erant, ipse citra. At si *Respexi* legis, hoc innuis, nempe huic copiam inspiciendi fuisse, sed eam neglexisse.

782. *Elysias alii sedes, ac Tartara mœsta*

Diversi liquere duces:] Lege, AT *Tartara mæsta.*

784. —— *Tristis felicibus umbris*

Vultus erat.] Hinc illud Papinii in loco simili Thebaidos iv.

Mœrent Argolici dejecto lumine manes.

Et quæ sequuntur. Grotius.

787. —— *Syllam de te, Fortuna, querentem.*] Nunc primum post mortem, qui in vita fortunam adeo obsequentem habuit, ut Felix ideo diceretur. Queritur autem Sulla ob prostratas partes patricias, quas ipse foverat. Simile est illud Taciti: *Curam victor Sulla suscepit: neque tamen dedicavit.* (de Capitolio sermo est) *id solum felicitati ejus negatum.* Grotius.

793. *Abruptis Catilina minax, fractisque catenis*

Exultat,] Quid quæso interest inter *Abruptis* et *Fractis*, quo ab odiosissima re·

Me reticente, dabunt: tibi certior omnia Vates
Ipse canet Siculis genitor Pompeius in arvis:
Ille quoque incertus, quo te vocet, unde repellat,
Quas jubeat vitare plagas, quæ sidera mundi.
Europam, miseri, Libyamque, Asiamque timete:
Distribuit tumulos vestris Fortuna triumphis.
O miseranda domus, toto nihil orbe videbis
Tutius Emathia. Sic postquam fata peregit;
Stat vultu mœstus tacito, mortemque reposcit.
Carminibus magicis opus est, herbisque, cadaver
Ut cadat, et nequeunt animam sibi reddere fata
Consumto jam jure semel. Tum robore multo
Extruit illa rogum: venit defunctus ad ignes:
Accensa juvenem positum strue linquit Erichtho,
Tandem passa mori. Sextoque ad castra parentis
It comes: et cœlo lucis ducente colorem,
Dum ferrent tutos intra tentoria gressus,
Jussa tenere diem densas nox præstitit umbras.

petitione poëtam absolvas? Qui tot alia tam argute dixit, hoc tam putidum numquam dixerit. potius scripsisset,

AT RUPTIS Catilina minax *TRACTISQUE* catenis.

Cum *pias* animas absolvisset, nunc impias inducit: Ergo opus omnino est disjunctione AT. *Tractas* autem egregie dixit; quia ruptis licet catenis liber tamen non erat, cito ad antiquam pœnam per Furias revocandus. Persius v. 158.

——— *rupi* jam *vincula* dicas:
Nam et luctata canis nodum arripit: ast tamen illi,
Cum fugit, a collo *trahitur* pars magna *catenæ*.

810. —— *Abluat unda,*] *Alluat unda* MS. P. rectius. Grotius.

812. *Tu fatum ne quære tuum cognoscere:*] Distingue alio modo:

Tu fatum ne quære tuum: cognoscere Parcæ,
Me reticente, dabunt.

814. —— *Siculis genitor Pompeius in arvis:*] *Oris* MS. P. quod rectum puto. *undis* habet MS. R. A. Grotius. Pro *Omnia*, Repone, OMINA; ut supra 716.

——— ducis *omina* nato
Pompeiana canat nostri modo militis umbra.

Virgil. v. 524.

Seraque terrifici cecinerunt *omina* vates.

Silius iv. 131.

——— Tyrio canit *omina* regi.

Recte ORIS vel UNDIS, non *Arvis.* non enim *arva* Siciliæ, sed *oras* tantum Pirata tenuit. Noster supra de eodem 421.

Qui mox *Scyllæis* exul grassatus *in undis.*

817. *Europam miseri, Libyamque, Asiamque timete:*
Distribuit tumulos vestris Fortuna triumphis.] Martialis v.

Pompeios Juvenes Asia atque Europa: sed ipsum
Terra tegit Libyæ, si tamen ulla tegit.
Quid mirum toto si spargitur orbe? jacere
Uno non poterat tanta ruina loco.

Petronius:

Et quasi non posset tot tellus ferre sepulchra,
Divisit cineres.

Grotius. Lege ex aliis libris, DISTRIBUET.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER SEPTIMUS.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER SEPTIMUS.

SEGNIOR Oceano, quam lex æterna vocabat,
Luctificus Titan nunquam magis æthera contra
Egit equos, currumque polo rapiente retorsit:
Defectusque pati voluit, raptæque labores
Lucis: et attraxit nubes, non pabula flammis,
Sed ne Thessalico purus luceret in orbe.
At nox felicis Magno pars ultima vitæ
Sollicitos vana decepit imagine somnos.
Nam Pompeiani visus sibi sede theatri
Innumeram effigiem Romanæ cernere plebis,

2. *LUCTIFICUS Titan nunquam magis æthera contra Egit equos,*] Ain' vero, *Luctificus Titan?* Cur vero eodem Epitheto Sol infamatur, quo furiarum maxima Alecto apud Virgil. vii. 324.

Luctificam Alecto dirarum ab sede sororum.

Tantum aberat, ut Sol *luctificus*, sive causa cladis luctusque fuerit, ut nemo magis mœreret; ac idcirco *tardior* solito exoriebatur, et Eclipsin pati optabat, ne cladem et nefas conspiceret. Non repugno tamen quin *luctificus* sedem hic suam retineat; si non aliud verbum sponte suboriatur, quod et sententiam et compositionem reddat meliorem; et tam similis sit, ut jure Librariis fucum fecisse videatur. Lege autem,

Segnior Oceano, quam lex æterna vocabat,
LUCIFEROS Titan nunquam magis æthera contra
Egit equos, currumque polo rapiente retorsit.

Ovidius, Heroid. xi.

——— *luciferos* Luna movebat *equos.*

de Aurora, Arte Amand. iii.

Roscida *luciferos* cum dea jungit *equos.*

Illud vero *Contra æthera* et *Polo rapiente;* quia ipse Æther et Polus (*nam ejus dici fatis cœlum omne vacavit,* vii. 206.) majore solito vertigine solem adversum retardabant, ut sueto tardius oriretur. Sol ipse, apud Ovidium, Metam. ii. 70.

Attollique suum lætis ad sidera nomen
Vocibus, et plausu cuneos certare sonanteis.
Qualis erat populi facies, clamorque faventis,
Olim cum juvenis, primique ætate triumphi
Post domitas gentes, quas torrens ambit Iberus,
Et quæcunque fugax Sertorius impulit arma,
Vespere pacato, pura venerabilis æque
Quam currus ornante toga, plaudente Senatu,
Sedit adhuc Romanus eques. seu fine bonorum
Anxia venturis ad tempora læta refugit:
Sive per ambages solitas contraria visis
Vaticinata quies, magni tulit omina planctus:
Seu vetito patrias ultra tibi cernere sedes,
Sic Romam fortuna dedit. Ne rumpite somnos,
Castrorum vigiles, nullas tuba verberet aures.
Crastina dira quies, et imagine mœsta diurna
Undique funestas acies feret, undique bellum.
Unde pares somnos populi, noctemque beatam?
O felix, si te vel sic tua Roma videret.
Donassent utinam Superi, patriæque, tibique
Unum, Magne, diem, quo fati certus uterque
Extremum tanti fructum caperetis amoris.
Tu velut Ausonia vadis moriturus in urbe:

Adde quod assidua rapitur vertigine cœlum,
Sideraque alta trahit, celerique volumine torquet.
Nitor in adversum: nec me, qui cætera, vincit
Impetus: et rapido contrarius evehor orbi.

13. *Qualis erat populi facies,*] Repone ex aliis codicibus POPULIS. ut ille Ovidii locus: *Sed* mihi *tum faciles.* Horatius,

Unde *mihi* tam fortem tamque fidelem?

16. *Et quæcunque fugax*] Recte codex Pulmanni,

Et *QUACUMQUE* fugax Sertorius impulit arma.

19. —— *Seu fine bonorum*
Anxia venturis ad tempora læta refugit:] Quam rem dicit esse *anxiam?* nihil enim video. Nam *Quies* in proxima sententia sive *Somnus* nullo modo huc convenit. Corrige,

———— seu fine bonorum
Anxia *MENS CURIS* ad tempora læta refugit.

Fine bonorum, ut viii. 29.

—— nisi summa dies *cum fine* bonorum
Affuit.

Anxia mens curis, ut ii. 681.

——— curis animum mordacibus angit.

25. —— *Nullas tuba verberet aures.*] Harleianus et Trin. AURAS. Recte. De Pompeio solo curat, ne a somno excitetur, At si *nullas aures,* de omnium somno caveret. Virgilius,

——— et verberat ictibus *auras.*

28. *Unde pares somnos populi,*] Est optantis, ut illud Syrorum, *Quis dabit?* in epistola Medeæ:

Sed mihi tam faciles unde, meosque deos?

Illa rati semper de te sibi conscia voti
Hoc scelus haud unquam fatis hærere putavit,
Sic se dilecti tumulum quoque perdere Magni.
Te misto flesset luctu, juvenisque, senexque,
Injussusque puer: lacerasset crine soluto
Pectora femineum, ceu Bruti funere, vulgus.
Nunc quoque tela licet paveant victoris iniqui,
Nuntiet ipse licet Cæsar tua funera, flebunt:
Sed dum thura ferent, dum laurea serta Tonanti.
O miseri, quorum gemitus edere dolorem,
Qui te non pleno pariter planxere theatro.
Vicerat astra jubar, cum misto murmure turba
Castrorum fremuit, fatisque trahentibus orbem,
Signa petit pugnæ. miseri pars maxima vulgi
Non totum visura diem, tentoria circum
Ipsa ducis queritur, magnoque accensa tumultu
Mortis vicinæ properanteis admovet horas.
Dira subit rabies: sua quisque, ac publica fata
Præcipitare cupit: segnis, pavidusque vocatur,
Ac nimium patiens soceri Pompeius, et orbis
Indulgens regno, qui tot simul undique gentes
Juris habere sui vellet, pacemque timeret.
Nec non et reges, populique queruntur Eoi

Seneca pater controv. xi. *Unde talem patrem?* sensus est: Utinam populo Romano similis somnus contingeret, et, sicut tu illum, ita ille te vicissim, vel hoc saltem modo aspiceret. Grotius.

38. *Injussusque puer:*] Sponte sua, non imperio parentum, aut aliorum. Scaliger malebat, *Investisque puer.* Grotius. *Investis*, etiam si codices addicerent, nihil præter ætatem significaret; at illud *Injussus* moralem affectum superaddit. Cicero Tuscul. iii. 27. *Pueros vero Matres et Magistri castigare etiam solent; nec verbis solum, sed etiam verberibus, siquid in domestico luctu hilarius ab his factum est aut dictum*, PLORARE COGUNT.

42. *Sed dum thura ferent,*] Placet aliorum codicum lectio FERUNT.

47. —— *Miseri pars maxima vulgi*
—— *tentoria circum*
Ipsa ducis queritur,] Non credo de parte *maxima:* ubi enim disciplina militaris; ubi tantæ multitudini ad consistendum locus? Codex Bersmanni rectissime, *Pars* ULTIMA. Et fex populi, et Reges, et Senatores extorquebant signum prælii a Pompeio. Juvenalis viii. 44.

Nos humiles, inquit, *vulgi pars ultima nostri.*

50. *Mortis vicinæ properanteis admovet horas.*] MS. T. sic habet, quomodo hunc locum emendatum video ab eodem, cujus ante et honoris et amicitiæ causa memini, Rutgersio:

Morti vicinæ properantes admovet horas.

Bella trahi, patriaque procul tellure teneri.
Hoc placet, o Superi, cum vobis vertere cuncta
Propositum, nostris erroribus addere crimen.
Cladibus irruimus, nocituraque poscimus arma:
In Pompeianis votum est Pharsalia castris.
Cunctorum voces Romani maximus auctor
Tullius eloquii, cujus sub jure, togaque
Pacificas sævus tremuit Catilina secures,
Pertulit, iratus bellis, cum rostra forumque
Optaret, passus tam longa silentia miles.
Addidit invalidæ robur facundia causæ.
  Hoc pro tot meritis solum te, Magne, precatur,
Uti se Fortuna velis, proceresque tuorum
Castrorum, regesque tui cum supplice mundo
Affusi, vinci socerum patiare rogamus.
Humani generis tam longo tempore bellum
Cæsar erit? merito, Pompeium vincere lente,
Gentibus, indignum est, a transcurrente subactis,
Quo tibi fervor abit? aut quo fiducia fati?

Grotius. Non placet emendatio Rutgersiana. *Sibi* enim admovet *mortem*, non *se morti*. Infra 591.

Nec tibi fatales admoveris ante Philippos,
Thessalia periture tua.

Seneca de brevitate vitæ xvi. *At illis erat admoturus fatum ipse.* Noster iv. 480.

——— admoto occurrere fato.

et vi. 417.

——— propius jam fata moveri
Degeneres trepidant animi.

Statius viii. 375.

Fatalem populis ultro poscentibus horam
Admovet atra dies.

58. *Hoc placet, o Superi,*] Sic Martialis: *Hoc Fortuna placet?* Et Statius: *placet hoc tibi fulminis auctor?* Grotius. Meliores codices PERDERE *cuncta*, et omnes *Propositum* EST. *Addere crimen*, ut quod alias patiendo error et pœna esset, cupiendo fiat crimen. *Perdere cuncta;* ut illud Catulli,

Socer generque perdidistis omnia.

Noster infra 665.

Omnia quid laceras, quid *perdere cuncta* laboras?

Ovidius Heroid. xvii.

——— nec ullus
Error, qui facti *crimen obumbret*, erit.

72. *Humani generis tam longo tempore bellum
Cæsar erit?*] Melius alii codices licet numero pauciores, HUMANO GENERI.

77. —— *Ipsæ sua signa revellent,
Prosilientque acies.*] Alii codices, *Ipsæ* TUA *signa revellent.* Signa enim et castra non exercitus, sed imperatoris dicuntur. Cæsar supra 349. *Quisquis mea signa relinquens.* Cato infra ix. 379.

O quibus una salus placuit *mea* castra secutis.

Et hic v. 83. Cicero ad Pompeium.

——— propera, ne te *TUA* classica linquant.

Vides, si *Sua* legas, insolentiam verbi, si TUA, repetitionem. ut utramque vites, lege,

De Superis, ingrate, times? causamque Senatus
Credere Diis dubitas? ipsæ sua signa revellent,
Prosilientque acies. pudeat vidisse coactum.
Si duce te jusso, si nobis bella geruntur,
Sit juris quocunque velint concurrere campo.
Quid mundi gladios a sanguine Cæsaris arces?
Vibrant tela manus: vix signa morantia quisquam
Expectat: propera, ne te tua classica linquant.
Scire Senatus avet, miles te, Magne, sequatur,
An comes. Ingemuit Rector, sensitque Deorum
Esse dolos, et fata suæ contraria menti.
Si placet hoc, inquit, cunctis, si milite Magno,
Non duce tempus eget, nil ultra fata morabor.
Involvat populos una Fortuna ruina,
Sitque hominum magnæ lux ista novissima parti.
Testor, Roma, tamen Magnum, quo cuncta perirent,
Accepisse diem. potuit tibi vulnere nullo
Stare labor belli: potuit sine cæde subactum,
Captivumque ducem violatæ tradere paci.

——— ipsæ *SIBI* signa revellent.

78. —— *Pudeat vidisse coactum.*] Unde natum illud *Vidisse;* cum et codices et sententia ipsa postulent, VICISSE?

79. *Si duce te jusso,*] Non jubente. Si tibi Senatus, non tu Senatui imperas. Posses et *justo* scribere, id est legitimo. Grotius. Immo unica et vera lectio est *Jusso*. Supra v. 46.

Consulite in medium Patres, Magnumque *ju-bete*
Esse ducem.

80. *Sit juris quocunque velint concurrere campo.*] Imo *velim*, ut habent MSS. loquitur autem Cicero non ex sua tantum, sed et ex Senatus persona. Grotius.

82. —— *Vix signa morantia quisquam Expectat:*] At paulo ante v. 77. habuimus, *Ipsæ* SIBI signa *revellent*. Quid si legas,

——— vix *FATA* morantia quisquam
Expectat.

Infra 252.

Nil opus est votis, jam *fatum arcessitc* ferro.

et 460.

Ut rapido cursu, *fati* suprema *morantem*
Consumsere locum.

87. *Si placet hoc, inquit, cunctis,*] Concinnius codex Coll. Trinitatis,

Si placet hoc *cunctis, inquit*, si milite Magno,
Non duce tempus eget.

93. —— *Potuit sine cæde subactum,*] Immo, ut alii codices, POTUI. Nam *Labor belli potuit tradere paci*, omnino durum et subabsurdum esset.

94. —— *Violatæ tradere paci.*] Lege *Romanæ*, ut alibi *Assyriæ paci*. Tacit. Annal. xii. 29. *Ne fortuna elati* nostram *quoque* pacem *turbarent*. et 33. *additis qui* pacem nostram *metuebant*. Ubi plura vide apud Gronovium. Plin. xxvii. 1. *Alia aliunde ultro citroque in toto orbe portari, immensa* Romanæ pacis *majestate*.

95. *Quis furor, o cæci, scelerum?*] Tolle

Quis furor, o cæci, scelerum? civilia bella
Gesturi; metuunt, ne non cum sanguine vincant.
Abstulimus terras, exclusimus æquore toto,
Ad præmaturas segetum jejuna rapinas
Agmina compulimus, votumque effecimus hosti
Ut mallet sterni gladiis, mortesque suorum
Permiscere meis. belli pars magna peracta est
His, quibus effectum est, ne pugnam tiro paveret:
Si modo virtutis stimulis, iræque calore
Signa petunt. multos in summa pericula misit
Venturi timor ipse mali. fortissimus ille est,
Qui promtus metuenda pati, si comminus instent,
Et differre potest. placet hæc tam prospera rerum
Tradere fortunæ? gladio permittere mundi
Discrimen? pugnare ducem, quam vincere, malunt.
Res mihi Romanas dederas, Fortuna, regendas:
Accipe majores, et cæco in marte tuere.
Pompeii nec crimen erit, nec gloria bellum.
Vincis apud Superos votis me, Cæsar, iniquis:
Pugnatur. quantum scelerum, quantumque malorum
In populos lux ista feret! quot regna jacebunt!
Sanguine Romano quam turbidus ibit Enipeus!
Prima velim caput hoc funesti lancea belli,
Si sine momento rerum, partisque ruina
Casurum est, feriat: neque enim victoria Magno
Lætior. aut populis invisum, hac clade peracta,

distinctionem, ut sit *cæci scelerum*, non *furor scelerum.*

Quis furor, o cæci scelerum?

102. —— *Ne pugnam tiro paveret:*] Lege, ea qua solet Noster compositione, et codex Caii præstat,

—— *pugnam ne* tiro paveret.

114. *Pugnatur. quantum scelerum, quantumque malorum*
In populos lux ista feret!] Cur, obsecro, *lux ista?* cur non *Hæc lux?* nam cum hæc loquitur Pompeius, *Lux* erat, et dies ipse in quo pugnatum est. supra 45. *Vicerat astra jubar.* Sed gemino mendo laborat sententia, quam nunc eruimus, codice Bersmanni viam monstrante: ubi PUGNETUR. et ex eo vestigio cætera sic lege,

PUGNETUR. quantum scelerum quantumque malorum
In populos *VOX* ista dabit!

Omnes signum pugnæ petierant: hoc verbo signum istud dat; *Pugnetur*, habetis pugnandi licentiam: quantum *vox ista*, verbum istud *Pugnetur*, dabit hodie malorum!

125. —— *Et ut victus*] Illud *Et*, ut

Aut hodie Pompeius erit miserabile nomen.
Omne malum victi, quod sors feret ultima rerum,
Omne nefas victoris erit. Sic fatur, et arma
Permittit populis, frœnosque furentibus ira
Laxat: et ut victus violento navita Coro
Dat regimen ventis, ignavumque arte relicta
Puppis onus trahitur. trepido confusa tumultu
Castra fremunt, animique truces sua pectora pulsant
Ictibus incertis. multorum pallor in ore
Mortis venturæ est, faciesque simillima fato.
Advenisse diem, qui fatum rebus in ævum
Conderet humanis, et quæri Roma quid esset,
Illo marte palam est. sua quisque pericula nescit,
Attonitus majore metu. quis littora ponto
Obruta, quis summis cernens in montibus æquor,
Ætheraque in terras dejecto sole cadentem,
Tot rerum finem, timeat sibi? non vacat ullos
Pro se ferre metus: Urbi, Magnoque timetur.
Nec gladiis habuere fidem, nisi cotibus asper
Exarsit mucro. tunc omnis lancea saxo
Erigitur: tendunt nervis melioribus arcus:
Cura fuit lectis pharetras implere sagittis.
Auget eques stimulos, frænorumque aptat habenas.
Si liceat Superis hominum conferre labores,
Non aliter, Phlegra rabidos tollente Gigantes,
Martius incaluit Siculis incudibus ensis;

facile animadvertes, redundat et orationem turbat. Corrige,

> Laxat; *UT EVICTUS* violento navita Coro
> Dat regimen ventis.

Quid, quod *Evictus* per se melius hic est quam *Victus:* notat enim, post longum certamen tandem invitum navitam vento cessisse. Ut ornus arbor, Virgil. Æn. ii. 630.

> Vulneribus donec *paulatim evicta* supremum
> Congemuit.

130. —— *Faciesque simillima fato.*] Repone ex Pulmanni codice LETO. proximo enim versu habebis, *Qui* Fatum *rebus in ævum.*

137. —— *Non vacat ullos*
Pro se ferre metus:] Codex Academiæ pro varia lectione,

> ———— non vacat *ULLI*
> Pro se ferre metus.

Ulli, ut supra 133.

> ———— sua quisque pericula nescit.

143. *Auget eques stimulos, frænorumque aptat habenas.*] Manuscripti fere omnes ARTAT. Seneca de beneficiis i. 14. *Tamquam reducam liberalitatem, et fræ-*

Et rubuit flammis iterum Neptunia cuspis,
Spiculaque extenso Pæan Pythone recoxit,
Pallas Gorgoneos diffudit in ægida crines,
Pallenæa Jovi mutavit fulmina Cyclops.
Non tamen abstinuit venturos prodere casus
Per varias Fortuna notas. nam Thessala rura
Cum peterent, totus venientibus obstitit æther:
Inque oculis hominum fregerunt fulmina nubes:
Adversasque faces, immensoque igne columnas,
Et trabibus mistis avidos typhonas aquarum
Detulit, atque oculos ingesto fulgure clausit.
Excussit cristas galeis capulosque solutis
Perfudit gladiis, ereptaque pila liquavit;
Ætheroque nocens fumavit sulfure ferrum.
Nec non innumero cooperta examine signa,
Vixque revulsa solo, majori pondere pressum
Signiferi mersere caput, rorantia fletu,
Usque ad Thessaliam Romana, et publica signa.

nis arctioribus *reprimam*. Tibullus i. 4. 71.

> Hic placet, *angustis* quod equum compescit *habenis*.

Idem ad Messalam 91.

> Aut quis equum celerem artato compescere freno
> Par sit, et effusas tardo permittere habenas?

151. *Non tamen abstinuit venturos prodere casus*

Per varias Fortuna notas.] Atqui hæc non *Fortunæ* provincia est, sed *Naturæ*. et sane in quibusdam Editis *Natura* legitur, ex conjectura, ut opinor. Hæc duo non raro permutantur, ut i. 251. *Melius Fortuna dedisses*, Codex Regius *Natura*.

154. *Inque oculis hominum fregerunt fulmina nubes:*] Versus, ni valde fallor, spurius et ejiciendus, eandem enim sententiam mox habes, et verbis melioribus, 157.

> Atque oculos ingesto fulgure clausit.

Et præterea orationis filum interrumpit: *Æther obstitit, detulit, clausit, excussit, perfudit, liquavit*, Hæc omnia a casu recto suo abscinduntur, si illud interseris.

156. *Et trabibus mistis avidos typhonas aquarum*] Lege *Siphonas*. Olympiodorus in meteoris: καῦται δὲ σίφωνα (vocant) διὰ τὸ δίκην τοῦ σίφωνος ἀνασπᾷν τὸ ὕδωρ τῆς θαλάσσης. Plin. ii. 49. *ex eodem genere et in longam veluti fistulam nubes aquam trahit*. Grotius. Immo recte habet, quod omnes codices præferunt, *Typhonas*. Et res et vox nota est ex Plinio, Gellio, et aliis. at *Siphona*, nisi pro instrumento, Latini nesciunt.

159. ——— *Ereptaque pila liquavit;*] Forte *Ferrataque pila*. Sen. Nat. Quæst. p. 162. *Manente vagina gladius liquescit, et inviolato ligno circa pila ferrum omne distillat*.

164. *Usque ad Thessaliam Romana, et publica signa.*] Ἀναφορὰ est. nam vox *signa* præcessit versu ante quarto. Dicit autem illa signa fuisse publica populi Romani, usque ad pugnam Pharsalicam. Postea enim nulla in Cæsarem, nisi privata arma. Similis locus Taciti: *Postquam Bruto et Cassio cæsis nulla jam publica arma*. Grotius.

Admotus Superis discussa fugit ab ara
Taurus, et Emathios præceps se jecit in agros;
Nullaque funestis inventa est victima sacris.
At tu, quos scelerum Superos? quas rite vocasti
Eumenidas, Cæsar? Stygii quæ numina regni?
Infernumque nefas? et mersos nocte furores?
Impia tam sæve gesturus bella litasti?
Jam dubium monstrisne Deum, nimione pavori
Crediderint: multis concurrere visus Olympo
Pindus, et abruptis mergi convallibus Æmus
Edere nocturnas belli Pharsalia voces,
Ire per Ossæam rapidus Bœbeida sanguis:
Inque vicem vultus tenebris mirantur apertos,
Et pallere diem, galeisque incumbere noctem,
Defunctosque patres, et cunctas sanguinis umbras
Ante oculos volitare suos. sed mentibus unum
Hoc solamen erat, quod voti turba nefandi
Conscia, quæ patrum jugulos, quæ pectora fratrum

165. *Admotus Superis discussa fugit ab ara*
Taurus,] Citat Servius ad ix. Æn. additque, *Quoties victima reluctabatur, ostendebat se improbari.* Grotius.

168. *At tu, quos scelerum Superos? quas rite vocasti*
Eumenidas,] Lego hic,

At tu, quos *SCELERI* Superos, quas rite vocasti
Eumenidas?

Æn. iii. 222.

——— divos ipsumque vocamus
In prædam partemque Jovem.

Æn. v. 186.

Auxilioque vocare deos, et tendere palmas.

171. *Impia tam sæve gesturus bella litasti?*] Tolle notam interrogationis. Hoc ex historia petitum. Pompeius litare non potuit, Cæsar litavit. vide Appianum; et Plutarchum in Cæsare.

174. —— *Et abruptis mergi convallibus Æmus,*] Quarto abhinc versu 170 habuimus, *Et* mersos *nocte furores.* Lege ergo,

Pindus, et abruptis *VERGI* convallibus Hæmus.

Pindus *concurrit* Olympo, Hæmus *concurrit* convallibus; quod facere non potest nisi *Vergatur,* et inclinetur.

176. *Ire per Ossæam rapidus Bœbeida sanguis:*] Variant in penultima voce MSS. sed veram esse hanc lectionem ostendit Homerus Bœotia, Propertius l. 11. eleg. 11. Strabo l. ix. Grotius.

177. —— *Vultus tenebris mirantur apertos,*] Imo *opertos,* ut habet MSS. consensus. vident alter alterius ora subitis tenebris obducta. Grotius. Omnes nostri, *opertos,* et res per se patet.

179. *Defunctosque patres, et cunctas sanguinis umbras*] Quæ, quæso, illæ sunt *Sanguinis umbræ?* Credideram *Sanguine cassas* fuisse.

——— licet ingens janitor antro
Æternum latrans *exsangues* terreat *umbras.*

Corrige,

Defunctosque patres, et *JUNCTI* sanguinis umbras
Ante oculos volitare suos.

Sperabat, gaudet monstris, mentisque tumultu,
Atque omen scelerum subitos putat esse furores.
Quid mirum, populos, quos lux extrema manebat
Lymphato trepidasse metu? præsaga malorum
Si data mens homini est, Tyriis qui Gadibus hospes
Adjacet, Armeniumque bibit Romanus Araxem:
Sub quocunque die, quocunque est sidere mundi,
Mœret, et ignorat causas, animumque dolentem
Corripit: Emathiis quid perdat, nescit, in arvis.
Euganeo, si vera fides memorantibus, Augur
Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei dispergitur unda Timavi,
Venit summa dies, geritur res maxima, dixit:
Impia concurrunt Pompeii et Cæsaris arma.
Seu tonitrus, ac tela Jovis præsaga notavit:
Aëra seu totum discordi obsistere cœlo,
Prospexitque polos: seu lumen in æthere mœstum,
Solis in obscuro pugnam pallore notavit.
Dissimilem certe cunctis, quos explicat, egit
Thessalicum Natura diem: si cuncta perito

Patres, et *juncti sanguinis* sive cognatorum umbras. Noster l. iii. *Nam pignora juncti Sanguinis.* Silius x. 566. *Non juncta propinquo Sanguine turba virum.* Statius Thebaid. ii.

Propriorque fluit de sanguine juncto
Juppiter.

183. —— *Gaudet monstris, mentisque tumultu,*
Atque omen] Et mala distinctione et mendo locus hic laborat. Repone ex aliis codicibus,

——— gaudet monstris; mentisque *tumultus*
Atque omen scelerum subitos putat esse furores.

Suæ *mentis,* sibi male consciæ, *tumultus,* et venturi omen, putat furores esse a faventibus Diis immissos. sic Vulteius iv. 517. suum ipsius ardorem diis adscribit.

——————— totusque futuræ
Mortis agor stimulis, *furor* est. agnoscere solis
Permissum est, *&c.*

Virgilius,

—— Diine hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido.

190. —— *Animumque dolentem Corripit: Emathiis quid perdat, nescit, in arvis.*] Repone, et fide plurium codicum, et jussu ipsius sententiæ,

Corripit: Emathiis quid perdat *NESCIUS* arvis.

192. —— *Augur*] Cornelius Sacerdos Gellio. xvi. 18. Historiam narrat Plutar. Grotius.

194. *Atque Antenorei dispergitur unda Timavi,*] Scaliger in Hypercritico. *Neque verum est, quod ait, Timavum esse ubi est Aponus: nam et fluvius Medoacus haud parum distat ab Apono, et Timavus Virgilianus,* Æn. i. 248.

Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum.

At in toto agro Patavino nihil ejusmodi. Virgilius ipse. Æn. i. 246.

Antenor potuit —— ——
—— —— ——

Augure mens hominum cœli nova signa notasset,
Spectari e toto potuit Pharsalia mundo.
O summos hominum, quorum Fortuna per orbem
Signa dedit, quorum fatis cœlum omne vacavit.
Hæc et apud seras gentes, populosque nepotum,
Sive sua tantum venient in secula fama,
Sive aliquid magnis nostri quoque cura laboris
Nominibus prodesse potest: cum bella legentur,
Spesque metusque simul, perituraque vota movebunt:
Attonitique omnes veluti venientia fata,
Non transmissa legent, et adhuc tibi, Magne, favebunt.
Miles ut adverso Phœbi radiatus ab ictu
Descendens totos perfudit lumine colles,
Non temere immissus campis: stetit ordine certo
Infelix acies. cornus tibi cura sinistri,
Lentule, cum prima, quæ tum fuit optima bello,
Et quarta legione, datur: tibi numine pugnax
Adverso, Domiti, dextri frons tradita martis.
At medii robur belli fortissima densant
Agmina, quæ Cilicum terris deducta tenebat

Regna Liburnorum et fontem superare Timavi.
— — —
— — —
Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit
Teucrorum.

Silius xii.

Atque *Antenorea* sese de stirpe ferebat
Haud levior generis fama sacroque *Timavo*
Gloria, et *Euganeis* dilectum nomen in oris.
—— atque *Apono* gaudens populus.

Statius Silv. iv. 7. de Livio Patavino.

———— Orsa
Sallusti brevis, et Timavi reddis alumnum.

Martial. xiii. 89.

—— Euganei Timavi.

Cluverius, *Ab Apono* centum *millia passuum abest Timavus.* Aponus prope Pataviam est. Ergo Virgilius in eadem culpa est, qui Timavum et urbem Patavi junxit. Euganei integrum illud terræ spatium olim tenebant. Cluverius p. 194. Iterum notatur Lucani imperitia; *Dispergitur unda Timavi.* Atqui Timavus ex septem fontibus ortus, in unum flumen colligitur, et uno ostio in mare exit. Mille fere passus sunt a fontibus ad ostium Timavi. In recessu æstus Timavi fontes dulces sunt et leniter effluunt; at ubi æstus maris intumuit, tum magno fragore exeunt, et salsi sunt, et adjacentia prata late inundant ad speciem maris.

199. *Prosperitque polos :*] *Perspexitque* habent omnes MSS. Grotius.

216. *Non temere immissus campis:*] Placet codex Bersmanni, qui NEC, idem cum Regio in priore versu PERFUNDIT. et altero abhinc versu, distingue post *Miles :* nec intellige *ut primum miles,* sed *utpote radiatus.*

217. —— *Cornus tibi cura sinistri,*] Antiquus genitivus erat *cornuis*, inde contractum *cornus.* Et ita hunc locum, ne quis errorem suspicetur, producit ad ii. Æneida Servius. Sic et in Arateis Ciceroni genitivus à *genu* est *genus.* sic et *cervini cornus* dixere Plinius et Celsus. Grotius.

Scipio, miles in hoc, Libyco dux primus in orbe.
At juxta fluvios, et stagna undantis Enipei,
Cappadocum montana cohors, et largus habenis
Ponticus ibat eques. sicci sed plurima campi
Tetrarchæ, regesque tenent, magnique tyranni,
Atque omnis Latio quæ servit purpura ferro.
Illuc, et Libye Numidas, et Creta Cydonas
Misit: Itureis cursus fuit inde sagittis:
Inde, truces Galli, solitum prodistis in hostem:
Illic pugnaces commovit Iberia cetras.
Eripe victori gentes, et sanguine mundi
Fuso, Magne, semel, totos consume triumphos.
Illo forte die Cæsar statione relicta,
Ad segetum raptus moturus signa, repente
Conspicit in planos hostem descendere campos,
Oblatumque videt votis sibi mille petitum
Tempus, in extremos quo mitteret omnia casus.
Æger quippe moræ, flagransque cupidine regni,
Cœperat exiguo tractu civilia bella
Ut lentum damnare nefas. discrimina postquam
Adventare ducum, supremaque prælia vidit,
Casuram et fati sensit nutare ruinam,

221. —— *Fortissima densant Agmina, quæ Cilicum*] Lege FIRMISSIMA. Cæsar iii. 88. de his ipsis: *Ciliciensis legio cum cohortibus Hispanis in dextro cornu erant collocatæ: has firmissimas se habere Pompeius existimabat.* Hirtius, Bello Alex. 45. *Elige ex tuis cohortem unam, quam putas esse firmissimam.*

232. *Illic pugnaces commovit Iberia cetras.*] Rideo illas *Pugnaces cetras:* etsi epitheton istud rei inanimæ interdum conveniat. ut viii. 464.

> ———— pugnaci litora velo
> Vix tetigit.

et Ovid. Fast. ii. 547.

> —— dum longa gerunt pugnacibus armis
> Bella.

et Trist. v. 7.

> Victaque pugnaci jura sub ense jacent.

Sed minime cetræ, sive scuto, quæ non pugnat, non certat, non vulnerat, sed a vulnere, quantum potest, defendit: Parma enim, Pelta et Cetra male defendebant corpus, necdum ut *pugnaces* fuerint. Statius Thebaid. vii.

> Sævaque difficiles excludere vulnera peltas.

Martialis xiv. 213.

> Hæc quæ sæpe solet vinci, quæ vincere raro
> Parma.

Corrige,

> Illic *LUNATAS* commovit Iberia cetras.

Livius xxviii. 5. *Pelta*, inquit, *cetræ haud dissimilis est.* Atqui Pelta lunata est; ergo et Cetra. Virgilius Æn. i. 494.

> Ducit Amazonidum *lunatis* agmina *peltis.*

et xi. 662.

> Feminea exultant lunatis agmina peltis.

Erit fortasse, qui Bersmanniani codi-

Illa quoque in ferrum rabies promtissima, paulum
Languit, et casus audax spondere secundos,
Mens stetit in dubio, quam nec sua fata timere,
Nec Magni sperare sinunt, formidine mersa
Prosilit hortando melior fiducia vulgo.
  O domitor mundi, rerum fortuna mearum,
Miles, adest toties optatæ copia pugnæ.
Nil opus est votis: jam fatum accersite ferro.
In manibus vestris, quantus sit Cæsar, habetis.
Hæc est illa dies, mihi quam Rubiconis ad undas
Promissam memini, cujus spe movimus arma,
In quam distulimus vetitos remeare triumphos.
Hæc eadem est hodie, quæ pignora, quæque penates
Reddat, et emerito faciat vos marte colonos.
Hæc, fato quæ teste probet, quis justius arma
Sumserit, hæc acies victum factura nocentem est.
Si pro me patriam ferro flammisque petistis,
Nunc pugnate truces, gladiosque exolvite culpa.
Nulla manus belli, mutato judice, pura est.
Non mihi res agitur, sed vos, ut libera sitis
Turba, precor, gentes ut jus habeatis in omneis.
Ipse ego privatæ cupidus me reddere vitæ,
Plebeiaque toga modicum componere civem:

cis lectionem probet CELTAS: sed quid est, *Commovit Celtas?* aut quid, *Iberia Celtiberos?* crediderim illud *Celtas*, natum esse ex glossemate, *Peltas.* Poteris etiam *Pulsatas cetras;* hoc enim eis moris erat, cum in præliis, tum in festis et ludis. Silius x. 230.

——— ac ritu jam moris Hiberi
Carmina *pulsata* fundentem barbara *cetra.*

et, iii. 348.

Ad numerum resonas gaudentem *plaudere cetras.*

244. *Casuram et fati sensit nutare ruinam,*] Ita reposuimus pro *fatis*, sensu manifesto. Grotius. *Fati* quidem Pulmanni Bersmannique codices aliquot habent, nostri omnes *Fatis.* Legendum,

CESSURAM et fatis sensit nutare ruinam.

Noster viii. 575.

Sed *cedit fatis*, classemque relinquere jussus
Obsequitur.

249. *Prosilit hortando melior fiducia vulgo.*] *Dubius erat spei metusque: sed metu suppresso spem aperit, ut quæ utilior incitandis militum animis.* Dux secum metuere omnia debet: coram milite nihil. Grotius.

258. ——— *Et emerito faciat vos marte colonos.*] Ita melius quam *emeritos.* Hæc dies bello debellato colonos vos faciet. Grotius.

263. *Nulla manus belli, mutato judice, pura est.*] Λύσανδρος καλέσας Φιλοκλέα τὸν στρατηγὸν, ἠρώτησεν αὐτὸν, τίνα τιμᾶται δίκην ἑαυτῷ τοιαῦτα περὶ Ἑλλήνων συμβεβουλευκὼς τοῖς πολίταις, ὁδὶ, οὐδὲν τί πρὸς τὴν συμφορὰν ἐνδοὺς, ἐκέλευσε μὴ κατηγορεῖν, ὧν οὐδεὶς

Omnia dum vobis liceant, nihil esse recuso.
Invidia regnate mea. nec sanguine multo
Spem mundi petitis: Graiis delecta juventus
Gymnasiis aderit, studioque ignava palæstræ,
Et vix arma ferens, et mistæ dissona turbæ
Barbaries; non illa tubas, non agmine moto
Clamorem latura suum. civilia paucæ
Bella manus facient: pugnæ pars magna levabit
His orbem populis, Romanumque obteret hostem.
Ite per ignavas gentes, famosaque regna,
Et primo ferri motu prosternite mundum:
Sitque palam, quas tot duxit Pompeius in urbem
Curribus, unius gentes non esse triumphi.
Armeniosne movet, Romana potentia cujus
Sit ducis? aut emtum minimo vult sanguine quisquam
Barbarus Hesperiis Magnum præponere rebus?
Romanos odere omnes, dominosque gravantur,
Quos novere, magis. sed me Fortuna meorum
Commisit manibus, quorum me Gallia testem

ἐστι δικαστὴς, ἀλλὰ νικῶντα πράττειν, ἅπερ ἂν νικηθεὶς ἔπασχεν. Plutarchus hæc. At Tacitus tribuit Civili Batavo hoc dictum: *Victoriæ rationem non reddi.* Grotius.

269. *Invidia regnate mea.*] Eleganter dictum. Livius xxiv. 25. *Quid enim sua sponte fecisse puerum? tutores ac magistros ejus sub aliena* invidia *regnasse.*

270. ——— *Graiis delecta juventus*
Gymnasiis aderit,] Cave credas, cum hostium virtutem verbis deprimere cupit, tam honesto vocabulo usurum, DELECTA. repone COLLECTA, ut infra 558.

Non illic regum auxiliis *collecta juventus.*

Undecumque *Collecta*, nullo delectu.

281. *Armeniosne movet, Romana potentia cujus*
Sit ducis? aut emtum minimo vult sanguine quisquam
Barbarus Hesperiis Magnum præponere rebus?] *Minimo* posuimus ex MS. non *nimio*. An externi vel minimum sanguinis impendere velint rei ad se non pertinenti? Sapiens sententia et multis experimentis probata, quæ et ad subditos pro regum potentia, non pro sua salute aut commodis pugnantes, pari ratione extenditur. Demosthenes, Olynthiaca II: μὴ γὰρ οἴεσθε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς αὐτοῖς Φίλιππόν τι χαίρειν καὶ τοὺς ἀρχομένους. ἀλλ' ὁ μὲν δόξης ἐπιθυμεῖ, καὶ τοῦτο ἐζήλωκε, καὶ προῄρηται πράττων καὶ κινδυνεύων, ἂν συμβῇ τι παθεῖν, τὴν τοῦ διαπράξασθαι ταῦτα, ἃ μηδεὶς πώποτε ἄλλος Μακεδόνων βασιλεὺς, δόξαν ἀντὶ τοῦ ζῆν ἀσφαλῶς ᾑρημένος· τοῖς δὲ τῆς μὲν φιλοτιμίας τῆς ἀπὸ τούτων οὐ μέτεστι· κοπτόμενοι δ' ἀεὶ ταῖς στρατείαις ταύταις ταῖς ἄνω τε καὶ κάτω λυποῦνται, καὶ συνεχῶς ταλαιπωροῦσιν. et quæ sequuntur. Idem in responso ad epistolam Philippi: μὴ γὰρ οἴεσθε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς αὐτοῖς χαίρειν Φίλιππόν τι καὶ τοὺς ἀρχομένους· ἀλλ' ἐννοεῖσθε, ὡς ὁ μὲν ἐπιθυμεῖ δόξης, οἱ δὲ ἀσφαλείας. καὶ αὐτῷ μὲν οὐκ ἔστι τυχεῖν ταύτης ἀκινδύνως, οἱ δ' οὐδὲν δέονται καταλιπόντες οἴκοι τέκνα, γονεῖς, γυναῖκας φθείρεσθαι καὶ καθ' ἑκάστην

Tot fecit bellis. cujus non militis ensem
Agnoscam? cœlumque tremens cum lancea transit,
Dicere non fallar, quo sit vibrata lacerto.
Quod si signa ducem nunquam fallentia vestrum
Conspicio, faciesque truces, oculosque minaces;
Vicistis. videor fluvios spectare cruoris,
Calcatosque simul Reges, sparsumque Senatus
Corpus, et immensa populos in cæde natantes.
Sed mea fata moror, qui vos in tela ruentes
Vocibus his teneo. veniam date bella trahenti
Spe trepido: haud unquam vidi tam magna daturos
Tam prope me Superos: camporum limite parvo
Absumus a votis. ego sum, cui marte peracto,
Quæ populi, Regesque tenent, donare licebit.
Quone poli motu, quo cœli sidere verso,
Thessalicæ tantum, Superi, permittitis oræ?
Aut merces hodie bellorum, aut pœna paratur.
Cæsareas spectate cruces, spectate catenas,
Et caput hoc positum rostris, effusaque membra,

ἡμέραν κινδυνεύειν ὑπὲρ αὐτῶ. Tacitus in oratione Galgaci: *Nisi si Gallos et Britannos, et (pudet dictu) Britannorum plerosque dominationi alienæ sanguinem commodantes diutius tamen hostes quam servos, fide et affectu teneri putatis.* Frontinus de Hispanis qui Pœno militabant: *Robustus quidem miles, sed qui alienum negotium ageret.* Sic Lazi apud Procopium Gotthicorum IV. ὅτι δὴ Ῥωμαῖοι μὲν, ὅτι πατρίδος, ὅτι τῶν ἀναγκαίων προκινδυνεύοντες εἰς τὸν ἀγῶνα καθίσανται. et quæ ibi sequuntur. Grotius.

285. —— *Sed me Fortuna meorum*
Commisit manibus, quorum me Gallia testem
Tot fecit bellis.] Lege ex aliis codicibus QUARUM: id postulant quæ sequuntur, *Ensis, Lancea.*

301. *Quone poli motu,*] Hic *ne* breve est, adjectio supervacua ad vocabulum interrogativum. Sic lib. x.

—————— quantosne tumores
Mente gerit famulus?

Neque vero sine veterum exemplo. Nam et Horatius in Satyris dixerat:

Quo —— ne malo mentem percussa?
———— timore deorum.

et mox,

———————— illa rogare
Quanta ne.

Sic et apud Virg. l. xi. Æn. Asper legebat: *Quosne nefas.* Grotius.

304. *Cæsareas spectate cruces,*] Plutarchus Cæsari hæc verba tribuit: τῦτο ἐβυλήθησαν, εἰς τῦτο με ἀνάγκης ὑπήγαγον, ἵνα Γάϊος Καίσαρ ὁ μεγίστυς πολέμυς κατορθώσας, εἰ προηκάμην τὰ στρατιύματα κἂν κατεδικάσθην. Quæ Suetonius sic Cæsaris verbis extulit auctore Asinio Pollione: *Hoc voluerunt: tantis rebus gestis C. Cæsar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petissem.* Grotius. Corrigo,

CARNIFICIS SPERATE cruces, *SPERATE* catenas,
Et caput *IM*positum rostris.

Ovid. Amor. i. 12.

Præbuit illa arbor misero suspendia collo,
Carnifici duras præbuit illa *cruces.*

Septorumque nefas, et clausi prælia campi.
Cum duce Syllano gerimus civilia bella.
Vestri cura movet. nam me secura manebit
Sors quæsita manu: fodientem viscera cernet
Me mea, qui nondum victo respexerit hoste.
Dii, quorum curas abduxit ab æthere tellus,
Romanusque labor, vincat, quicunque necesse
Non putat in victos sævum distringere ferrum,
Quique suos cives, quod signa adversa tulerunt,
Non credit fecisse nefas. Pompeius in arcto
Agmina vestra loco vetita virtute moveri
Cum tenuit, quanto satiavit sanguine ferrum!
Vos tamen hoc oro, juvenes, ne cædere quisquam
Hostis terga velit: civis, qui fugerit, esto.
Sed dum tela micant, non vos pietatis imago
Ulla, nec adversa conspecti fronte parentes
Commoveant: vultus gladio turbate verendos.
Sive quis infesto cognata in pectora ferro
Ibit, seu nullum violabit vulnere pignus,
Ignoti jugulum tanquam scelus imputet hostis.
Sternite jam vallum, fossasque implete ruina,

Seneca Suaso. vii. p. 43. Caput Ciceronis *in rostris positum*. p. 44. *jussit pro rostris exponi*. p. 45. *positi in rostris capitis*. Noster i. 123.

Ora ferens miles festæ rorantia mensæ
mposuit.

306. *Septorumque nefas*,] Hoc dicit ob quatuor legiones in Campo Martio trucidatas imperio Sullæ, cujus imitator erat Pompeius. vide quæ supra libro II. Grotius.

315. —— *Pompeius in arcto Agmina vestra loco*] Alii codices NOSTRA, quod civilius et gratius est.

318. *Vos tamen hoc oro, juvenes*,] Alii Codices, *Ast ego vos oro*. quod recipimus.

325. *Ignoti jugulum tanquam scelus imputet hostis*.] Lectio ex MS. sensus: Etiam si quis in adversa acie propinquum nullum invenerit quem occidat, cædem ignoti cujusvis tanto in beneficio accipiam, quasi mea causa parricidium fecisset. Narrat Tacitus bello civili quod inter Vitellium et Vespasianum fuit, militem occisi à se fratris præmium petiisse. Grotius. Recte quidem IMPUTET, quod codices fere omnes habent, adscivit Vir magnus cum priores editi haberent IMPETAT: sed a sententia loci aberrat, *Cædem ignoti cujusvis tanto in beneficio accipiam, quasi mea causa parricidium fecisset*. Itane vero? Cur ignotus quivis jugulatus par sit fratri aut patri? qua causa? quo consilio? ex hac parte, sententia vel absurda vel nulla est; ex altera, scelesta et nefaria. Quo enim pertinet, miles ille Vitellianus? cur non et illud Vitellii addidit, *Optime olere occisum hostem, et melius civem*. Certe eodem recidit Viri magni interpretatio: quam si Lucanus ipse tam detestabilem affinxisset Cæsari, omnem pudorem exuisset. Ve-

Exeat ut plenis acies non sparsa maniplis.
Parcite ne castris: vallo tendetis in illo,
Unde acies peritura venit. vix cuncta locuto
Cæsare, quemque suum munus trahit, armaque raptim
Sumta viris: celeres capiunt præsagia belli;
Calcatisque ruunt castris: stant ordine nullo,
Arte ducis nulla: permittunt omnia fatis.
Si totidem Magni soceros, totidemque petentes
Urbis regna suæ funesto in marte locasses,
Non tam præcipiti ruerent in prælia cursu.
  Vidit ut hostiles in rectum exire catervas
Pompeius, nullasque moras permittere bello,
Sed Superis placuisse diem: stat corde gelato
Attonitus: tantoque duci sic arma timere
Omen erat. premit inde metus, totumque per agmen
Sublimi provectus equo: quem flagitat, inquit,
Vestra diem virtus, finis civilibus armis,
Quem quæsistis, adest. totas effundite vires;
Extremum ferri superest opus, unaque gentes
Hora trahit. quisquis patriam, carosque penates,
Qui sobolem, ac thalamos, desertaque pignora quærit,

ra loci sententia hæc est: Dixerat, Terga hostis ne cædite, qui fugerit, civis sit, vel in partibus nostris numeratur. Hosti vero adverso et arma tenenti nolite parcere, seu patri seu fratri incurratis: Addit, Sive in cognatos inciditis, sive non; *ignoti* hostis jugulum, quem ex armatura non Italum agnoscitis, tamquam scelus imputate. *Imputet tamquam scelus*, hoc est, imputet *sibi*, reputet, tamquam scelus fecerit. Veto, interdico, tamquam scelus puniam; siquis in Auxiliaribus occidendis tempus perdat, solos Romanos petite, cæteros contemnite, Appianus Civil. ii. 474. in hac ipsa Cæsaris allocutione. Καὶ τάδε μοι περὶ μόνων ἐστὶ τῶν Ἰταλῶν. ἐπεὶ τῶνγε συμμάχων μηδὲ φροντίζετε, μηδ᾽ ἐν λόγῳ τίθεσθε, μηδὲ μάχεσθε ὅλως ἐκείνοις—ἔχεσθε δὲ μοι τῶν Ἰταλῶν μόνων. *Cæterum de solis Italis loquor: nam Auxiliares ne curetis quidem, aut in ullo numero habeatis, aut omnino cum illis pugnetis: —— Italos, inquam, solos urgete.*

330. —— *Armaque raptim*
Sumta viris: celeres capiunt præsagia belli;] Egregie alii Codices:

Sumta *CERESQUE* viris: capiunt, &c.

Disciplina erat, numquam milites nisi pransos et corporibus curatis in prælium educere. Inde titulus libro Varronis, citante Nonio, *Pransus paratus.* Cato senior (Fragm. p. 185.) *Exercitum suum pransum paratum cohortatus eduxit foras atque instruxit.*

335. —— *Funesto in marte locasses,*] Erat in editis, *locasset*. Reposuimus *locasses*, id est, si quis locasset: quale: *In cælum, jusseris, ibit.* Si quis vulgatam præfert, subaudiendum erit, Cæsar. Grotius. Recte vir magnus *Locasses:* licet omnes quos noverim codices *Locasset.* neque subintelligi potest *Cæsar*, quale enim esset, *si Cæsar tot Magni soceros, tot Cæsares, locasset?*

Ense petat: medio posuit Deus omnia campo.
Causa jubet melior Superos sperare secundos.
Ipsi tela regent per viscera Cæsaris, ipsi
Romanas sancire volent hoc sanguine leges.
Si socero dare regna meo, mundumque pararent,
Præcipitare meam fatis potuere senectam.
Non iratorum populis urbique Deorum est
Pompeium servare ducem. quæ vincere possent
Omnia contulimus. subiere pericula clari
Sponte viri, sacraque antiquus imagine miles.
Si Curios his fata darent, reducesque Camillos
Temporibus, Deciosque caput fatale voventes,
Hinc starent. primo gentes oriente coactæ,
Innumeræque urbes, quantas in prælia nunquam
Excivere manus. toto simul utimur orbe.
Quicquid signiferi comprensum limite cœli
Sub Noton, et Borean hominum sumus, arma movemus.
Nonne superfusis collectum cornibus hostem
In medium dabimus? paucas victoria dextras
Exigit: at plures tantum clamore catervæ
Bella gerent. Cæsar nostris non sufficit armis.
Credite pendentes e summis mœnibus urbis
Crinibus effusis hortari in prælia matres.
Credite grandævum, vetitumque ætate Senatum
Arma sequi, sacros pedibus prosternere canos:
Atque ipsam domini metuentem occurrere Romam.
Credite, qui nunc est, populum, populumque futurum
Permistas afferre preces. hæc libera nasci,
Hæc vult turba mori. si quis post pignora tanta
Pompeio locus est, cum prole, et conjuge supplex,
Imperii salva si majestate liceret,

342. *Sublimi provectus equo:*] Repone ex aliis codicibus PRÆVECTUS equo.

357. —— *Sacraque antiquus imagine miles.*] Libenter hæc mutaverim in,

Sponte viri, *ET PRISCA VENERANDUS* imagine miles.

363. *Quicquid signiferi comprensum limite cœli*] *Cœli*, ut iii. 254.

Signiferi regione *poli*.

Quidam Codices CYCLI. Lege STELLIFERI. Sen. Nat. Quæst. vi. 11. *Cometas non in una cœli parte aspici nec in* signifero *tantum orbe, sed tam in ortu quam in occasu, frequentissime tamen circa septentrionem.* Herc. Fur. 1204. *Stelliger mundus sonet,* ubi legendum, *Tonet.*

Volverer ante pedes. Magnus, nisi vincitis, exul,
Ludibrium soceri, vester pudor, ultima fata
Deprecor, ac turpes extremi cardinis annos,
Ne discam servire senex. Tam mœsta locuti
Voce ducis flagrant animi, Romanaque virtus
Erigitur, placuitque mori, si vera timeret.
  Ergo utrinque pari concurrunt agmina motu
Irarum: metus hos regni, spes excitat illos.
Hæ facient dextræ, quicquid non expleat ætas
Ulla, nec humanum reparet genus omnibus annis,
Ut vacet a ferro. gentes mars iste futuras
Obruet, et populos ævi venientis in orbem
Erepto natale feret. tunc omne Latinum
Fabula nomen erit: Gabios, Veiosque, Coramque
Pulvere vix tectæ poterunt monstrare ruinæ,
Albanosque lares, Laurentinosque penates
Rus vacuum, quod non habitet nisi nocte coacta
Invitus, questusque Numam jussisse, Senator.
Non ætas hæc carpsit edax, monimentaque rerum
Putria destituit: crimen civile videmus,
Tot vacuas urbes. generis quo turba redacta est
Humani? toto populi qui nascimur orbe,
Nec muros implere viris, nec possumus agros.
Urbs nos una capit: vincto fossore coluntur
Hesperiæ segetes: stat tectis putris avitis
In nullos ruitura domus: nulloque frequentem
Cive suo Romam, sed mundi fæce repletam,
Cladis eo dedimus, ne tanto in tempore bellum
Jam posset civile geri: Pharsalia tanti
Causa mali. cedant feralia nomina Cannæ,
Et damnata diu Romanis Allia fastis.

367. —— *At plures tantum clamore catervæ*] Lege ex aliis codicibus AC.

385. *Ergo utrinque pari concurrunt agmina motu*] Nondum *Concurrunt*, nec nisi versu demum 470. Repone PROCURRUNT. iv. 772.

—— neque enim licuit *procurrere* contra
Et miscere manus.

386. —— *Metus hos regni, spes excitat illos.*] Ita distinximus. Non enim quovis metu vult pugnasse Pompeianos, sed metu tyrannidis, at Cæsarianos contra tyrannidem sperasse. Grotius.

397. —— *Monimentaque rerum*
Putria destituit:] Vera hæc distinctio: Italiæ ædificia non ætas destituit,

Tempora signavit leviorum Roma malorum:
Hunc voluit nescire diem. pro tristia fata!
Aëra pestiferum tractu, morbosque fluentes,
Insanamque famem, permissasque ignibus urbes;
Mœniaque in præceps laturos plena tremores
Hi possent explere viri: quos undique traxit
In miseram Fortuna necem, dum munera longi
Explicat eripiens ævi, populosque, ducesque,
Constituit campis: per quos tibi Roma ruenti
Ostendat quam magna cadas. quo latius orbem
Possedit, citius per prospera fata cucurrit.
Omne tibi bellum gentes dedit omnibus annis:
Te geminum Titan procedere vidit in axem.
Haud multum terræ spatium restabat Eoæ,
Ut tibi nox, tibi tota dies, tibi curreret æther,
Omniaque errantes stellæ Romana viderent.
Sed retro tua fata tulit par omnibus annis
Emathiæ funesta dies. hac luce cruenta
Effectum, ut Latios non horreat India fasces,
Nec vetitos errare Daas in mœnia ducat:
Sarmaticumque premat succinctus Consul aratrum:
Quod semper sævas debet tibi Parthia pœnas,
Quod fugiens civile nefas, redituraque nunquam
Libertas, ultra Tigrim, Rhenumque recessit,
Ac, toties nobis jugulo quæsita, negatur,
Germanum, Scythicumque bonum: nec respicit ultra
Ausoniam: vellem, populis incognita nostris:
Vulturis ut primum lævo fundata volatu

sed jacent culpa belli civilis. vide prooemium Pharsaliæ. Grotius.

414. *Mœniaque in præceps laturos plena tremores*
Hi possent explere viri:] Dic sodes quæ sunt *plena mœnia?* præsertim cum mox sequatur, *Explere*. Corrige,

Mœniaque in præceps laturos *PLANA* tremores.

Laturos plana in præceps: ut i. 383.

Tu quoscumque velis *in planum effundere muros.*

419. *Ostendat quam magna cadas. quo latius orbem*
Possedit, citius per prospera fata cucurrit.] *Possedit*, Fortuna scilicet Populi Romani. ut i. 109.

——— populique potentis,
Quæ mare, quæ terras, quæ totum *possidet* orbem,
Non cepit Fortuna duos.

Atqui hoc durissime infertur, nisi legeris,

Ostendat quam magni *CADAT*.

Romulus infami complevit mœnia luco,
Usque ad Thessalicas servisses, Roma, ruinas.
De Brutis, Fortuna, queror. quid tempora legum
Egimus, aut annos a Consule nomen habentes?
Felices Arabes, Medique, Eoaque tellus,
Quam sub perpetuis tenuerunt fata Tyrannis.
Ex populis, qui regna ferunt, sors ultima nostra est,
Quos servire pudet. Sunt nobis nulla profecto
Numina: cum cæco rapiantur secula casu,
Mentimur regnare Jovem. spectabit ab alto
Æthere Thessalicas, teneat cum fulmina, cædes?
Scilicet ipse petet Pholoën? petet ignibus Œten,
Immeritæque nemus Rhodopes, pinusque minanteis?
Cassius hoc potius feriet caput? astra Thyestæ
Abstulit, et subitis damnavit noctibus Argos:
Tot similes fratrum gladios, patrumque gerenti
Thessaliæ dabit ille diem? mortalia nulli
Sunt curata Deo. cladis tamen hujus habemus
Vindictam, quantam terris dare numina fas est.
Bella pares Superis facient civilia divos:
Fulminibus manes, radiisque ornabit, et astris,
Inque Deum templis jurabit Roma per umbras.
Ut rapido cursu fati suprema morantem
Consumsere locum: parva tellure diremti,
Inde manum spectant, vultusque agnoscere quærunt,
Quo sua pila cadant, aut qua sibi fata minentur,
Facturi quæ monstra forent. videre parentes
Frontibus adversis, fraternaque comminus arma,

Sic passim apud Poëtas, Fortuna stare, manere, recedere, ruere, occidere dicitur. Res ex Floro patet, i. 1. Prope 250 annos cum Finitimis luctatus est, per 250 annos Italiam subegit, dehinc ad Cæsarem Augustum 200 anni, quibus totum orbem pacavit.

433. *Libertas, ultra Tigrim, Rhenumque recessit,*] Quasi dicat, ultra terminos Imperii Romani. Sed cum infra dicat Germanis et Scythis concessam libertatem, vereor ne *Tanaim* sit legendum, quem ultra Scythæ, ut trans Rhenum Germani. Ultra Tigrim certe Parthi regnabantur, non autem liberi erant. Itaque opponit Tacitus: *acrior Arsacis regno Germanorum libertas.* Grotius.

440. —— *Quid tempora legum Egimus, aut annos a Consule nomen habentes?*] Liv. initio lib. ii. *Liberi jam hinc populi Romani res pace belloque gestas, annuos magistratus, imperiaque legum potentiora quam hominum peragam.* Grotius.

Nec libuit mutare locum: tamen omnia torpor
Pectora constrinxit: gelidusque in viscera sanguis
Perculsa pietate coit: totæque cohortes
Pila parata diu tensis tenuere lacertis.
Dii tibi non mortem, quæ cunctis pœna paratur,
Sed sensum post fata tuæ dent, Crastine, morti,
Cujus torta manu commisit lancea bellum,
Primaque Thessaliam Romano sanguine tinxit.
O præceps rabies, cum Cæsar tela teneret,
Inventa est prior ulla manus! tunc stridulus aër
Elisus lituis, conceptaque classica cornu:
Tunc ausæ dare signa tubæ; tunc æthera tendit,
Extremique fragor convexa irrumpit Olympi:
Unde procul nubes, quo nulla tonitrua durant.
Excepit resonis clamorem vallibus Æmus,
Peliacisque dedit rursus geminare cavernis:
Pindus agit gemitus, Pangæaque saxa resultant,
Œtææque gemunt rupes. vocesque furoris
Expavere sui tota tellure relatas.
Spargitur innumerum diversis missile votis.
Vulnera pars optat, pars terræ figere tela,
Ac puras servare manus. rapit omnia casus;
Atque incerta facit, quos vult Fortuna nocentes.

462. *Inde manum spectant,*] Multis è diversis lectionibus hanc concinnavimus. ubi propius hostem ventum est, aspiciunt quos petant vultus, quæ ipsis minentur manus, quæ denique facturi essent scelera. Grotius.

471. *Sed sensum post fata tuæ dent, Crastine, morti,*] Emendandus hinc Plut. apud quem hic prælii Pharsalici inchoator mendose scribitur Κρασσιανός. Grotius. Plutarchus in Pompeio vocat Κρασσιανὸν; at in Cæsare Κρασσίνιον: utrobique reponendum Κράστινον.

482. *Pindus agit gemitus,*] Recte Codices plerique FREMITUS; sequitur enim versu proximo,

Œtææque *gemunt* rupes.

487. —— *Rapit omnia casus;*] Pars militum, ait, vulnera optat, pars *tela* sua incruenta esse: sic ut cum cadant, in neminem incidant, sed *rapit* omnia casus. Quo *rapit?* aut quomodo *Casus* rapere tela potest extra cursum destinatum? Corrige,

REGIT omnia casus.

Dirigit, ait, Casus omnia tela, et Fortuna incerta, quos vult, nocentes facit. Tacitus Annal. i. 49. *Causa in occulto; cætera* Fors regit. Noster supra 350.

Ipsi *tela regent* per viscera Cæsaris.

Infra 515.

Arcu turba minax nusquam rexere sagittas:

Ovid. Met. vii. 683. de Cephali jaculo;

—————— fortunaque missum
Non *regit,* et revolat nullo referente cruentum.

Sed quota pars cladis jaculis, ferroque volanti
Exacta est? odiis solus civilibus ensis
Sufficit, et dextras Romana in viscera ducit.
Pompeii densis acies stipata catervis,
Junxerat in seriem nexis umbonibus arma.
Vixque habitura locum dextras, ac tela movendi
Constiterat, gladiosque suos compressa tenebat.
Præcipiti cursu vesanum Cæsaris agmen
In densos agitur cuneos: perque arma, per hostem
Quærit iter, qua torta graves lorica catenas
Opponit, tutoque latet sub tegmine pectus.
Hac quoque perventum est ad viscera: totque per arma
Extremum est, quod quisque ferit. civilia bella
Una acies patitur, gerit altera: frigidus inde
Stat gladius; calet omne nocens a Cæsare ferrum.
Nec Fortuna diu rerum tot pondera vergens,
Abstulit ingenteis fato torrente ruinas.
  Ut primum toto diduxit cornua campo
Pompeianus eques, bellique per ultima fudit:
Sparsa per extremos levis armatura maniplos
Insequitur, sævasque manus immittit in hostem.
Illic quæque suo miscet gens prælia telo:
Romanus cunctis petitur cruor: inde sagittæ,

491. *Et dextras Romana in viscera ducit.*] *Dextras* iterum habebimus, tertio abhinc versu. Et mirum sane, si *Ensis ducit dextras in viscera;* cum dextra potius ensem ducat, et ipsa non pertingat ad viscera. Corrigo,

——— et *RECTA* Romana in viscera ducit.

495. —— *Gladiosque suos compressa tenebat.*] Dolet hoc Virum magnum admisisse; cum plerique Codices et aliquot Editi recte habeant TIMEBAT. Timebat acies artata suos ipsorum gladios; ne vel se vel suos vulnerarent.

504. *Nec Fortuna diu rerum tot pondera vergens,*] Ex MS. est hæc lectio. Vergens, id est, librans velut dubio eventu. Grotius. Veterrimi tres Codices VERTENS, sed quid illud quæso est *Diu abstulit?* et quid *Abstulit ruinas?* utrumque sensu nullo. Lego,

Nec Fortuna diu rerum tot pondera *vertens*
DISTULIT ingentes fato *TORQUENTE* ruinas.

Non diu distulit, non diu protraxit.

509. —— *Sævasque manus immittit in hostem.*] Numquam hoc dixisset de Pompeianis, *Sævas* manus. Emendatio ex Historia facilis est, Corrige,

*LÆVAS*que manus immittit in hostem.

Lævæ manus sunt cornu sinistrum. Cæsar Civil. iii. 93. *Eodem tempore Equites* a sinistro Pompeii cornu, *ut erat imperatum*, universi procucurrerunt, *omnisque multitudo sagittariorum se profudit, quorum impetum noster Equitatus non tulit.* Plutarchus in Cæsare idem habet: Οἱ δὲ

Inde faces, et saxa volant, spatioque solutæ
Aëris, et calido liquefactæ pondere glandes.
Tunc et Ituræi, Medique Arabesque, soluto
Arcu turba minax, nusquam rexere sagittas:
Sed petitur solus, qui campis imminet aër:
Inde cadunt mortes: sceleris sed crimine nullo
Externum maculant chalybem; stetit omne coactum
Circa pila nefas: ferro subtexitur æther,
Noxque super campos telis conserta pependit.
Tum Cæsar metuens, ne frons sibi prima labaret
Incursu, tenet obliquas post signa cohortes:
Inque latus belli, qua se vagus hostis agebat,
Immittit subitum non motis cornibus agmen.
Immemores pugnæ, nulloque pudore timendi
Præcipites fecere palam, civilia bella
Non bene barbaricis unquam commissa catervis.
Ut primum sonipes tranfixus pectora ferro,
In caput effusi calcavit membra regentis:
Omnis eques cessit campis, glomerataque pubes
In sua conversis præceps ruit agmina frænis.
Perdidit inde modum cædes, ac nulla secuta est
Pugna: sed hinc jugulis, hinc ferro bella geruntur.
Nec valet hæc acies tantum prosternere, quantum
Inde perire potest. utinam, Pharsalia, campis
Sufficiat cruor iste tuis, quem barbara fundunt
Pectora, non alio mutentur sanguine fontes.
Hic numerus totos tibi vestiat ossibus agros:
Aut si Romano compleri sanguine mavis,

ἱππεῖς ἅπαντες ἐπὶ τὸ ἀριστερὸν ἵδρισαν, ὡς τὸ δεξίον κυκλωσάμενοι τῶν πολεμίων. Et in Pompeio, *τὸ δὲ εὐώνυμον εἶχε Λεύκιος Δομίτιος, ἐῤῥώσθη δὲ τῷ πλήθει τῶν ἱππέων, ἐνταῦθα γὰρ ὀλίγου δεῖν ἅπαντες ἐῤῥυήσαν.* Cæterum cum supra v. 220. Noster dicat Domitium cornui *dextro* præfuisse: Plutarchus bis, et in Cæsare et in Pompeio, et Appianus *sinistro* cornui eum præponunt: Cæsar silet.

514. —— *Arabesque, soluto*

Arcu turba minax,] Atqui altero abhinc versu habuimus *Solutæ*. *Soluto arcu*, credideram tenso arcu pugnari, non laxo. Horatius Carm. iii. 8.

Jam Scythæ *laxo* meditantur *arcu*
Cedere campis.

Bersmanni Codex et nostri omnes SOLUTI, non *Soluto*. Corrige,

—— Arabesque *SONANTI*
Arcu turba minax.

Virgil. Æn. v. 521.

Istis parce precor: vivant Galatæque, Syrique,
Cappodoces, Gallique, extremique orbis Iberi,
Armenii, Cilices: nam post civilia bella
Hic populus Romanus erit. Semel ortus in omneis
It timor, et fatis datus est pro Cæsare cursus.
   Ventum erat ad robur Magni, mediasque catervas;
Quod totos errore vago perfuderat agros:
Constitit hic bellum, fortunaque Cæsaris hæsit,
Non illic regum auxiliis collecta juventus
Bella gerit, ferrumque manus movere togatæ:
Ille locus fratres habuit, locus ille parentes.
Hic furor, hic rabies, hic sunt tua crimina, Cæsar.
Hanc fuge, mens, partem belli, tenebrisque relinque,
Nullaque tantorum discat, me vate, malorum,
Quam multum bellis liceat civilibus, ætas.
Ah potius pereant lacrymæ, pereantque querelæ.
Quicquid in hac acie gessisti, Roma, tacebo.
   Hic Cæsar, rabies populi, stimulusque furoris,
Ne qua parte sui pereat scelus, agmina circum
It vagus, atque ignes animis flagrantibus addit.
Inspicit et gladios, qui toti sanguine manent,
Qui niteant primo tantum mucrone cruenti,
Quæ presso tremat ense manus, quis languida tela,
Quis contenta ferat, quis præstet bella jubenti,
Quem pugnare juvet, quis vultum cive peremto
Mutet: obit latis projecta cadavera campis.
Vulnera multorum totum fusura cruorem
Opposita premit ipse manu. quacunque vagatur,

Ostentans artemque pater, *arcumque sonantem.*

Statius Thebaid. i. 658.

Proinde move pharetras, *arcusque sonoros.*

521. *Tum Cæsar metuens,*] Codex Coll. Trinitatis CUM. Recte.

543. *Hic populus Romanus erit.*] Si hanc lectionem recipis, ordo erit, *Hic populus erit Romanus;* Atqui de tot gentibus, de Galatis, Syris, Cappadocis, Gallis, Iberis, Armeniis, Cilicibus, non dixisset *Hic populus,* sed *Hi populi.* Repone,

HI populus Romanus *ERUNT.*

Supra 400.

——— toto populi qui nascimur orbe,
Urbs nos una capit.

Infra 862.

Romani bustum *populi.*

553. *Nullaque tantorum discat, me vate, malorum,*] Tolle istas distinctiones, *me vate;* alioqui constructio erit, *Nulla ætas tantorum malorum,* nullo sensu. *Me vate tantorum malorum,* ut Homerus,

Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum,
Bistonas aut Mavors agitans, si verbere sævo
Palladia stimulet turbatos ægide currus.
  Nox ingens scelerum, et cædes oriuntur, et instar
Immensæ vocis gemitus, et pondere lapsi
Pectoris arma sonant, confractique ensibus enses.
Ipse manu subicit gladios, ac tela ministrat,
Adversosque jubet ferro confundere vultus.
Promovet ipse acies: impellit terga suorum:
Verbere conversæ cessantes excitat hastæ.
In plebem vetat ire manus, monstratque Senatum,
Scit cruor imperii qui sit, quæ viscera legum,
Unde petat Romam, libertas ultima mundi
Quo steterit ferienda loco. permista secundo
Ordine nobilitas, venerandaque corpora ferro
Urgentur: cædunt Lepidos, cæduntque Metellos,
Corvinosque simul, Torquataque nomina legum,

Μάντι Κακῶν, ὁ πώποτί μοι τὸ κρήγυον εἶπας.

557. —— *Stimulusque furoris,*] Œstrum Bellonæ. Grotius.

571. *Nox ingens scelerum, et cædes oriuntur,*] Codex Bersmanni, et Coll. Trinitatis, rectius

Nox ingens scelerum *est.* cædes oriuntur.

579. —— *Quæ viscera legum,*] Emendatio est nostra, eleganti, ni fallor, metaphora. Ante *regum.* Atqui regibus nihil cum Senatu de quo hic sermo. illi enim seorsim apud sua quisque auxilia. Grotius. *Unde petat Romam,* sic accipe: Unde *feriat,* vulneret. Virgil. Georg. ii. 505.

———— *hic* petit *excidiis* urbem.

584. —— *Torquataque nomina legum, Sæpe duces, summosque hominum*] Sensum feceramus commodum. Sed quid opus? cum sola interpunctione mutata nihilo peiorem faciat Rutgersius:

———— Torquataque nomina, regum
Sæpe duces.

Nempe ut olim Agamemnon, ὕπατος κρειόντων. Grotius. Si vera loqui jus est, nullo modo *commodum fecerat sensum* vir summus; *Torquata nomina legum,* nullum, ne incommodum quidem, sensum reddunt. Recte distinxit Rutgersius, quem vide Var. Lect. iii. 7. sed et aliud restat, quod tolerari quidem poterit, non tamen plene satisfacit. *Torquata nomina,* recte fortassis in loco idoneo: ut Ausonius Parent. xxii.

Desinite, o veteres, *Calpurnia nomina,* Frugi.

et Epist. xix.

Et Caranum, *Pellæa* dedit qui *nomina regum.*

Quod ultimum vel receptæ hic olim distinctioni patrocinari videtur *Torquataque nomina regum.* Sed vix potest a me impetrari, ut post *Lepidos, Metellos, Corvinos,* posuisse credam Nostrum *Torquata nomina* pro Torquatos. etsi Torquatus inter Pompeii duces erat, ut vi. 285. *Torquato ruit inde minax,* jejuni hoc cujusdam aridique ingenii esset, non Lucani. Quid ergo? aliud tibi, ex conjectura suppedito, tam receptæ lectioni proximum, quam sententiæ accommodatissimum:

———— cædunt Lepidos, cæduntque Metellos,

Sæpe duces, summosque hominum te, Magne, remoto.
Illic plebeia contectus casside vultus,
Ignotusque hosti, quod ferrum, Brute, tenebas!
O decus imperii, spes o suprema Senatus,
Extremum tanti generis per secula nomen,
Ne rue per medios nimium temerarius hostes,
Nec tibi fatales admoveris ante Philippos,
Thessalia periture tua. nil proficis istic
Cæsaris intentus jugulo: nondum attigit arcem
Juris, et humanum culmen, quo cuncta reguntur
Egressus, meruit fatis tam nobile letum:
Vivat, et, ut Bruti procumbat victima, regnet.
Hic patriæ perit omne decus: jacet aggere magno
Patritium campis commista plebe cadaver.
Mors tamen eminuit clarorum in strage virorum
Pugnacis Domiti; quem clades fata per omneis
Ducebant. nusquam Magni fortuna sine illo

Corvinosque simul, *TOT TANTAQUE* nomina, regum
Sæpe duces.

Si *Torquata* retines; id incommodi est, quod non plures quam istos quattuor Senatores periisse hic indicas: atqui vel fide historica decem occisi sunt; Lucanus vero rem exaggerans, universum fere Senatum cecidisse hic prædicat. Jam vero si *Tot tantaque* adsciscis, præter priores illos tres, quotvis alios adsumere potes. *Nomina* autem perinde est ac *Viros.* Noster i. 313.

——— *et nomina vana Catones.*

et vi. 795.

Vidi ego jactantes *popularia nomina* Drusos.

Silius ii. 177.

——— et nobile nomen
Eurydamas.

et iv. 186.

——— *celeberrima nomina* bello
Tiburtes Magios.

v. 77.

——— egregius linguæ *nomenque superbum*
Corvinus.

vi. 62.

Serranus *clarum nomen.*

et xi. 514.

Hic Varro, et *magnum* Latia inter nomina, *nomen.*
Paullus.

xvii. 304.

——— nobile nomen
Fulvius.

Tacitus Annal. 1. 53. *Constantia mortis haud indignus Sempronio nomine; vita degeneraverat.* Quintil. Declam. cccxxxviii. *Succurrant vobis Catones et Scipiones et* tot *clarissima civitatis nostræ nomina. Tot Tantaque.* Ovid. Met. ii. 96.

Et *tot ac tantis* cœli, terræque, marisque.

Cæsar Civil. i. 85. *Neque alia de causa* tot tantasque *clades paratas.* Livius xlv. 39. *Perseus rex captus, Philippus et Alexander filii regis,* tanta nomina, *subtrahuntur civitatis oculis.*

594. —— *Et humanum culmen, quo cuncta reguntur*] Lege ex M. S. A.

——— nondum attigit arcem
Juris, et *humani* culmen, quo cuncta *premuntur,*
Egressus.

Succubuit: victus toties a Cæsare, salva
Libertate perit: tunc mille in vulnera lætus
Labitur, ac venia gaudet caruisse secunda.
Viderat in crasso versantem sanguine membra
Cæsar, et increpitans; Jam Magni deseris arma,
Successor Domiti: sine te jam bella geruntur.
Dixerat: ast illi suffecit pectora pulsans
Spiritus in vocem, morientiaque ora resolvit.
Non te funesta scelerum mercede potitum,
Sed dubium fati, Cæsar, generoque minorem
Aspiciens, Stygias Magno duce liber ad umbras
Et securus eo: te sævo Marte subactum,
Pompeioque graveis pœnas, nobisque daturum
Cum moriar, sperare licet. non plura locutum
Vita fugit, densæque oculos pressere tenebræ.
Impendisse pudet lacrymas in funere mundi
Mortibus innumeris, ac singula fata sequentem
Quærere, letiferum per cujus viscera vulnus
Exierit; quis fusa solo vitalia calcet;
Ore quis adverso, demisso faucibus ense,
Expulerit moriens animam; quis corruat ictu,
Quis steterit, dum membra cadunt: qui pectora telis
Transmittant, aut quos campis affixerit hasta:
Quis cruor emissus perruperit aëra venis,
Inque hostis cadat arma sui: quis pectora fratris
Cædat, et, ut notum possit spoliare cadaver,
Abscisum longe mittat caput: ora parentis
Quis laceret, nimiaque probet spectantibus ira
Quem jugulat, non esse patrem. mors nulla querela
Digna sua est, nullosque hominum lugere vacamus.

Horat.

——— Arces attigit igneas.

Asconius Pedian. *Arx, sedes Tyranni dicitur*, ut sæpe alibi. *Egressus*, ut Statius,

Virtus *egressa* modum.

607. *Successor Domiti:*] Quia successurum se Cæsari in bellum Gallicum speraverat. Grotius. Immo, quia successor ei designatus erat. Cæsar Civil. i. 6. *Provinciæ privatis decernuntur: L. Domitio Gallia.* Appianus p. 474.

621. *Ore quis adverso, demisso faucibus ense,*
Expulerit moriens animam;] *Demissum ensem* plures codices: *Anima* codex Regius. Lege,

Non istas habuit pugnæ Pharsalia parteis,
Quas aliæ clades: illic per fata virorum,
Per populos hic Roma perit: quod militis illic,
Mors hic gentis erat: sanguis ibi fluxit Achæus,
Ponticus, Assyrius: cunctos hærere cruores
Romanus, campisque vetat consistere torrens:
Majus ab hac acie, quam quod sua secula ferrent
Vulnus habent populi: plus est quam vita, salusque,
Quod perit: in totum mundi prosternimur ævum.
Vincitur his gladiis omnis, quæ serviet, ætas.
Proxima quid soboles, aut quid meruere nepotes
In regnum nasci? pavide num gessimus arma?
Teximus aut jugulos? alieni pœna timoris
In nostra cervice sedet. post prælia natis
Si dominum, Fortuna, dabas, et bella dedisses.
Jam Magnus transisse Deos, Romanaque fata
Senserat infelix: tota vix clade coactus
Fortunam damnare suam, stetit aggere campi
Eminus, unde omneis sparsas per Thessala rura
Aspiceret clades, quæ bello obstante latebant.
Tot telis sua fata peti, tot corpora fusa,
Ac se tam multo pereuntem sanguine vidit.
Nec, sicut mos est miseris, trahere omnia secum
Mersa juvat, gentesque suæ miscere ruinæ:
Ut Latiæ post se vivat pars maxima turbæ,
Sustinuit dignos etiam nunc credere votis
Cœlicolas, voluitque sui solatia casus:
Parcite, ait, Superi, cunctas prosternere gentes:
Stante potest mundo, Romaque superstite, Magnus
Esse miser. si plura juvant mea vulnera, conjux

Ore quis adverso *demissum* faucibus *ensem*
Expulerit moriens *anima.*

Hoc est; sanguine. Ovid. Met. vi. 259.

Altera per *jugulum* pennis tenus acta sagitta est;
Expulit hanc sanguis.

Seneca Œdipo, 1040.

Jacet peremta: vulneri immoritur manus;
Ferrumque secum nimius ejecit cruor.

Ovid. Metam. xiii. 394.

Nec valuere manus infixum educere telum:
Expulit ipse *cruor.*

623. —— *Qui pectora telis*
Transmittant,] MSS.

———— quis pectore tela
Transmittat.

Grotius.

Est mihi, sunt nati; dedimus tot pignora fatis.
Civiline parum est bello, si meque, meosque
Obruat? exiguæ clades sumus, orbe remoto?
Omnia quid laceras? quid perdere cuncta laboras?
Jam nihil est, Fortuna, meum. sic fatur: et arma,
Signaque, et afflictas omni jam parte catervas
Circuit, et revocat matura in fata ruentes,
Seque negat tanti. nec deerat robur in enses
Ire duci, juguloque pati, vel pectore letum:
Sed timuit strato miles ne corpore Magni
Non fugeret, supraque ducem procumberet orbis:
Cæsaris aut oculis voluit subducere mortem.
Nequicquam. infelix, socero spectare volenti
Præstandum est ubicunque caput. sed tu quoque conjux,
Causa fugæ, vultusque tui: fatisque probatum
Te præsente mori. Tunc Magnum concitus aufert
A bello sonipes, non tergo tela paventem,
Ingenteisque animos extrema in fata ferentem.
Non gemitus, non fletus erat, salvaque verendus
Majestate dolor, qualem te, Magne, decebat
Romanis præstare malis. non impare vultu
Aspicis Emathiam: nec te videre superbum
Prospera bellorum, nec fractum adversa videbunt.
Quamque fuit læto per treis infida triumphos,
Tam misero Fortuna minor. jam pondere fati
Deposito securus abis: nunc tempora læta
Respexisse vacat: spes nunquam implenda recessit:
Quid fueris nunc scire licet. fuge prælia dira,
Ac testare Deos, nullum qui perstet in armis,
Jam tibi, Magne, mori: ceu flebilis Africa damnis,
Et ceu Munda nocens, Pharioque a gurgite clades,
Sic et Thessalicæ post te pars maxima pugnæ.

676. —— *Fatisque probatum Te præsente mori.*] Miror MSS. omnes habere, *fatisque negatum*, quod rei contrarium. Forte scripserit Lucanus *rogatum*, ut allusio fit ad legum rogationes. Grotius.

693. *Sic et Thessalicæ post te pars maxima pugnæ.*] Major pars cladis Thessalicæ evenit absente jam Pompeio: ideoque illi non magis imputari potest, quam quæ post mortem ipsius acciderunt. Grotius.

705. *Crede Deis,*] Perpetuus in te deo-

Non jam Pompeii nomen populare per orbem,
Nec studium belli: sed par, quod semper habemus,
Libertas, et Cæsar erunt: teque inde fugato
Ostendet moriens, sibi se pugnasse, Senatus.
  Nonne juvat pulsum bellis cessisse, nec istud
Prospectare nefas, spumanteis cæde catervas?
Respice turbatos incursu sanguinis amnes,
Et soceri miserere tui. quo pectore Romam
Intrabit factus campis felicior istis?
Quicquid in ignotis solus regionibus exul,
Quicquid sub Phario positus patiere tyranno;
Crede Deis, longo fatorum crede favori.
Vincere pejus erat. prohibe lamenta sonare,
Flere veta populos: lacrymas, luctusque remitte.
Tam mala Pompeii, quam prospera mundus adoret.
Aspice securus vultu non supplice reges:
Aspice possessas urbes, donataque regna,
Ægyptum, Libyamque, et terras elige morti.
  Vidit prima tuæ testis Larissa ruinæ
Nobile, nec victum fatis caput: omnibus illa
Civibus effudit totas per mœnia vires
Obvia ceu læto: præmittunt munera flentes:
Pandunt templa, domos: socios se cladibus optant.
Scilicet immenso superest ex nomine multum,
Teque minor solo: cunctas impellere gentes
Rursus in arma potes, rursusque in fata redire.
Sed quid opus victo populis, aut urbibus, inquit?
Victori præstate fidem. Tu, Cæsar, in alto
Cædis adhuc cumulo patriæ per viscera vadis:
At tibi jam populos donat gener. avehit inde
Pompeium sonipes: gemitus, lacrymæque sequuntur:
Plurimaque in sævos populi convicia divos.
Nunc tibi vera fides quæsiti, Magne, favoris

rum favor fidem tibi faciat, è duobus malis id tibi evenisse, quod erat minus. Minus malum est bello civili vinci quam vincere. Ni ita esset, victorem te fecissent Dii, quos tibi bene velle dubitare non debes. Grotius.

715. *Præmittunt munera flentes:*] Quomodo *præmittunt*, qui ipsi *obviam* veniunt. Codices fere omnes *Promittunt*. Repone,

PROMITTUNT NOMINA flentes.

Hoc est, promittunt se militaturos. Noster i. 388.

Contigit, ac fructus. felix se nescit amari.
  Cæsar ut Hesperio vidit satis arva natare
Sanguine, parcendum ferro, manibusque suorum
Jam ratus, ut viles animas, periturаque frustra
Agmina permisit vitæ. sed castra fugatos
Ne revocent, pellatque quies nocturna pavorem;
Protinus hostili statuit succedere vallo,
Dum fortuna calet, dum conficit omnia terror,
Non veritus grave ne fessis, ac marte subactis
Hoc foret imperium. non magno hortamine miles
In prædam ducendus erat: victoria nobis
Plena viri, dixit: superest pro sanguine merces,
Quam monstrare meum est: nec enim donare vocabo,
Quod sibi quisque dabit. cunctis en plena metallis
Castra patent: raptum Hesperiis e gentibus aurum
Hic jacet: Eoasque premunt tentoria gazas.
Tot regum fortuna simul, Magnique coacta
Expectat dominos: propera procedere miles
Quos sequeris: quascunque tuas Pharsalia fecit,
A victis rapiantur opes. nec plura locutus
Impulit amentes, aurique cupidine cæcos
Ire super gladios, supraque cadavera patrum,
Et cæsos calcare duces. quæ fossa, quis agger
Sustineat pretium belli, scelerumque petentes?
Scire volunt, quanta fuerint mercede nocentes.
  Invenere quidem spoliato plurima mundo,
Bellorum in sumtus congestæ pondera massæ:

> Elatasque alte, quæcumque ad bella vocaret
> *Promiscre manus.*

Dare nomina, in militiam: locutio notissima. Tacitus Hist. iii. 59. *Vitellius vocari tribus jubet*, dantes nomina *sacramento adigit.* Val. Flaccus v. 119.

> ——— nova dux accedere gaudet
> *Nomina*, desertos et jam sibi currere remos.

Val. Maximus v. 2. 2. *Quid illa juventute Romana gratius, quæ ultro* nomina *sua militari sacramento obtulit?*

735. —— *Marte subactis*] Defatigatis. Grotius. Atqui *marte subactos* ubique *victos* notat, non *defatigatos*: Corrige igitur,

> Non veritus, grave ne fessis *IN* marte *SUBACTOS*
> Hoc foret imperium.

Non grave erat victoribus licet fessis, in victos fugatosque ire. Silius i. 302.

> ——— ne veniæ spem marte subactis.

746. *A victis rapiantur opes. nec plura locutus*] Scribendum ex fide MSS. *rapiuntur.* Nisi præcedis Pompeianos, jam illi rapient supellectilem quæ in castris

Sed non implerunt cupientes omnia mentes.
Quicquid fodit Iber, quicquid Tagus expulit auri,
Quodque legit dives summis Arimaspus arenis,
Ut rapiant, parvo scelus hoc venisse putabunt,
Cum sibi Tarpeias victor desponderit arces:
Cum spe Romanæ promiserit omnia prædæ:
Decipitur, quod castra rapit. capit impia plebes
Cespite patricio somnos: vacuumque cubile
Regibus infandus miles premit: inque parentum,
Inque toris fratrum posuerunt membra nocentes:
Quos agitat vesana quies, somnique furentes:
Thessalicam miseri versant in pectore pugnam.
Invigilat cunctis sævum scelus, armaque tota
Mente agitant, capuloque manus absente moventur.
Ingemuisse putes campos, terramque nocentem
Inspirasse animas, infectumque aëra totum
Manibus, et superam Stygia formidine noctem.
Exigit a meritis tristeis victoria pœnas,
Sibilaque et flammas infert sopor: umbra peremti
Civis adest: sua quemque premit terroris imago.
Ille senum vultus, juvenum videt ille figuras:
Hunc agitant totis fraterna cadavera somnis:
Pectore in hoc pater est, omnes in Cæsare manes.
Haud alios nondum Scythica purgatus in ara
Eumenidum vidit vultus Pelopeus Orestes:
Nec magis attonitos animi sensere tumultus,
Cum fureret Pentheus; aut cum desisset Agave.

est, quæque nobis victoriæ jure debetur. Pro tribus postremis hujus versus vocibus prior Lucani editio habuit: *Sic milite jusso*, quod MSS. testantur. Grotius. Lege *Sic milite jusso* (altero versu deleto) *ire super clades*, &c. Livius xliv. 2. *Prætore dimisso, menstruum* jusso milite *secum ferre, castra movit.*

754. —— *Implerunt*] Ita rectius quam *implevit*. Est enim in hoc versu expletus sensus. Grotius.

757. *Ut rapiant*,] Quamvis rapiant hæc omnia, non tamen putabunt præmia meritis respondere. Grotius.

760. —— *Quod castra rapit.*] Castra, non Romam. Grotius.

768. *Ingemuisse putes campos, terramque nocentem*
Inspirasse animas,] Omnes fere codices *Putem*. mox corrige *Nocentes Inspirasse animas*. Virg. vii. 351.

——— vipeream inspirans animam.

780. —— *Aut cum desisset Agave.*]

Hunc omnes gladii, quos aut Pharsalia vidit,
Aut ultrix visura dies, stringente Senatu,
Illa nocte premunt: hunc infera monstra flagellant.
Et quantum pœnæ misero mens conscia donat,
Quod Styga, quod manes, infestaque Tartara somnis
Pompeio vivente videt! Tamen omnia passo,
Postquam clara dies Pharsalica damna retexit,
Nulla loci facies revocat feralibus arvis
Hærentes oculos. cernit propulsa cruore
Flumina, et excelsos cumulis æquantia colles
Corpora, sidentes in tabem spectat acervos,
Et Magni numerat populos: epulisque paratur
Ille locus, vultus ex quo, faciesque jacentum
Agnoscat. juvat Emathiam non cernere terram,
Et lustrare oculis campos sub clade latenteis.
Fortunam, Superosque suos in sanguine cernit.
Ac ne læta furens scelerum spectacula perdat,
Invidet igne rogi miseris, cœloque nocenti
Ingerit Emathiam. non illum Pœnus humator
Consulis, et Libyca succensæ lampade Cannæ
Compellunt, hominum ritus ut servet in hostes:
Sed meminit nondum satiata cædibus ira,
Cives esse suos. petimus non singula busta,
Discretosque rogos: unum da gentibus ignem:
Non interpositis urantur corpora flammis.
Aut generi si pœna juvat, nemus extrue Pindi:
Erige congestas Œtæo robore sylvas,
Thessalicam videat Pompeius ab æquore flammam.
Nil agis hac ira: tabesne cadavera solvat,
An rogus, haud refert: placido Natura receptat
Cuncta sinu, finemque sui sibi corpora debent.

Ita rescripsimus pro *descisset*. Non magis exterriti erant, aut Pentheus cum Agave fureret, aut ipsa Agave cum furere desiisset et scelus suum agnosceret. Probat hanc nostram emendationem MS. P. Probat et secutus ut sæpe Lucani ἐννόημα Papinius:

——— cum lassa furorem
Vicit et ad comitum lachrymas expavit Agave.

et alibi:

Penthea jam fractis genitrix Cadmeïa thyrsis,
Jam dimissa deo, pectusque adoperta cruentum
Insequitur planctu.

Quare et quod præcessit, *cum fureret*, est ὑπόζευγμα et ex posteriori supplendum *Agave*. Grotius,

Hos, Cæsar, populos si nunc non usserit ignis,
Uret cum terris, uret cum gurgite ponti.
Communis mundo superest rogus, ossibus astra
Misturus. quocunque tuam Fortuna vocabit,
Hæ quoque eunt animæ. non altius ibis in auras,
Non meliore loco Stygia sub nocte jacebis.
Libera Fortunæ mors est: capit omnia tellus
Quæ genuit: cœlo tegitur, qui non habet urnam.
Tu, cui dant pœnas inhumato funere gentes,
Quid fugis hanc cladem? quid olentes deseris agros?
Has trahe Cæsar aquas: hoc, si potes, utere cœlo.
Sed tibi tabentes populi Pharsalica rura
Eripiunt, camposque tenent victore fugato.
Non solum Hæmonii funesta ad pabula belli
Bistonii venere lupi, tabemque cruentæ
Cædis odorati Pholoën liquere leones.
Tunc ursi latebras, obscœni tecta, domosque
Deseruere canes, et quicquid nare sagaci
Aëra non sanum, motumque cadavere sentit.
Jamque diu volucres civilia castra secutæ
Conveniunt. vos, quæ Nilo mutare soletis
Threicias hyemes, ad mollem serius Austrum
Istis aves. nunquam se tanto vulture cœlum
Induit, aut plures presserunt aëra pennæ.
Omne nemus misit volucres, omnisque cruenta
Alite sanguineis stillavit roribus arbor.
Sæpe super vultus victoris, et impia signa
Aut cruor, aut alto defluxit ab æthere tabes,
Membraque dejecit jam lassis unguibus ales.
Sic quoque non omnis populus pervenit ad ossa,
Inque feras discerptus abit: non intima curant

784. *Et quantum pœnæ misero mens conscia donat,*] Manuscripti fere omnes, concinnius,

Et quantum *misero pœnæ* mens conscia donat.

813. *Uret cum terris, uret cum gurgite ponti.*] Stoicum dogma. Arnobius ii. *Qui ignem minatur mundo et venerit cum tempus, arsurum; non Panætio credit, Chrysippo. Zenoni?*

818. —— *Capit omnia tellus Quæ genuit:*] An *Quæ tellus*, vel *Quæ omnia?* Seneca Nat. Quæst. vi. ult. cap. *Rerum natura te, quæ genuit, expectat, et locus melior ac tutior.* Sed melius *Omnia quæ.* Nam Natura omnia omnino genuit, tellus non omnia, sed terrena tantum.

819. —— *Cœlo tegitur, qui non habet*

Viscera, nec totas avide sorbere medullas:
Degustant artus. Latiæ pars maxima turbæ
Fastidita jacet; quam sol, nimbique, diesque
Longior, Emathiis resolutam miscuit arvis.
Thessalica infelix quo tanto crimine tellus
Læsisti Superos, ut te tot mortibus unam,
Tot scelerum fatis premerent? quod sufficit ævum,
Immemor ut donet belli tibi damna vetustas?
Quæ seges infecta surget non decolor herba?
Quo non Romanos violabis vomere manes?
Ante novæ venient acies, scelerique secundo
Præstabis nondum siccos hoc sanguine campos.
Omnia majorum vertamus busta licebit,
Et stantes tumulos, et qui radice vetusta
Effudere suas, victis compagibus, urnas:
Plus cinerum Hæmoniæ sulcis telluris aratur,
Pluraque ruricolis feriuntur dentibus ossa.
Nullus ab Emathio religasset littore funem
Navita, nec terram quisquam movisset arator,
Romani bustum populi: fugerentque coloni
Umbrarum campos, gregibus dumeta carerent:
Nullusque auderet pecori permittere pastor
Vellere surgentem de nostris ossibus herbam;
Ac, velut impatiens hominum, vel solis iniqui
Limite, vel glacie nuda, atque ignota jaceres,
Si non prima nefas belli, sed sola tulisses.
O Superi, liceat terras odisse nocenteis.
Quid totum premitis, quid totum absolvitis orbem?
Hesperiæ clades, et flebilis unda Pachyni,
Et Mutina, et Leucas puros fecere Philippos.

urnam.] Mecænus, mollis ille, satis fortiter dixerat:

Nec tumulum curo: sepelit natura relictos.

Grotius.

856. *Et stantes tumulos,*] Tam integros adhuc tumulos, quam vetustate collapsos. Grotius.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER OCTAVUS.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER OCTAVUS.

JAM super Herculeas fauces, nemorosaque Tempe,
Hæmoniæ deserta petens dispendia sylvæ,
Cornipedem exhaustum cursu, stimulisque negantem
Magnus agens, incerta fugæ vestigia turbat,
Implicitasque errore vias. pavet ille fragorem
Motorum ventis nemorum, comitumque suorum.
Qui post terga venit, trepidum, laterique timentem
Exanimat. quamvis summo de culmine lapsus,
Nondum vile sui pretium scit sanguinis esse,
Seque memor fati tantæ mercedis habere
Credit adhuc jugulum, quantum pro Cæsaris ipse
Avulsa cervice daret. deserta sequentem
Non patitur tutis fatum celare latebris
Clara viri facies. multi Pharsalica castra
Cum peterent, nondum fama prodente ruinas,
Occursu stupuere ducis, vertigine rerum
Attoniti: cladisque suæ vix ipse fidelis
Auctor erat. gravis est Magno, quicunque malorum

3. —— *STIMULISQUE negantem*] Sic Statius Hercule Sarrentino:

———— et saxa negantia ferro.

Et II. Thebaidos: *attamen illi Membra negant.* Grotius.

14. —— *Pharsalica castra*] Vix credo auctorem Κακίμφατον illud dedisse. Quare aut lege cum codice Regio *Pharsalia castra*, aut cum Bersmanni codice *Pharsalica rura.*

Testis adest. cunctis ignotus gentibus esse
Mallet, et obscuro tutus transire per orbem
Nomine: sed longi pœnas Fortuna favoris
Exigit a misero, quæ tanto pondere famæ
Res premit adversas, fatisque prioribus urget.
Nunc festinatos nimium sibi sentit honores,
Actaque lauriferæ damnat Syllana juventæ.
Nunc et Corycias classes, et Pontica signa
Dejectum meminisse piget. sic longius ævum
Destruit ingenteis animos, et vita superstes
Imperio. nisi summa dies cum fine bonorum
Affuit, et celeri prævertit tristia leto,
Dedecori est fortuna prior. quisquamne secundis
Tradere se fatis audet, nisi morte parata?
Littora contigerat, per quæ Peneius amnis
Emathia jam clade rubens exibat in æquor.
Inde ratis trepidum, ventis, et fluctibus impar,
Flumineis vix tuta vadis evexit in altum:
Cujus adhuc remis quatitur Corcyra, sinusque
Leucadii, Cilicum dominus, terræque Liburnæ,
Exiguam vector pavidus correpsit in alnum.
Conscia curarum secreta in littora Lesbi
Flectere vela jubes, qua tum tellure latebas

21. —— *Sed longi pœnas Fortuna favoris*
Exigit] Plures codices alio ordine

——— sed *pœnas longi* Fortuna favoris.

Atque eo pacto pœnas ἐν ἄρσει erit, non in θέσει; et signatius ponitur.

29. —— *Nisi summa dies cum fine bonorum*
Affuit, et celeri prævertit tristia leto,
Dedecori est fortuna prior.] Ita prostremum comma cum præcedentibus cohærere fecimus. Sententia est, felicitatem, ni adsit matura mors, ludibrio fere homines exponere. Grotius. Non *Felicitatem, ni adsit matura mors;* sed *Felicitatem* lapsam, eversam, *nisi* una *adsit matura mors.*

31. —— *Quisquamne secundis*
Tradere se fatis audet,] *Tradere fatis* idem est ac *Tradere morti.* Legendum, *Credere se fatis.* Noster iv. 737.

——— leti fortuna propinqui
Tradiderat fatis juvenem.

i. 227.

Credidimus fatis.

35. —— *Ventis, et fluctibus impar,*] Plerique omnes Manuscripti AC.

36. *Flumineis vix tuta vadis*] Navis non bellica, ac ne oneraria quidem, sed fluvialis. Grot.

40. *Conscia curarum secreta in littora Lesbi*
Flectere vela jubes, qua tum tellure latebas] Omnes codices *Jubet.* Recte. Correctores dederunt *Jubes*, sententia licet invita; quia sequitur *Latebas.* Repone,

Conscia curarum SECRETÆ in litora Lesbi
Flectere vela JUBET: qua TU tellure latebas
Mœstior, in mediis quam si, Cornelia campis &c.

Mœstior, in mediis quam si, Cornelia, campis
Emathiæ stares. tristeis præsagia curas
Exagitant: trepida quatitur formidine somnus:
Thessaliam nox omnis habet: tenebrisque remotis
Rupis in abruptæ scopulos extremaque currens
Littora, prospiciens fluctus, nutantia longe
Semper prima vides venientis vela carinæ,
Quærere nec quicquam de fato conjugis audes.
En ratis, ad vestros quæ tendit carbasa portus,
Quid ferat ignoras: sed nunc tibi summa pavoris
Nuntius armorum tristis, rumorque sinister
Victus adest conjux. quid perdis tempora luctus?
Cum possis jam flere, times. tunc puppe propinqua
Prosiluit, crimenque Deum crudele notavit,
Deformem pallore ducem, vultusque prementem
Canitie, atque atro squalentes pulvere vestes.
Obvia nox miseræ cœlum, lucemque tenebris
Abstulit, atque animam clausit dolor: omnia nervis
Membra relicta labant: riguerunt corda, diuque
Spe mortis decepta jacet. jam fune ligato
Littoribus, lustrat vacuas Pompeius arenas.
Quem postquam propius famulæ videre fideles,
Non ultra gemitus tacitos incessere fata
Permisere sibi, frustraque attollere terra

Secretæ legendum, etsi libri omnes *Secreta*. sic supra v. 725. *Lesboque remota.* neque enim secreta litorum in Lesbo petiit, sed ipsam Insulæ metropolin, ubi Cornelia *latebat*, Cæsarianis scilicet, sed non suis Lesbiis.

46. —— *Extremaque currens*] Libri plerique omnes,

Rupis ad abruptæ scopulos extremaque *CURRIS*
Littora, prospiciens fluctus.

Non judicii est, sed necessitatis, ut sic reponas.

49. —— *De fato conjugis audes.*] Concinnius sic refingas.

Quære nec quicquam *fato de* conjugis audes.

51. —— *Sed nunc tibi summa pavoris*] Repone ipsius sententiæ jussu ac fide,

—— Sed *NON*, tibi summa pavoris,
Nuntius armorum tristis rumorque sinister,
Victus adest conjux.

Quid ratis ferat, ignoras: tu id tantum metuis, ne tristis nuntius de victo marito veniat: *Non* ita est, sed quod numquam metueras, ipse adest primus fortunæ suæ nuntius.

53. —— *Quid perdis tempora luctus?*] Non debes lugendi tempora metu consumere. Times, cum jam sit quod lugeas. Victus maritus scilicet. Grotius.

54. *Cum possis jam flere, times.*] Melius codex Coll. Trinitatis,

Cum *POSSES* jam flere, times.

56. —— *Vultusque prementem Canitie,*] Repone ex melioribus libris *Canitiem*. canitiem prementem, obtegentem vultus, ut mox *Vestes squalentes.*

64. *Non ultra gemitus*] Non ausæ pa-

Semianimem conantur heram: quam pectore Magnus
Ambit, et astrictos refovet complexibus artus.
Cœperat in summum revocato sanguine corpus
Pompeii sentire manus, mœstamque mariti
Posse pati faciem: prohibet succumbere fatis
Magnus, et immodicos castigat voce dolores.
   Nobile cur robur Fortunæ vulnere primo,
Femina, tantorum titulis insignis avorum,
Frangis? Habes aditum mansura in secula famæ,
Laudis in hoc sexu, non legum jura, nec arma,
Unica materia est conjux miser. erige mentem,
Et tua cum fatis pietas decertet, et ipsum,
Quod sum victus, ama: nunc sum tibi gloria major.
A me quod fasces, et quod pia turba Senatus,
Tantaque discessit regum manus: incipe Magnum
Sola sequi. deformis, adhuc vivente marito
Summus, et augeri vetitus dolor: ultima debet
Esse fides, lugere virum. tu nulla tulisti
Bello damna meo. vivit post prælia Magnus,
Sed Fortuna perit: quod defles, illud amasti.
   Vocibus his correpta viri, vix ægra levavit
Membra solo, taleis gemitu rumpente querelas:
O utinam in thalamos invisi Cæsaris issem
Infelix conjux, et nulli læta marito!
Bis nocui mundo: me pronuba duxit Erinnys,
Crassorumque umbræ, devotaque manibus illis
Assyrios in castra tuli civilia casus:
Præcipitesque dedi populos, cunctosque fugavi
A causa meliore Deos. o maxime conjux,
O thalamis indigne meis, hoc juris habebat
In tantum Fortuna caput! cur impia nupsi,
Si miserum factura fui? nunc accipe pœnas,

lam lamentari, aut ipsum Pompeium veritæ, aut ne Corneliæ dolorem accenderent. Grotius. Plerique codices *Fatum:* quod recipimus.

74. —— *Habes aditum mansura in secula famæ,*] Immo, ut alii codices, *Mansuræ.*

88. *O utinam in thalamos invisi Cæsaris issem*] Habet hanc Corneliæ orationem etiam Plut. in Pompeio, ut appareat ex historia desumtam. Et digna est tenerrimo ejus in maritum amore. Grotius.

100. —— *Mallem felicibus armis*

Sed quas sponte luam. quo sit tibi mollius æquor,
Certa fides regum, totusque paratior orbis,
Sparge mari comitem. mallem felicibus armis
Dependisse caput: nunc clades denique lustra
Magne tuas. ubicunque jaces civilibus armis
Nostros ulta toros, ades huc, atque exige pœnas,
Julia crudelis, placataque pellice cæsa,
Magno parce tuo. sic fata, iterumque refusa
Conjugis in gremium, cunctorum lumina solvit
In lacrymas. duri flectuntur pectora Magni,
Siccaque Thessaliæ confundit lumina Lesbos.
Tunc Mitylenæum pleno jam littore vulgus
Affatur Magnum: Si maxima gloria nobis
Semper erit tanti pignus servasse mariti,
Tu quoque devotos sacro tibi fœdere muros
Oramus, sociosque lares dignare vel una
Nocte tua: fac Magne locum, quem cuncta revisant
Secula; quem veniens hospes Romanus adoret.
Nulla tibi subeunda magis sunt mœnia victo.
Omnia victoris possunt sperare favorem:
Hæc jam crimen habent. quid, quod jacet insula ponto,
Cæsar eget ratibus? Procerum pars magna coibit
Certa loci. noto reparandum est littore fatum.
Accipe templorum cultus, aurumque Deorum
Accipe: si terris, si puppibus ista juventus
Aptior est, tota, quantum valet, utere Lesbo.
[Accipe: ne Cæsar rapiat, tu victus habeto.]
Hoc solum crimen meritæ bene detrahe terræ,
Ne nostram videare fidem felixque secutus,
Et damnasse miser. tali pietate virorum
Lætus, in adversis, et mundi nomine gaudens
Esse fidem, nullum toto mihi, dixit, in orbe

Dependisse caput:] Atqui altero mox versu habebimus, *Civilibus armis.* Poteras *Felicibus annis,* sensu non incommodo, *Armis* et *Annis* tam apud Nostrum quam alios passim a Librariis permutantur, sed corrigendum,

——— mallem felicibus *ACTIS*
Dependisse caput.

Infra 320.

Quas magis in terras nostrum *felicibus actis*
Nomen abit?

128. —— *Et mundi nomine gaudens Esse fidem,*] Non sui causa gaudet, sed generis humani nomine, quod tam profligato sæculo fides aliqua super-

Gratius esse solum, non parvo pignore vobis
Ostendi. tenuit nostros hac obside Lesbos
Adfectus: hic sacra domus, carique penates,
Hic mihi Roma fuit. non ulla in littora puppim
Ante dedi fugiens, sævi cum Cæsaris iram
Jam scirem meritam, servata conjuge, Lesbon,
Non veritus tantam veniæ committere vobis
Materiam. sed jam satis est fecisse nocentes:
Fata mihi totum mea sunt agitanda per orbem.
Heu nimium felix æterno nomine Lesbos,
Sive doces populos, Regesque admittere Magnum,
Seu præstas mihi sola fidem. nam quærere certum est
Fas quibus in terris, ubi sit scelus. accipe numen,
Si quod adhuc mecum es, votorum extrema meorum:
Da similes Lesbo populos, qui marte subactum
Non intrare suos infesto Cæsare portus,
Non exire vetent. dixit, mœstamque carinæ
Imposuit comitem. cunctos mutare putares
Tellurem, patriæque solum: sic littore toto
Plangitur, infestæ tenduntur in æthera dextræ:
Pompeiumque minus, cujus Fortuna dolorem
Moverat, ast illam, quam toto tempore belli
Ut civem videre suam, discedere cernens
Ingemuit populus: quam vix si castra mariti
Victoris peteret, siccis dimittere matres
Jam poterant oculis: tanto devinxit amore
Hos pudor, hos probitas, castique modestia vultus,
Quod submissa nimis, nulli gravis hospita turbæ,
Stantis adhuc fati vixit quasi conjuge victo.
  Jam pelago medios Titan demissus ad ignes,
Nec quibus abscondit, nec si quibus exerit orbem,
Totus erat: vigiles Pompeii in pectore curæ
Nunc socias adeunt Romani fœderis urbes,
Et varias regum mentes, nunc invia mundi

esset, ipse alioqui beneficio non usurus. Grotius.

158. *Stantis adhuc fati*] Cornelia *stantis fati*, ut, *æterni Martis Alanos*. Grotius.

163. —— *Nunc invia mundi Arva super nimios soles, Austrumque jacentis.*] Male erat *jacentes*. Grotius.

171. —— *Taciti servator Olympi:*] Jam

Arva super nimios soles, Austrumque jacentis.
Sæpe labor mœstus curarum, odiumque futuri
Projecit fessos incerti pectoris æstus,
Rectoremque ratis de cunctis consulit astris;
Unde notet terras; quæ sit mensura secandi
Æquoris in cœlo; Syriam quo sidere servet:
Aut quotus in plaustro Libyam bene dirigat ignis.
Doctus ad hæc fatur taciti servator Olympi:
Signifero quæcunque fluunt labentia cœlo,
Nunquam stante polo, miseros fallentia nautas
Sidera non sequimur: sed qui non mergitur undis
Axis inocciduus, gemina clarissimus Arcto:
Ille regit puppes. hic cum mihi semper in altum
Surget, et instabit summis minor Ursa ceruchis:
Bosporon, et Scythiæ curvantem littora pontum
Spectamus. quicquid descendet ab arbore summa
Arctophylax, propiorque mari Cynosura feretur,
In Syriæ portus tendet ratis. inde Canopos
Excipit Australi cœlo contenta vagari,
Stella timens Borean: illa quoque perge sinistra,
Trans Pharon: in medio tanget ratis æquore Syrtim.
Sed quo vela dari, quo nunc pede carbasa tendi
Nostra jubes? dubio contra cui pectore Magnus,
Hoc solum toto, respondit, in æquore serva,
Ut sit ab Emathiis semper tua longius oris
Puppis, et Hesperiam pelago, cœloque relinquas:
Cætera da ventis. comitem, pignusque recepi
Depositum: tunc certus eram, quæ littora vellem;
Nunc portum Fortuna dabit. Sic fatur: at ille
Justo vela modo pendentia cornibus æquis
Torsit, et in lævum puppim dedit, utque secaret,
Quas Asiæ cautes, et quas Chios asperat, undas,
Hos dedit in proram, tenet hos in puppe rudentes.

altero abhinc versu habebamus, *Quo sidere servet*. Quare recipimus quod codex Academiæ pro varia lectione dat,

Taciti *SCRUTATOR* Olympi.

Quod est ante pedes, nemo spectat: cœli scrutantur plagas. Seneca de morte Claudii, *Quid in cubiculo suo faciat nescio: etiam cœli scrutatur plagas; deus fieri vult.* Et sane, quamquam *Servare* sæpe occurrit pro *Observare*; *Servator* tamen eo sensu, ob ambiguum, ut par est credere, nemo usurpavit.

Æquora senserunt motus, aliterque secante
Jam pelagus rostro, nec idem spectante carina,
Mutavere sonum. non sic moderator equorum,
Dexteriore rota lævum cum circuit orbem,
Cogit inoffensæ currus accedere metæ.
 Ostendit terras Titan, et sidera texit.
Sparsus ab Emathia fugit quicunque procella,
Assequitur Magnum: primusque a littore Lesbi
Occurrit natus, procerum mox turba fidelis.
Nam neque dejecto fatis, acieque fugato
Abstulerat Magno reges Fortuna ministros:
Terrarum dominos, et sceptra Eoa tenentes
Exul habet comites. jubet ire in devia mundi
Deiotarum, qui sparsa ducis vestigia legit.
Quando, ait, Emathiis amissus cladibus orbis
Qua Romanus erat, superest, fidissime regum,
Eoam tentare fidem, populosque bibentes
Euphraten, et adhuc securum a Cæsare Tigrim:
Nec pigeat Magno quærentem fata, remotas
Medorum penetrare domos, Scythicosque recessus,
Et totum mutare diem, vocesque superbo
Arsacidæ perferre meas: si fœdera nobis
Prisca manent, mihi per Latium jurata Tonantem,
Per vestros astricta magos, implete pharetras,
Armeniosque arcus Geticis intendite nervis:
Si vos, o Parthi, peterem cum Caspia claustra,
Et sequerer duros æterni martis Alanos,
Passus Achæmeniis late decurrere campis,
In tutam trepidos nunquam Babylona coëgi:
Arva super Cyri, Chaldæique ultima regni,
Qua rapidus Ganges, et qua Nysæus Hydaspes

179. —— *Quicquid descendet ab arbore summa*] Non, *descendit*. nam sequitur, *feretur*. Quare et mox, *tendit* in *tendet* mutavimus. Grotius.

195. *Quas Asiæ cautes,*] Manuscripti plerique *Asinæ*. Priscianus p. 588. *Primitivum Chius breve. Lucanus in Octavo; Quas Asinæ cautes et quas Chios asperat undas. Cautes Asinæ*, illud casu recto, hoc patrio. Virgil. Æneid. iii. 286.
Et glaciatis hyems aquilonibus *asperat undas*.

217. *Et totum mutare diem,*] Aliud subire cœlum, cujus dies aliter se habent. Grotius.

228. —— *Phœbi surgentis ab igne*
Jam propior, quam Persis, eram:] Distinctionem mutavimus, ut sensus sit, Propior Orienti eram quam Persæ ipsi. Grotius.

232. *Ex æquo me Parthus adit.*] Sic

Accedunt pelago, Phœbi surgentis ab igne
Jam propior, quam Persis, eram: tamen omnia vincens
Sustinui nostris vos tantum deesse triumphis,
Solusque e numero regum telluris Eoæ,
Ex æquo me Parthus adit. nec munere Magni
Stant semel Arsacidæ. quis enim post vulnera cladis
Assyriæ, justas Latii compescuit iras?
Tot meritis obstricta meis, nunc Parthia ruptis
Excedat claustris vetitam per secula ripam,
Zeugmaque Pellæum. Pompeio vincite, Parthi;
Vinci Roma volet. regem parere jubenti
Ardua non piguit, positisque insignibus aulæ
Egreditur famuli raptos indutus amictus.
In dubiis tutum est inopem simulare tyranno.
Quanto igitur mundi dominis securius ævum
Verus pauper agit! dimisso in littore rege,
Ipse per Icariæ scopulos, Ephesumque relinquens,
Et placidi Colophona maris, spumantia parvæ
Radit saxa Sami: spirat de littore Coo
Aura fluens: Gnidon inde fugit, claramque relinquit
Sole Rhodon, magnosque sinus Telmessidos undæ
Compensat medio pelagi. Pamphylia puppi
Occurrit tellus: nec se committere muris
Ausus adhuc ullis, te primum, parva Phaselis,
Magnus adit. nam te metui vetat incola rarus,
Exhaustæque domus populis; majorque carinæ
Quam tua turba fuit. tendens hinc carbasa rursus
Jam Taurum, Tauroque videt Dipsanta cadentem.
    Crederet hoc Magnus, pacem cum præstitit undis
Et sibi consultum? Cilicum per littora tutus
Parva puppe fugit: sequitur pars magna Senatus

Plinius de Parthis: *Ad Scythas pertinent, cum quibus ex æquo degunt.* Et ante de Scythis: *Multitudo populorum innumera, et quæ cum Parthis ex æquo degat.* Grotius.

248. —— *Telmessidos undæ*] Variant non nihil MSS. Sed vera hæc lectio. Telmessus urbs apud Plinium: apud Strabonem et Stephanum τιλμισσός. Est in confinio Lyciæ et Cariæ. Grotius.

249. *Compensat medio pelagi.*] Duas has voces sequentibus ablatas addidimus prioribus. Sunt enim opposita, *medium pelagi*, et, *magni sinus.* Grotius.

251. —— *Te primum, parva Phaselis,*] *Phaseli* vocante casu MS. P. rectius.

Ad profugum collecta ducem: parvisque Synedris,
Quo portu mittitque rates recipitque Selinus,
In procerum cœtu tandem mœsta ora resolvit
Vocibus his Magnus: comites bellique, fugæque,
Atque instar patriæ, quamvis in littore nudo,
In Cilicum terra, nullis circundatus armis
Consultem, rebusque novis exordia quæram,
Ingenteis præstate animos: non omnis in arvis
Emathiis cecidi, nec sic mea fata premuntur,
Ut nequeam relevare caput, cladesque receptas
Excutere. an Libycæ Marium potuere ruinæ
Erigere in fasces, plenis et reddere fastis:
Me pulsum leviore manu Fortuna tenebit?
Mille meæ Graio volvuntur in æquore puppes,
Mille duces: sparsit potius Pharsalia nostras,
Quam subvertit opes. sed me vel sola tueri
Fama potest rerum, toto quas gessimus orbe,
Et nomen, quod mundus amat. vos pendite regna
Viribus, atque fide, Libyen, Parthosque, Pharonque,
Quænam Romanis deceat succurrere rebus.
Ast ego curarum, proceres, arcana mearum
Expromam, mentisque meæ quo pondera vergant.
Ætas Niliaci nobis suspecta tyranni est:
Ardua quippe fides robustos exigit annos.
Hinc anceps dubii terret solertia Mauri:

Hanc alii Lyciæ, alii Pamphyliæ assignant. Grotius.

259. —— *Parvisque Synedris,*] Legi debere Syedris monuit ad Florum pridem Salmasius, pariterque corrigendum Strabonem, ubi Συδρή. Σύεδρα sunt apud Stephanum, Ptolomæum, Acta Synodica sub Mena. Grotius.

260. —— *Selinus,*] Variant et hic MSS. sed rectum hoc esse monstrat Strabo. Fluvius est Ciliciæ. Grotius.

286. —— *Obliquo maculat qui sanguine regnum,*] Sic Papinius v. Thebaidos: *obliquumque a patre genus.* Grotius.

287. *Et Numidas contingit avos:*] *Contingit* hic valet contagione polluit. Grotius. Cave, hoc viro magno credas. nihil vulgatius hoc verbo, in cognatione et affinitate, *Contingere,* sine ulla contagionis nota.

290. *Dividit Euphrates ingenti gurgite mundum,*] Omnes fere codices cum Romana et Veneta *Ingentem.* Recte. *Ingens orbis.* Ovid. Trist. v. 8.

Vel quia nil *ingens* ad finem solis ab ortu
Illo cui paret mitius *orbis* habet.

295. *Celsior in campis sonipes, et fortior arcus;*] Codex Coll. Trinitatis, *Campo.* Lege,

Celsior *IT campo* sonipes et fortior *ARTUS.*

Celsior et fortior artus. Val. Flaccus ii. 546.

Namque memor generis Carthaginis impia proles
Imminet Hesperiæ, multusque in pectore vano est
Annibal, obliquo maculat qui sanguine regnum,
Et Numidas contingit avos: jam supplice Varo
Intumuit, viditque loco Romana secundo.
Quare agite, Eoum, comites, properemus in orbem.
Dividit Euphrates ingenti gurgite mundum,
Caspiaque immensos seducunt claustra recessus,
Et polus Assyrias alter noctesque, diesque
Vertit, et abruptum est nostro mare discolor unda,
Oceanusque suus: regnandi sola voluptas.
Celsior in campis sonipes, et fortior arcus;
Nec puer, aut senior letales tendere nervos
Segnis, et a nulla mors est incerta sagitta.
Primi Pellæas arcu fregere sarissas,
Bactraque Medorum sedem, murisque superbam
Assyrias Babylona domos. nec pila timentur
Nostra nimis Parthis, audentque in bella venire,
Experti Scythicas, Crasso pereunte, pharetras.
Spicula nec solo spargunt fidentia ferro;
Stridula sed multo saturantur tela veneno.
Vulnera parva nocent, fatumque in sanguine summo est.
O utinam non tanta mihi fiducia sævis
Esset in Arsacidis! fatis nimis æmula nostris
Fata movent Medos, multumque in gente Deorum est.

———— qualis per pascua victor
Ingreditur, cum colla tumens, tum *celsior artus*
Taurus.

300. *Assyrias Babylona domos.*] *Assyriam* pro Syria veteres dixisse, tum alii monuere, tum Strabo lib. xvi. Sic Seneca Hippolito:

———— quicquid Assyria tenus
Tellure Nerei pervium rostris jacet.

Ut nos ibi legendum conjecimus. Grotius.

305. *Vulnera parva nocent,*] *Nocent.* Ovid. Heroid. xvi. 352.

Et mihi sunt vires, et mea tela *nocent*.

Sed quid mirum, si nocent? Corrige *Necant;* et tum apte subjungitur,

Fatumque in sanguine summo est.

Ovid. Fast. ii. 802.

At in dextra qui necet ensis adest.

Parva, non *Prima*. Livius xxxviii. 21. *Cum aculeus sagittæ aut glandis abditæ introrsus tenui vulnere in speciem* urit.

306. —— *Fiducia sævis
Esset in Arsacidis!*] Non placet hic loci *Sævis*. Bersmanni codex *Lævis*, alter *Ferri*. Quid si,

O utinam non tanta mihi fiducia *RERUM*
Esset in Arsacidis!

Infra 504.

Postquam nulla manet *rerum fiducia*, quærit
Cum qua gente cadat.

Effundam populos alia tellure revulsos,
Excitosque suis immittam sedibus ortus.
Quod si nos Eoa fides, et Barbara fallunt
Fœdera; vulgati supra commercia mundi
Naufragium Fortuna ferat. non regna precabor,
Quæ feci; sed magna feram solatia mortis
Orbe jacens alio, nil hæc in membra cruente,
Nil socerum fecisse pie. sed cuncta revolvens
Vitæ fata meæ, semper venerabilis illa
Orbis parte fui: quantus Mæotida supra!
Quantus apud Tanaim toto conspectus in ortu!
Quas magis in terras nostrum felicibus actis
Nomen abit, aut unde redit majore triumpho?
Roma, fave cœptis: quid enim tibi lætius unquam
Præstiterint Superi, quam, si civilia Partho
Milite bella geras, tantam consumere gentem,
Et nostris miscere malis? cum Cæsaris arma
Concurrent Medis, aut me Fortuna necesse est
Vindicet, aut Crassum. sic fatus, murmure sentit
Consilium damnasse viros: quos Lentulus omneis
Virtutis stimulis, et nobilitate dolendi
Præcessit, dignasque tulit modo Consule voces:
    Siccine Thessalicæ mentem fregere ruinæ?
Una dies mundi damnavit fata? secundum
Emathiam lis tanta datur? jacet omne cruenti
Vulneris auxilium? solos tibi, Magne, reliquit
Parthorum Fortuna pedes? quid transfuga mundi
Terrarum totos tractus, cœlumque perosus,
Adversosque polos, alienaque sidera quæris,
Chaldæos culture focos et barbara sacra
Parthorum famulus? quid causa obtenditur armis
Libertatis amor? miserum quid decipis orbem,
Si servire potes? te, quem Romana regentem
Horruit auditum, quem captos ducere Reges

310. *Excitosque ortus.*] Parthos, aliosque Orientis populos. Grotius.

338. *Chaldæos culture focos*] Ignem deum Chaldæorum. Grotius.

339. —— *Quid causa obtenditur armis Libertatis amor?*] Cur libertatis tutelam belli causam dicimus, si externa imperia pati possumus? Grotius.

Vidit ab Hyrcanis, Indoque a littore, silvis,
Dejectum fatis, humilem fractumque videbit,
Extolletque animos Latium vesanus in orbem,
Se simul, et Romam Pompeio supplice mensus?
Nil animis, fatisque tuis effabere dignum:
Exiget ignorans Latiæ commercia linguæ,
Ut lacrymis se, Magne, roges. patimurne pudoris
Hoc vulnus, clades ut Parthia vindicet ante
Hesperias, quam Roma suas? civilibus armis
Elegit te nempe ducem. quid vulnera nostra
In Scythicos spargis populos, cladesque latenteis?
Quid Parthos transire doces? solatia tanti
Perdit Roma mali, nullos admittere Reges,
Sed civi servire suo. juvat ire per orbem
Ducentem sævas Romana in mœnia gentes,
Signaque ab Euphrate cum Crassis capta sequentem?
Qui solus regum, fato celante favorem,
Defuit Emathiæ, nunc tantas ille lacesset
Auditi victoris opes, aut jungere fata
Tecum, Magne, volet? non hæc fiducia genti est.
Omnis in Arctois populus quicunque pruinis
Nascitur, indomitus bellis, et martis amator.
Quicquid ad Eoos tractus, mundique teporem
Labitur, emollit gentes clementia cœli.
Illic et laxas vestes, et fluxa virorum
Velamenta vides. Parthus per Medica rura,
Sarmaticos inter campos, effusaque plano
Tigridis arva solo, nulli superabilis hosti est,
Libertate fugæ: sed non, ubi terra tumebit,
Aspera conscendet montis juga; nec per opacas
Bella geret tenebras incerto debilis arcu,
Nec franget nando violenti vorticis amnem,
Nec tota in pugna perfusus sanguine membra
Exiget æstivum calido sub pulvere solem.

350. —— *Clades ut Parthia vindicet ante Hesperias, quam Roma suas?*] Clades acceptas Pharsalico aliisque præliis prius Parthi vindicent, quam nos cladem ad Carras? Grotius.

375. *Nec tota in pugna perfusus sanguine membra*

Non aries illis, non ulla est machina belli:
Haud fossas implere valent: Parthoque sequente
Murus erit, quodcunque potest obstare sagittæ.
Pugna levis, bellumque fugax, turmæque vagantes,
Et melior cessisse loco, quam pellere, miles.
Illita tela dolis, nec martem comminus unquam
Ausa pati virtus, sed longe tendere nervos,
Et, quo ferre velint, permittere vulnera ventis.
Ensis habet vires, et gens quæcunque virorum est,
Bella gerit gladiis. nam Medos prælia prima
Exarmant, vacuæque jubent remeare pharetræ.
Nulla manus illis; fiducia tota veneni est.
Credis, Magne, viros, quos in discrimina belli
Cum ferro venisse parum est? tentare pudendum
Auxilium tanti est, toto divisus ut orbe
A terra moriare tua? tibi barbara tellus
Incumbat? te parva tegant, ac vilia busta,
Invidiosa tamen, Crasso quærente sepulcrum.
Sed tua sors levior, quoniam mors ultima pœna est,
Nec metuenda viris. at non Cornelia letum
Infando sub rege timet. num barbara nobis
Est ignota Venus, quæ ritu cæca ferarum
Polluit innumeris leges, et fœdera tedæ
Conjugibus, thalamique patent secreta nefandi
Inter mille nurus? epulis vesana, meroque
Regia, non ullos exceptos legibus horret
Concubitus: tot femineis complexibus unum
Non lassat nox tota marem. jacuere sorores
In regum thalamis, sacrataque pignora matres.
Damnat apud gentes sceleris non sponte peracti

Exiget æstivum calido sub pulvere solem.] Seneca Epist. p. 320. de Athletis, *Solem ardentissimum in ferventissimo pulvere sustinens aliquis et sanguine suo madens diem ducit.*

385. —— *Et gens quæcunque virorum est,*
Bella gerit gladiis.] Parthos notat ut effeminatos, imbelles. Sic rex Epiri Alexander se in viros incidisse dicebat, Alexandrum Philippi Macedonis filium in feminas. Grotius.

397. —— *Num barbara nobis*
Est ignota Venus,] Alii codices NON *barbara*. Recte. Hoc flagitat, quod sequitur,

—— thalamique patent secreta nefandi:

Non ignota est, thalamique (hoc est, solemni Lucani sermone,) sed *thalami secreta*

Œdipodionias infelix fabula Thebas:
Parthorum dominus quoties sic sanguine misto
Nascitur Arsacides? cui fas implere parentem,
Quid rear esse nefas? proles tam clara Metelli
Stabit barbarico conjux millesima lecto.
Quanquam non ulli plus regia, Magne, vacabit
Sævitia stimulata Venus, titulisque virorum.
Nam quo plura juvent Parthum portenta, fuisse
Hanc sciet et Crassi: ceu pridem debita fatis
Assyriis, trahitur cladis captiva vetustæ.
Hæreat Eoæ vulnus miserabile sortis;
Non solum auxilium funesto a rege petisse,
Sed gessisse prius bellum civile pudebit.
Nam quod apud populos crimen socerique, tuumque
Majus erit, quam quod vobis miscentibus arma,
Crassorum vindicta perit? incurrere cuncti
Debuerant in Bactra duces, et ne qua vacarent
Arma, vel Arctoum Dacis, Rhenique catervis
Imperii nudare latus, dum perfida Susa
In tumulos prolapsa ducum, Babylonque jacerent.
Assyriæ paci finem, Fortuna, precamur:
Et, si Thessalia bellum civile peractum est,
Ad Parthos, qui vicit, eat. gens unica mundi est,
De qua Cæsareis possim gaudere triumphis.
Non tibi, quamprimum gelidum transibis Araxem,
Umbra senis mœsti Scythicis confixa sagittis
Ingeret has voces? tu, quem post funera nostra
Ultorem cinerum nudæ speravimus umbræ,
Ad fœdus, pacemque venis? tum plurima cladis
Occurrent monimenta tibi: quæ mœnia trunci

patent. Si quis *Num* quovis pacto hic retineat, tum legendum erit,

—— thalamique *LATENT* secreta nefandi?

399. *Polluit innumeris* ——
Conjugibus,] Mallem, si faveret codex, Conjugiis.

402. —— *Non ullos exceptos legibus horret*
Concubitus:] Ita rescripsimus pro *ullis.* Nullos horret concubitus eorum quos leges interdicunt, ne matrum quidem. Grotius.

420. *Nam quod apud populos*] *Nam quod* et *Quam quod,* non admodum venuste. Repone ex Bersmanni codice, deleta interrogationis nota,

Nam *NEQUE* apud populos crimen socerique, tuumque
Majus erit, quam quod, *&c.*

427. *Assyriæ paci*] Sidonius Carm. ii.

Lustrarunt cervice duces, ubi nomina tanta
Obruit Euphrates, et nostra cadavera Tigris
Detulit in terras, ac reddidit. ire per ista
Si potes, in media socerum quoque, Magne, sedentem
Thessalia placare potes. quin respicis orbem
Romanum? si regna times projecta sub Austro,
Infidumque Jubam, petimus Pharon arvaque Lagi.
Syrtibus hinc Libycis tuta est Ægyptus: at inde
Gurgite septeno rapidus mare summovet amnis:
Terra suis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Jovis, in solo tanta est fiducia Nilo.
Sceptra puer Ptolemæus habet tibi debita, Magne,
Tutelæ commissa tuæ. quis nominis umbram
Horreat? innocua est ætas: ne jura, fidemque,
Respectumque Deum veteris speraveris aulæ.
Nil pudet assuetos sceptris: mitissima sors est
Regnorum sub rege novo. Non plura locutus
Impulit huc animos. quantum spes ultima rerum
Libertatis habet! victa est sententia Magni.
Tunc Cilicum liquere solum, Cyproque citatas
Immisere rates, nullas cui prætulit aras
Undæ diva memor Paphiæ, si numina nasci
Credimus, aut quenquam fas est cœpisse Deorum.

—— huic quondam reparatio credita pacis
Assyriæ.

428. —— *Thessalia*] Non *Thessaliæ*. Deest *in* præpositio. Grotius. Omnes nostri codices, *Thessalia*.

442. —— *Si regna times projecta sub Austro,*] Alii codices *Protenta*. Repone PORRECTA. Horat. Carm. iv. 15.

———— et imperi
Porrecta majestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.

Vel

———— et imperi
Porrecta Majestas *ab Euro*
Solis *ad occiduum cubile*.

Silius i. 130.

Hesperio tellus *porrecta* sub axe.

450. ——— *Ne jura, fidemque, Respectumque Deum veteris speraveris aulæ.*] Ita maluimus quam *nec*. Sensus est: regnandi veteribus haud tuto credi: meliores esse reges juvenes. Grotius.

454. —— *Quantum spes ultima rerum Libertatis habet!*] Quid est *Spes ultima rerum?* Codex Bersmanni SORS, et alter Pulmanni, HABES. Repone,

——— quantum *sors* ultima rerum,
Libertatis *habes!*

Ubi *sors ultima* est, ubi nihil pejus timendum restat, libere et contumaciter agunt et loquuntur. Ovid. Met. xiv. 488.

——— nam dum pejora timentur,
Est in vota locus: sors autem ubi pessima rerum;
Sub pedibus timor est, securaque summa malorum.

458. *Undæ diva memor Paphiæ,*] Lege

Hæc ubi deseruit Pompeius littora, totos
Emensus Cypri scopulos, quibus exit in Austrum,
Inde maris vasti transfuso vertitur æstu:
Nec tenuit Casium nocturno lumine montem,
Infimaque Ægypti pugnaci littora velo
Vix tetigit, qua dividui pars maxima Nili
In vada decurrit Pelusia septimus amnis.
Tempus erat, quo Libra pares examinat horas
Non uno plus æqua die, noctique rependit
Lux minor hybernæ verni solatia damni.
Comperit ut regem Casio se monte tenere,
Flectit iter : nec Phœbus adhuc, nec carbasa languent.
Jam rapido speculator eques per littora cursu
Hospitis adventu pavidam compleverat aulam.
Consilii vix tempus erat: tamen omnia monstra
Pellææ coiere domus: quos inter Achoreus
Jam placidus senio, fractisque modestior annis,
(Hunc genuit custos Nili crescentis in arva
Memphis vana sacris; illo cultore Deorum
Lustra suæ Phœbes non unus vixerat Apis;)
Consilii vox prima fuit, meritumque, fidemque,
Sacraque defuncti jactavit pignora patris.
Sed melior suadere malis, et nosse tyrannos,

Patriæ. Tacitus Hist. ii. 3. *Fama recentior tradit, a Cinyra sacratum templum, Deamque ipsam* (Paphiam Venerem) *huc appulsam.*

462. *Inde maris vasti transfuso vertitur æstu:*] Eo mari quod Cyprum et Ægyptum inter funditur. Grotius.

463. *Nec tenuit Casium nocturno lumine montem,*] Nullus hic locus Casio monti, qui post aliquanto memoratur. MSS. habent.

Nec tenuit gratum nocturno lumine montem.

Chimæram intelligit, montem noctibus flagrantem, ut loquitur Plinius. Grotius. Aliud agebat vir magnus, cum *Chimæram* montem hic intelligeret. *Chimæra in Lycia est, mons noctibus flagrans* Plin. v. 285. et in ea quidem Lyciæ parte quæ Phaselis dicitur. Idem ii. 110. *Flagrat in Phaselide mons Chimæra, et quidem immortali diebus ac noctibus flamma.* Quo igitur modo *gratum lumen;* qui magis quam Vesuvii vel Ætnæ? et quomodo *Nocturnum,* qui et dies et noctes flagrat! Sed his remotis, situs ipse loci omnino repugnat. Pompeius a Cypro recta tendebat ad Alexandriam Ægypti; ut 443. *Petimus Pharon, arvaque Lagi.* Quid rei tum erat cum monte Lyciæ? Tu repone,

Nec tenuit *GRATAM* nocturno lumine *MOLEM.*

Turrim Pharon intelligit, quam cursu petebat; sed *non tenuit,* quia vento adverso

Ausus Pompeium leto damnare Pothinus;
Jus, et fas, multos faciunt, Ptolemæe, nocenteis.
Dat pœnas laudata fides, cum sustinet, inquit,
Quos Fortuna premit. fatis accede, Deisque,
Et cole felices, miseros fuge. sidera terra
Ut distant, et flamma mari, sic utile recto.
Sceptrorum vis tota perit, si pendere justa
Incipit: evertitque arces respectus honesti.
Libertas scelerum est, quæ regna invisa tuetur,
Sublatusque modus gladiis. facere omnia sæve
Non impune licet, nisi dum facis. exeat aula
Qui volet esse pius. virtus, et summa potestas
Non coëunt: semper metuet, quem sæva pudebunt.
Non impune tuos Magnus contemserit annos;
Qui te nec victos arcere a littore nostro
Posse putat. neu te sceptris privaverit hospes,
Pignora sunt propiora tibi: Nilonque, Pharonque,
Si regnare piget, damnatæ redde sorori.
Ægyptum certe Latiis tueamur ab armis.
Quicquid non fuerit Magni, dum bella geruntur,
Nec victoris erit. toto jam pulsus ab orbe,
Postquam nulla manet rerum fiducia, quærit
Cum qua gente cadat: rapitur civilibus umbris.

utebatur. Ea vero *Grata nocturno lumine*, quia *e turri nocturnis ignibus cursum navium regit*, ut Plin. v. 34. *Moles* autem et *Montes* passim confundunt Librarii. *Gratum* tres quoque e nostris habent non *Casium*. Noster ix. 1004.

Septima *nox*, Zephyro numquam laxante rudentes;
Ostendit *Phariis* Ægyptia littora flammis:
Sed prius orta dies nocturnam lampada texit,
Quam tutas intraret aquas.

Rutil. Itin. i. 403.

Non illic positas extollit in æthera *moles*
Lumine nocturno conspicienda Pharos.

483. ——— *Pothinus*;] Ita ubique scribendum hoc nomen, non, ut ante fuit, *Photinus*. Est enim Græcum Ποθεινὸς, apud Plutarchum, Appianum, alios, non Φωτεινὸς, quod et lex versuum repudiat. Grotius.

484. *Jus, et fas, multos faciunt, Ptolemæe, nocenteis.*] Id est, *pœnæ multos subdunt*. Grotius.

489. ——— *Si pendere justa Incipit:*] Codex Regius *Incipis;* quod placet, ut mox, *Nisi cum facis*.

492. ——— *Facere omnia sæve Non impune licet, nisi dum facis.*] Nostra est emendatio, pro *cum facis*. continuanda enim scelera docet, juxta illud:

Per scelera semper sceleribus tutum est iter.

Grotius. Eodem recidit, quod omnes codices habent CUM. Lege,

——— facere omnia *QUÆ VIS*
Non, impune licet, nisi *CUM* facis.

Sed et ulterius progrediendum puto, et reponendum,

——— facere omnia *QUÆ VIS*

Nec soceri tantum arma fugit: fugit ora Senatus,
Cujus Thessalicas saturat pars magna volucres:
Et metuit gentes, quas uno in sanguine mistas
Deseruit: regesque timet, quorum omnia mersit:
Thessaliæque reus, nulla tellure receptus,
Sollicitat nostrum, quem nondum perdidit, orbem.
Justior in Magnum nobis, Ptolemæe, querelæ
Causa data est. quid sepositam, semperque quietam
Crimine bellorum maculas Pharon, arvaque nostra
Victori suspecta facis? cur sola cadenti
Hæc placuit tellus, in quam Pharsalica fata
Conferres, pœnasque tuas? jam crimen habemus
Purgandum gladio, quod nobis sceptra Senatus
Te suadente dedit, votis tua fovimus arma.
Hoc ferrum, quod fata jubent proferre, paravi
Non tibi, sed victo. feriam tua viscera, Magne:
Malueram soceri: rapimur, quo cuncta feruntur.
Tene mihi dubitas an sit violare necesse,
Cum liceat? quæ te nostri fiducia regni
Huc agit, infelix? populum non cernis inermem,
Arvaque vix refugo fodientem mollia Nilo?
Metiri sua regna decet, viresque fateri.
Tu, Ptolemæe, potes Magni fulcire ruinam,
Sub qua Roma jacet? bustum, cineresque movere

Non, *PTOLEMÆE*, licet, nisi *CUM* facis.

494. *Qui volet esse pius.*] Omnes nostri *Vult*, et Priscianus p. 1171.

495. ——— *Semper metuet, quem sæva pudebunt.*] Lucani sæculo non sic loquebantur. *Pudet* tum impersonale erat. Neque remota sermonis sententia convenit. puto Lucanum scripsisse,

Semper metuet, quem *jura movebunt.*

498. ——— *Neu te sceptris privaverit hospes,*] Alii codices *Neu nos.* Oratorie: sic versu præcedente, *Litore nostro.* Quid quos *Nos* hic populos notat. Non nos regibus privet; et regnum vetus in provinciam Romanam vertat.

510. *Thessaliæque reus,*] In accusationes et querelas omnium illapsus per cladem Pharsalicam. Grotius.

523. *Tene mihi dubitas an sit violare necesse,*
Cum liceat?] Ostendo necesse esse, quia licet, quia possum. Neque enim possem te lædere si Romanarum rerum potireris. nunc, quia non poteris, ob hoc ipsum necesse quoque est id faciam, ne videar tui tutelam suscipere. Simplicior tamen sensus esset vocibus transpositis:

Tene mihi dubitas cum sit violare necesse,
An liceat?

Seneca pater: *Necessitas, magnum humanæ imbecillitatis patrocinium, quicquid cogit, defendit.* Grotius. Esto *sensus simplicior:* at argutior multo est, quam receptus ordo reddit. Necesse est, quia possum. Id crimini dabitur, potuisse et non fecisse. Hoc victor a nobis requirit; quocum certare non possumus. Cæterum

Z z

Thessalicos audes, bellumque in regna vocare?
Ante aciem Emathiam nullis accessimus armis:
Pompeii nunc castra placent, quæ deserit orbis?
Nunc victoris opes, et cognita fata lacessis?
Adversis non deesse decet, sed læta secutos.
Nulla fides unquam miseros elegit amicos.
  Assensere omnes sceleri. lætatur honore
Rex puer insueto, quod jam sibi tanta jubere
Permittunt famuli. sceleri delectus Achillas.
Perfida qua tellus Casiis excurrit arenis,
Et vada testantur junctas Ægyptia Syrtes,
Exiguam sociis monstri, gladiisque carinam
Instruit. o superi, Nilusne, et barbara Memphis,
Et Pelusiaci tam mollis turba Canopi
Hos animos! sic fata premunt civilia mundum!
Sic Romana jacent! ullusne in cladibus istis
Est locus Ægypto? Phariusque admittitur ensis?

pro *Violare* codex Caianus egregie, *Jugulare*. Illud alterum nimis hic reverenter; et id, quod facturus est, nefas et scelus esse verbo ipso confitetur. x. 389.

——— *jugulus* mihi Cæsaris haustus
Hoc præstare potest.

et 394.

——— ite feroces
Cæsaris in jugulum.

527. *Metiri sua regna decet, viresque fateri.*] Supra 524. habuimus, *Fiducia regni;* et mox iterum redit 530. *Bellumque in regna vocare.* Sat veniæ est, si bis intra versus tam paucos admittatur; at uter, concedi non potest. Quid quod oratio manca est, et verbum deficit: Quem enim decet metiri? Si *Regna* hic voluisset Poëta, omnino dixisset,

Metiri *TUA* regna decet, viresque fateri.

Sed sine dubio corrigendum,

Metiri sua *QUEMQUE* decet, viresque fateri.

Horat. Epist. i. 7.

Metiri se *quemque* suo modulo ac pede verum est.

Corrippus Africanus iii.

Quisque suas mensuret opes viresque suorum
Cum queis bella gerat.

Seneca De Benefic. ii. 15.

Respiciendæ sunt cuique facultates suæ viresque.

528. *Tu, Ptolemæe, potes Magni fulcire ruinam,*
Sub qua Roma jacet?] Sic Curtius i. 6. *ruinæ rerum eos subdere capita.* Grotius.

539. *Perfida qua tellus Casiis excurrit arenis,*] Recte et *Excurrit* et *Arenis.* Strabo p. 1182. ἐστὶ δὲ κάσιον, θινώδης τις λόφος ἀκρωτηριάζων, id est, Arenosus collis excurrens.

544. ——— *Sic fata premunt civilia mundum!*] Ubique sane Noster *Fata* nobis ingerit, utpote Stoicus; et infra 823.

Noxia *civili* tellus Ægyptia *fato.*

iterum versu abhinc tertio inculcat, *Civilia bella. Pharsalia fata,* vel *Pharsalica* sententiæ satis convenirent, sed et nimis recedunt a Librariorum lectione, et supra 516. hæc occupata sunt,

Hæc placuit tellus, in quam *Pharsalica fata*
Conferres?

Fortasse sic dedit auctor:

Hanc certe servate fidem, civilia bella:
Cognatas præstate manus, externaque monstra
Pellite, si meruit tam claro nomine Magnus
Cæsaris esse nefas. tanti, Ptolemæe, ruinam
Nominis haud metuis? cæloque tonante profanas
Inseruisse manus, impure, ac semivir, audes?
Non domitor mundi, nec ter Capitolia curru
Invectus, regumque potens, vindexque Senatus,
Victorisque gener; Phario satis esse tyranno
Quod poterat, Romanus erat. quid viscera nostra
Scrutaris gladio? nescis, puer improbe, nescis
Quo tua sit fortuna loco: jam jure sine ullo
Nili sceptra tenes! cecidit civilibus armis
Qui tibi regna dedit. jam vento vela negarat
Magnus, et auxilio remorum infanda petebat
Littora: quem contra non longa vecta biremi
Appulerat scelerata manus: Magnoque patere

Sic fata premunt *crudelia* mundum.

Virgil. Georg. iv. 495.

——— iterum *crudelia* retro
Fata vocant.

Æn. i. 225.

——— crudelia secum
Fata Lyci.

sic infra v. 644. *Facinus civile.* codex Pulmanni, *Crudele.*

547. *Hanc certe servate fidem,*] Alii codices, sed pauciores, *Saltem.*

549. —— *Si meruit tam claro nomine Magnus Cæsaris esse nefas.*] Ab ipso Cæsare occidi. Grotius.

550. —— *Tanti, Ptolęmæe, ruinam Nominis haud metuis?*] Quis hic ferat *Tanti nominis*, cum altero abhinc versu legerit, *Tam claro nomine?* Corrige,

——— tanti, Ptolemæe, ruinam
NUMINIS haud metuis?

et hoc pacto apta et apposita sunt, quæ sequuntur,

——— *cæloque* tonante profanas
Inseruisse manus, impure et semivir, audes?

Quæ nisi *Numine* legas, abrupta et inconnexa veniunt.

554. —— *Regumque potens, vindexque Senatus,*] Codices omnes *Regum*. Vel corrige cum acutissimo Nic. Heinsio ad Claudianum, *Legumque potens:* vel mecum, quod fortasse præstat *Rerumque potens.* Lucretius ii. 49.

Audacterque inter reges, *rerumque potentes*
Versatur.

iii. 1041.

Inde alii multi reges, *rerumque potentes*
Occiderant.

Ovid. Fast. i. 88.

A populo rerum *digna* potente *coli.*

Certe majus quid est, *Rerum potens*, quam *Legum potens.*

562. —— *Quem contra non longa vecta biremi Appulerat scelerata manus:*] *Non longa* proprie dictum, quia quædam sunt *naves longæ*, νῆες μακραὶ, passim apud Græcos Latinosque. Sed quid obsecro est *Appulerat?* Appellere non dicitur nisi ad litus: atqui ipse Pompeius remis petebat litus, hi obviam ei *a litore* veniebant.

Fingens regna Phari, celsæ de puppe carinæ
In parvam jubet ire ratem, littusque malignum
Incusat, bimaremque vadis frangentibus æstum,
Qui vetet externas terris advertere classes.
Quod nisi fatorum leges, intentaque jussu
Ordinis æterni miseræ vicinia mortis
Damnatum leto traherent ad littora Magnum;
Non ulli comitum sceleris præsagia deerant.
Quippe fides si pura foret, si regia Magno
Sceptrorum auctori vera pietate pateret;
Venturum tota Pharium cum classe tyrannum.
Sed cedit fatis, classemque relinquere jussus
Obsequitur, letumque juvat præferre timori.
Ibat in hostilem præceps Cornelia puppim,
Hoc magis impatiens egresso deesse marito,
Quod metuit clades. remane, temeraria conjux,
Et tu, nate, precor, longeque e littore casus
Expectate meos: et in hac cervice tyranni
Explorate fidem. dixit: sed surda vetanti
Tendebat geminas amens Cornelia palmas:
Quo sine me crudelis abis? iterumne relinquor
Thessalis summota malis? nunquam omine læto
Distrahimur miseri. poteras non flectere puppim,
Cum fugeres alio, latebrisque relinquere Lesbi,
Omnibus a terris si nos arcere parabas?
An tantum in fluctus placeo comes? Hæc ubi frustra

Quid porro est, *Contra Pompeium appellere?* Cur denique *Appulerat* tempore præterito cum hæc summa festinatione tunc cum maxime agerentur! Corrige,

——— quem contra non longa vecta biremi
APPROPERAT scelerata manus.

Festinat obviam ei occurrere, præsenti tempore, ut mox *Jubet, Incusat.*

589. —— *Hæc ubi frustra Effudit,*] Placet, quod ferunt alii codices, *Effundit.*

591. *Attonitoque metu nec quoquam avertere visus,*] Alii libri *Attonitos visus.* Recte. Ovid. Met. iii. 4.

—— et *attonitos* subitus tremor occupat *artus.*

Heroid. v.

Attoniti micuere *sinus.*

Tacit. Hist. i. 40. *Neque populi aut plebis ulla vox, sed* attoniti vultus, *et conversæ ad omnia aures.*

601. —— *Quod bello hæc dextra vacasset,*] Recipimus ex aliis libris *Vacaret;* ne tres versus continui in eundem tonum exeant. *Putasset, Vocasset, Fugasses.*

603. *Disponis gladios, ne quo non fiat in orbe,*
Heu, facinus civile tibi.] Imitatus est hunc locum Claudianus, ii. Rufin. 24.

Laxavitque viam bellis, et *nequa* maneret
Immunis regio, cladem divisit in urbes,
Disposuitque nefas.

Effudit, prima pendet tamen anxia puppe:
Attonitoque metu nec quoquam avertere visus,
Nec Magnum spectare potest. stetit anxia classis
Ad ducis eventum, metuens non arma, nefasque;
Sed ne submissis precibus Pompeius adoret
Sceptra sua donata manu. transire parantem
Romanus Pharia miles de puppe salutat
Septimius: qui, pro superum pudor, arma satelles
Regia gestabat posito deformia pilo,
Immanis, violentus, atrox, nullaque ferarum
Mitior in cædes. quis non, Fortuna, putasset
Parcere te populis, quod bello hæc dextra vacasset,
Thessaliaque procul tam noxia tela fugasses?
Disponis gladios, ne quo non fiat in orbe,
Heu, facinus civile tibi. victoribus ipsis
Dedecus, et nunquam Superum caritura pudore
Fabula; Romanus Regi sic paruit ensis,
Pellæusque puer gladio tibi colla recidit,
Magne, tuo. qua posteritas in secula mittet
Septimium fama? scelus hoc quo nomine dicent,
Qui Bruti dixere nefas? jam venerat horæ
Terminus extremæ, Phariamque ablatus in alnum
Perdiderat jam jura sui. tum stringere ferrum
Regia monstra parant. ut vidit comminus enses,
Involvit vultus: atque indignatus apertum
Fortunæ præbere caput, tunc lumina pressit,
Continuitque animam, ne quas effundere voces

Quid vero est *Fiat tibi?* Quidque *Heu,* nisi ad *Facinus* jungatur. Ovid. Metam. viii. 85.

> Intrat et (heu facinus) fatali nata parentem
> Crine suum spoliat.

Heroid. xvi.

> Heu facinus! totis indignus noctibus ille
> Te tenet.

Amor. i. 6.

> Heu facinus! pro me nunc valet illa parum.

Arte Amandi i. 751.

> Heu facinus! non est hostis metuendus amanti.

Auctor ad Liviam, 174.

> Heu facinus! per quæ victor iturus erat.

Noster x. 518.

> (Heu facinus) cervix gladio male cæsa pependit.

Corrige,

> ——— ne quo non fiat in orbe
> (Heu facinus) civile *NEFAS.*

Noster vii. 432.

> Quod fugiens *civile nefas,* redituraque nunquam
> Libertas.

Claudianus ii. in Rufin. 389.

> Bis domitum, *civile nefas,* bis rupimus Alpes.

Posset, et æternam fletu corrumpere famam.
At postquam mucrone latus funestus Achillas
Perfodit, nullo gemitu consensit ad ictum:
Despexitque nefas, servatque immobile corpus,
Seque probat moriens, atque hæc in pectore volvit:
Secula Romanos nunquam tacitura labores
Attendunt, ævumque sequens speculatur ab omni
Orbe ratem, Phariamque fidem. nunc consule famæ.
Fata tibi longæ fluxerunt prospera vitæ.
Ignorant populi, si non in morte probaris,
An scieris adversa pati. ne cede pudori,
Auctoremque dole fati. quacunque feriris,
Crede manum soceri. spargant, lacerentque licebit,
Sum tamen, o superi, felix, nullique potestas
Hoc auferre Deo. mutantur prospera vita:
Non sum morte miser. videt hanc Cornelia cædem,
Pompeiusque meus. tanto patientius oro
Claude, dolor, gemitus: natus, conjuxque peremptum
Si mirantur, amant. talis custodia Magno
Mentis erat: jus hoc animi morientis habebat.
At non tam patiens Cornelia cernere sævum
Quam perferre nefas, miserandis æthera complet
Vocibus: o conjux, ego te scelerata peremi:
Letiferæ tibi causa moræ fuit avia Lesbos,
Et prior in Nili pervenit littora Cæsar.
Nam cui jus alii sceleris? sed quisquis in istud
A superis immisse caput, vel Cæsaris iræ,
Vel tibi prospiciens, nescis crudelis, ubi ipsa
Viscera sint Magni: properas, atque ingeris ictus,

614. —— *Atque indignatus apertum Fortunæ præbere caput,*] Repone,

Involvit vultus, atque *INDIGNATUR* apertum
Fortunæ præbere caput.

Sed et libenter legerim,

—————— *haud* indignatus *opertum*
Fortunæ præbere caput.

619. —— *Nullo gemitu consensit ad ictum:*
Despexitque nefas,] Omnes codices *Respexit: Consensit* et *Respexit*, hoc est, *Favit, obsecutus est:* ut infra 645.

—————— properas atque ingeris ictus,
Qua votum est victo.

ix. 116.

Composita in mortem jacuit, *favitque procellis.*

626. *Ignorant populi, si non in morte probaris,*
An scieris adversa pati.] Immo re-

Qua votum est victo. pœnas non morte minores
Pendat, et ante meum videat caput. haud ego culpa
Libera bellorum, quæ matrum sola per undas,
Et per castra comes, nullis absterrita fatis,
Victum, quod reges etiam timuere, recepi.
Hoc merui, conjux, in tuta puppe relinqui?
Perfide, parcebas? te fata extrema petente
Vita digna fui? moriar, nec munere regis.
Aut mihi præcipitem nautæ permittite saltum:
Aut laqueum collo tortosque aptate rudentes:
Aut aliquis Magno dignus comes exigat ensem.
Pompeio præstare potest, quod Cæsaris armis
Imputet. o sævi, properantem in fata tenetis?
Vivis adhuc, conjux, et jam Cornelia non est
Juris, Magne, sui. prohibent accersere mortem:
Servor victori. sic fata, interque suorum
Lapsa manus, rapitur, trepida fugiente carina.
   At Magni cum terga sonent, et pectora ferro,
Permansisse decus sacræ venerabile formæ,
Iratamque Deis faciem, nihil ultima mortis
Ex habitu, vultuque viri mutasse, fatentur
Qui lacerum videre caput. nam sævus in ipso
Septimius sceleris majus scelus invenit actu:
Ac retegit sacros, scisso velamine, vultus
Semianimis Magni, spirantiaque occupat ora,
Collaque in obliquo ponit languentia transtro.
Tunc nervos, venasque secat, nodosaque frangit
Ossa diu: nondum artis erat caput ense rotare.
At postquam trunco cervix abscissa recessit,

pone IGNORENT, quantumvis recusent codices. et *Probaris*, accipe *Probaveris*.

627. —— *Ne cede pudori*,] Ne te pudeat, quod jussu pueri, decreto spadonum, manu desertoris occideris. Non illis ascribenda mors tua, sed Cæsari. Grotius.

631. —— *Mutantur prospera vita :*
Non sum morte miser.] Alii codices *Vitæ*, probante ad Claudianum Nic. Heinsio. tamen paulo ante habuimus v. 625. *Fluxerunt prospera vitæ.* Repone,

——— mutantur prospera vita;
Non *FIT* morte miser.

Hoc, egregia sententiæ venustate, suppeditat codex Collegii Trinitatis.

665. *Iratamque Deis faciem*,] Lege, CERTANTEMQUE *deis*, forma scilicet. Martialis ii. 43.

Grex tuus Iliaco poterat *certare* cinædo.

Vendicat hoc Pharius dextra gestare satelles.
Degener, atque operæ miles Romane secundæ,
Pompeii diro sacrum caput ense recidis,
Ut non ipse feras? o summi fata pudoris!
Impius ut Magnum nosset puer, illa verenda
Regibus hirta coma, et generosa fronte decora
Cæsaries compressa manu est; Pharioque veruto,
Dum vivunt vultus, atque os in murmura pulsant
Singultus animæ, dum lumina nuda rigescunt,
Suffixum caput est, quo nunquam bella jubente
Pax fuit: hoc leges, campumque, et Rostra movebat.
Hac facie, Fortuna, tibi, Romana, placebas.
Nec satis infando fuit hoc vidisse tyranno:
Vult sceleri superesse fidem. tunc arte nefanda
Submota est capiti tabes, raptoque cerebro
Adsiccata cutis, putrisque effluxit ab alto
Humor, et infuso facies solidata veneno est.
  Ultima Lageæ stirpis, perituraque proles,
Degener, incestæ sceptris cessure sororis,
Cum tibi sacrato Macedon servetur in antro,
Et regum cineres extructo monte quiescant,
Cum Ptolemæorum manes, seriemque pudendam,
Pyramides claudant, indignaque Mausolea:

Par forma Ganymedi.

676. —— *Operæ miles Romane secundæ,*] Τῶν δευτερίων, partium secundarum. A fabulis ductum. Major enim Achillæ dignitas qui caput Pompeii gestavit, quam Septimii qui à se abscissum gestare ipse non potuit. Grotius.

678. —— *O summi fata pudoris!*] Lege ex aliis codicibus, *Pro.*

681. *Cæsaries compressa manu est;*] Immo ut alii codices *Comprensa;* ut veruto suffigatur caput. Suetonius in Galba xx. *Gregarius miles caput ei amputavit; et quoniam* capillo *præ calvitie* arripere *non poterat, in gremium abdidit; mox inserto per os pollice, ad Othonem detulit.* Ovid. Metam. ix. 317.

Dixit et adversa *prensis* a fronte *capillis,*
Stravit humi pronam.

et ix. 317.

——— *prensamque* ipsis dea sæva *capillis*
Traxit.

Sed paucis, credo, placebit in eodem colo *Hirta coma* et *Decora Cæsaries.* quid enim differunt *Coma* et *Cæsaries?* mallem dixisse,

——— generosa fronte decora
CANITIES.

Jam enim canus erat Pompeius. Supra v. 56.

——— vultusque prementem
Canitiem.

Ovid. x. 425.

——— albaque toto
Vertice *canities* rigidis stetit *hirta capillis.*

Cæterum hinc cepit illud de Pompeio Silius xiii. 861.

Littora Pompeium feriunt, truncusque vadosis
Huc illuc jactatur aquis. adeone molesta
Totum cura fuit socero servare cadaver?
Hac Fortuna fide Magni tam prospera fata
Pertulit: hac illum summo de culmine rerum
Morte petit: cladesque omneis exegit in uno
Sæva die, quibus immunes tot præstitit annos:
Pompeiusque fuit, qui nunquam mista videret
Læta malis: felix nullo turbante Deorum,
Et nullo parcente miser. semel impulit illum
Dilata Fortuna manu. pulsatur arenis,
Carpitur in scopulis, hausto per vulnera fluctu
Ludibrium pelagi: nullaque manente figura,
Una nota est Magno capitis jactura revulsi.
Ante tamen Pharias victor quam tangat arenas,
Pompeio raptim tumulum Fortuna paravit,
Ne jaceat nullo, vel ne meliore sepulcro.
E latebris pavidus decurrit ad æquora Cordus.
Quæstor ab Idalio Cinyrææ littore Cypri
Infaustus Magni fuerat comes. ille per umbras
Ausus ferre gradum, victum pietate timorem
Compulit, ut mediis quæsitum corpus in undis
Duceret ad terram, traheretque ad littora Magnum.

Ille, hirta cui subrigitur coma fronte, decorum
Et gratum terris Magnus caput.

702. —— *Hac illum summo de culmine rerum*
Morte petit:] Acutissimus Nic. Heinsius ad Silium xiv. 630. ex suis codicibus reponit, *Sorte petit*. Sed majus, ni fallor, et sceleratius mendum hic latet. Quid enim est *Petere aliquem* DE *culmine?* Corrige,

Hac fortuna fide Magni tam prospera fata
Pertulit: hac illum summo de culmine rerum
PRÆCIPITAT.

Hac, iterum subauditur *Fide:* quod cum non animadverterent Librarii, locum fœde corruperunt. Seneca Nat. Quæst. Præf. p. 704. *Deus alia exaltat, alia submittit, nec molliter ponit, sed ex* fastigio *suo nullas habitura reliquias* jactat. et Epist. 47. *Dicat nunc aliquis me vocare ad pileum servos, et dominos de* fastigio *suo* dejicere.

703. —— *Cladesque omneis exegit in uno*
Sæva die, quibus immunes tot præstitit annos:] Recta lectio, ut patet ex oppositione. Opponitur enim unus dies infelix tot annis felicibus. Grotius. Ut hæc viri magni intelligas; scias Franciscum Modium in Epistola xcv. ubi Lucani quædam recenset, IMO DIE hic legendum contendere, non UNO.

717. *Infaustus Magni fuerat comes.*] MS. P. *Infaustus fugæ*. unde scribere liceat:

Infaustusque fugæ fuerat comes.

Lucis mœsta parum per densas Cynthia nubes
Præbebat; cano sed discolor æquore truncus
Conspicitur. tenet ille ducem complexibus arctis
Eripiente mari: nunc victus pondere tanto
Expectat fluctus, pelagoque juvante cadaver
Impellit. postquam sicco jam littore sedit,
Incubuit Magno, lacrymasque effudit in omne
Vulnus, et ad Superos, obscuraque sidera fatur:
  Non pretiosa petit cumulato ture sepulcra
Pompeius, Fortuna, tuus: non pinguis ad astra
Ut ferat e membris Eoos fumus odores,
Ut Romana suum gestent pia colla parentem,
Præferat ut veteres feralis pompa triumphos,
Ut resonent cantu tristi fora, totus ut ignem
Projectis mœrens exercitus ambiat armis.
Da vilem Magno plebeii funeris arcam,
Quæ lacerum corpus siccos effundat in ignes.
Robora non desint misero, nec sordidus ustor.
Sit satis, o superi, quod non Cornelia fuso
Crine jacet, subicique facem complexa maritum
Imperat, extremo sed abest a munere busti
Infelix conjux, nec adhuc a littore longe est.
Sic fatus, parvos juvenis procul aspicit ignes,

Grotius. Quod vir summus partim ex codice, partim ex conjectura extundit, id clare et integre extat in codice Regio,

Infaustus*QUE FUGÆ* fuerat comes.

Cujus vero comes? non *Magni* certe, nec ejus *fugæ*. Soli enim ex Pompeii comitatu una cum eo in Achillæ biremem ierant, Scena servus, Philippus libertus, et Centuriones duo, Plutarcho in Pompeio teste. Ex his quattuor nemo erat *Quæstor*. Addit Plutarchus, Libertum istum fragmenta carinæ contulisse, ad truncum Pompeii corpus deustulandum: *ei vero supervenisse hominem Romanum, jam senem, qui juvenis olim Pompeio militaverat*, et una cum Philippo rogum composuisse; *ὡς μὴ*, inquit *κατὰ πάντα μέμφωμαι τὴν* ἈΠΟΞΕΝΩΣΙΝ, *ἀντὶ πολλῶν ἀνιαρῶν τοῦτο γοῦν εὑράμενος*, *ut non per omnia querar de Exilio, sed pro multis miseriis hoc saltem nanciscar, maximum Romani nominis imperatorem sepeliisse*. In hoc *homine Romano*, in hac *ἀποξενώσει* sive fuga, latet forte ille quisquis est Quæstor, qui Prætori suo (ut verisimile est) in exilio comes fuerat. sed Plutarcho *γέρων senex* est, Nostro 743. *Juvenis*. vide de Gabinio exule Appian. Syr. p. 193.

741. —— *Munere busti*] Ita MS. non, *funere*. Dolet enim Corneliam ultimum marito officium subjiciendi facem non præstitisse. Grotius.

746. —— *Quæcunque es (ait) neglecta, nec ulli*
Cara tuo,] Codex Collegii Trinitatis *Nec leta:* unde corrigendum,

Corpus vile suis, nullo custode, cremantes.
Inde rapit flammas, semustaque robora membris
Subducens, quæcunque es (ait) neglecta, nec ulli
Cara tuo, sed Pompeio felicior umbra,
Quod jam compositum violat manus hospita bustum,
Da veniam: si quid sensus post fata relictum est:
Cedis et ipsa rogo, paterisque hæc damna sepulcri,
Teque pudet, sparsis Pompeii manibus, uri.
Sic fatur: plenusque sinus ardente favilla
Pervolat ad truncum; qui fluctu pæne relatus
Littore pendebat. summas dimovit arenas,
Et collecta procul laceræ fragmenta carinæ
Exigua trepidus posuit scrobe, nobile corpus
Robora nulla premunt, nulla strue membra recumbunt:
Admotus Magnum, non subditus, accipit ignis.
Ille sedens juxta flammas, O maxime, dixit,
Ductor, et Hesperii majestas nominis una,
Si tibi jactatu pelagi, si funere nullo
Tristior iste rogus; manes, animamque potentem
Officiis averte meis: injuria fati
Hoc fas esse jubet; ne ponti bellua quicquam,
Ne fera, ne volucres, ne sævi Cæsaris ira
Audeat: exiguam, quantum potes, accipe flammam,

> Quæcunque es (ait) *NEC FLETA* nec ulli
> Cara tuo.

Virgil. xi. 372.

> Nos animæ viles, inhumata *infletaque* turba

et vi. 401.

> Hic multum *fleti* ad superos belloque caduci.

753. *Pervolat ad truncum;*] Codices, *Pervolat, Prævolat, Evolat,* vel *Evolat* malim, vel *Provolat.*

761. *Si tibi jactatu pelagi, si funere nullo*
Tristior iste rogus;] *Funere nullo,* ut supra 714.

> Ne jaceat *nullo,* vel ne meliore *sepulcro.*

Sed codex Bersmanni et Regius, *Funere nudo.* Quid si legendum?

> Si tibi jactatu pelagi, si *pulvere nudo*
> Tristior iste rogus.

Pulvere hic idem quod *Litore, Arena.* ix. 342. de Syrti,

> ——— sicci jam pulveris agger.

ix. 394.

> ——— dum primus arenas
> Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam,

Horat. Carm. i. 28. 23.

> ——— vagæ ne parce malignus arenæ

mox,

> Injecto ter pulvere curras.

Ovid. Metam. ix. 35.

> Ille cavis hausto spargit me *pulvere* palmis,
> Inque vicem fulvæ jactu flavescit arenæ.

Noster x. 380.

> ——— tumulumque e *pulvere* parvo
> Aspice, Pompeii non omnia membra tegentem.

765. *Ne fera, ne volucres, ne sævi Cæ-*

Romana succense manu. Fortuna recursus
Si det in Hesperiam, non hac in sede quiescent
Tam sacri cineres: sed te Cornelia, Magne,
Accipiet, nostraque manu transfundet in urnam.
Interea parvo signemus littora saxo,
Ut nota sit busti; si quis placare peremtum
Forte volet, plenos et reddere mortis honores;
Inveniat trunci cineres, et norit arenas,
Ad quas, Magne, tuum referat caput. hæc ubi fatus,
Excitat invalidas admoto fomite flammas.
Carpitur, et lentum Magnus distillat in ignem,
Tabe fovens bustum. sed jam percusserat astra
Auroræ promissa dies: ille, ordine rupto
Funeris, attonitus latebras in littore quærit.
 Quam metuis, demens, isto pro crimine pœnam,
Quo te fama loquax omneis accepit in annos?
Condita laudabit Magni socer impius ossa.
I modo securus veniæ, fassusque sepulcrum
Posce caput. cogit pietas imponere finem
Officio. semusta rapit, resolutaque nondum
Ossa satis, nervis, et inustis plena medullis
Æquorea restinguit aqua, congestaque in unum
Parva clausit humo. tum ne levis aura retectos
Auferret cineres, saxo compressit arenam:
Nautaque ne bustum religato fune moveret,
Inscripsit sacrum semusto stipite nomen:
Hic situs est Magnus. placet hoc, Fortuna, sepulcrum

saris ira] Lege cum codice Collegii Trinitatis, *Volucris; Bellua, Fera, Volucris.*

769. —— *Sed te Cornelia, Magne,*
Accipiet, nostraque manu transfundet in urnam.] Quomodo *Nostra manu*, si *Cornelia accipiet?* Corrige,

PROPRIAQUE manu transfundet in urnam.

793. —— *Placet hoc, Fortuna, sepulcrum*
Dicere Pompeii:] Val. Max. i. 8. *Ipsi fortunæ erubescendum rogum.*

795. —— *Temeraria dextra,*] Poëtica est increpatio. Grotius.

806. *Quod si tam sacro dignaris nomine saxum;*] Jam antea hoc habuimus v. 792.

Inscripsit *sacrum* semusto stipite *nomen*.

Quare Bersmanniani codicis lectionem admittimus.

Quod si tam *CLARO* dignaris nomine saxum.

807. *Adde actus tantos, monimentaque maxima rerum:*] *Tantos maximaque*, hoccine placet? *Maxima rerum monumenta*, velles credo potius, *maximarum rerum monumenta.* Codex Bersmanni *Momentaque.* Corrige,

Dicere Pompeii: quo condi maluit illum,
Quam terra caruisse socer? temeraria dextra,
Cur obicis Magno tumulum, manesque vagantes
Includis? situs est, qua terra extrema refuso
Pendet in Oceano. Romanum nomen, et omne
Imperium Magno est tumuli modus. obrue saxa
Crimine plena Deum. si tota est Herculis Œte,
Et juga tota vacant Bromio Nyseia; quare
Unus in Ægypto Magno lapis? omnia Lagi
Rura tenere potest, si nullo cespite nomen
Hæserit. erremus populi, cinerumque tuorum,
Magne, metu nullas Nili calcemus arenas.
Quod si tam sacro dignaris nomine saxum;
Adde actus tantos, monimentaque maxima rerum.
Adde truces Lepidi motus, Alpinaque bella,
Armaque Sertori revocato Consule victa,
Et currus, quos egit eques: commercia tuta
Gentibus, et pavidos Cilicas maris. adde subactam
Barbariem, gentesque vagas, et quicquid in Euro
Regnorum, Boreaque jacet. dic semper ab armis
Civilem repetisse togam: ter curribus actis
Contentum patriæ multos donasse triumphos.
Quis capit hæc tumulus? surgit miserabile bustu
Non ullis plenum titulis, non ordine tanto
Fastorum: solitumque legi super alta Deorum
Culmina, et extructos spoliis hostilibus arcus,
Haud procul est ima Pompeii nomen arena,

Adde actus *TACITOS, MOMENTAQUE* maxima rerum.

Adde primum actus vitæ ejus tacitos, quæ in pace, in silentio, in curia, in rostris, in campo, consilio suo et authoritate egit; quamvis non ita foris clara, maxima tamen rerum momenta: deinde adde (ut in versibus sequentibus) bella ejus et res gestas. Noster iii. 338.

——— non pondera rerum
Nec *momenta* sumus.

vii. 118.

Si sine *momento rerum*, Partisque ruina
Casurum est, feriat.

816. —— *Surgit miserabile bustum*] Quomodo *surgit*, quod tam humile est, ut viator stans rectus legere nequeat? *Surgit*, de altis et sublimibus dicitur, ut infra 866.

Ardua marmoreo *surrexit* pondere moles.

Repone,

SORDET miserabile bustum.

Et quid sodes illud est, *Non ullis plenum titulis?* Non tot, non tantis titulis plenum facile caperem; at non *Ullis* plenum non intelligo. Repone,

Depressum tumulo, quod non legat advena rectus,
Quod nisi monstratum Romanus transeat hospes.
Noxia civili tellus Ægyptia fato.
Haud equidem immerito Cumanæ carmine Vatis
Cautum, ne Nili Pelusia tangeret ora
Hesperius miles, ripasque æstate tumentes.
Quid tibi, sæva, precer pro tanto crimine, tellus?
Vertat aquas Nilus, quo nascitur orbe, retentus,
Et steriles egeant hybernis imbribus agri,
Totaque in Æthiopum putres solvaris arenas.
Nos in templa tuam Romana accepimus Isin,
Semideosque canes, et sistra jubentia luctus,
Et quem tu plangens hominem testaris Osirim:
Tu nostros, Ægypte, tenes in pulvere Manes.
Tu quoque cum sævo dederis jam templa tyranno,
Nondum Pompeii cineres, o Roma petisti:
Exul adhuc jacet umbra ducis. si secula prima
Victoris timuere minas; nunc excipe saltem
Ossa tui Magni, si nondum subruta fluctu
Invisa tellure sedent. quis busta timebit?
Quis sacris dignam movisse verebitur urnam?
Imperet hoc nobis utinam scelus, et velit uti
Nostro Roma sinu: satis o nimiumque beatus,

Non *ILLIS* plenum titulis.

Illis titulis, quos novem versibus numeraverat.

820. *Haud procul est ima Pompeii nomen arena,*

Depressum tumulo,] Quid est *Nomen, depressum tumulo?* De depressione cautum erat, cum dixit, *Haud procul ima arena.* Lege ex aliis manuscriptis,

IMPRESSUM tumulo.

Virgil. Georg. i. 263.

Aut pecori signum, aut numeros *impressit* acervis.

823. *Noxia civili tellus Ægyptia fato.*] Propertius.

Noxia Alexandrea dolis aptissima tellus.

Grotius.

824. *Haud equidem immerito Cumanæ carmine Vatis*

Cautum, ne Nili Pelusia tangeret ora

Hesperius miles,] Appianus de Gabinio: ὑπὸ τῆς τῶν Ῥωμαίων βυλῆς ἔφυγεν, ἐπὶ τῷ ἄνευ ψηφίσματος εἰς Αἴγυπτον ἐμβαλεῖν ἐπὶ πολέμῳ, Ῥωμαίοις ἀπαισίῳ νομιζομένῳ. ἦν γάρ τι Σιβύλλειον αὐτοῖς ἀπαγορεῦον. Grotius.

833. *Et quem tu plangens hominem testaris Osirim:*] Ex Xenocratis dicto ad Ægyptios: ὅτοι εἰ μὲν θεοί εἰσι μὴ θρηνεῖτε αὐτούς. εἰ δὲ ἄνθρωποι, μὴ θύετε αὐτοῖς. Pari modo Xenophanes Eleates Græcis de Leucothea. εἰ μὲν θεὸν ὑπολαμβάνουσι μὴ θρηνεῖν, εἰ δ' ἄνθρωπον, μὴ θύειν. Grotius.

836. *Nondum Pompeii cineres, o Roma, petisti:*] At quoties Noster casu vocativo

Si mihi contingat manes transferre revulsos
Ausoniam, si tale ducis violare sepulcrum.
Forsitan aut sulco sterili cum poscere finem
A Superis, aut Roma volet feralibus Austris,
Ignibus aut nimiis, aut terræ tecta moventi:
Consilio, jussuque Deum transibis in urbem,
Magne, tuam, summusque feret tua busta sacerdos.
Nam quis ad exustam Cancro torrente Syenen
Ibit, et imbrifera siccas sub Pleiade Thebas
Spectator Nili: quis rubri stagna profundi,
Aut Arabum portus mercis mutator Eoæ,
Magne, petet, quem non tumuli venerabile saxum,
Et cinis in summis forsan turbatus arenis
Advertet? manesque tuos placare jubebit,
Et Casio præferre Jovi? nil ista nocebunt
Famæ busta tuæ. templis, auroque sepultus
Vilior umbra fores: nunc est pro numine summo,
Hoc tumulo Fortuna jacens. augustius aris
Victoris Libyco pulsatur ab æquore saxum.
Tarpeiis qui sæpe Deis sua tura negarunt,
Inclusum fusco venerantur cespite fulmen.
  Proderit hoc olim, quod non mansura sepulcri
Ardua marmoreo surrexit pondere moles.

Roma? nusquam alibi, *o Roma*. Codex Regius,

Nondum Pompeii cineres, *ROMANE*, petisti.

Egregie. Virgilius,

Tu regere imperio populos, *Romane*, memento.

Auctor ad Liviam 19.

Ignotumque tibi meruit, *Romane*, triumphum.

Horatius Carm. iii. 6.

Delicta majorum immeritus lues,
Romane.

Sat. i. 4. 85.

Hic niger est; hunc tu, Romane, caveto.

et Alibi sæpe.

857. *Advertet?*] Ita recte MS. Grotius.

861. *Hoc tumulo Fortuna jacens.*] Fortuna quodammodo cum ipso Pompeio sepulta, cui semper adfuerat. Grotius. Minore cum Pompeii laude *Fortuna* tumulo adjacet, quam Ajacis Telamonii *Virtus*.

Ἀδ' ἐγὼ ἁ τλάμων Ἀρέτα παρὰ τῷδε κάθημαι
Αἰάντος τύμβῳ, κειραμένα Πλοκάμους.

863. *Tarpeiis qui sæpe Deis sua tura negarunt,*] Melius alii codices *Negarant*.

864. *Inclusum fusco venerantur cespite fulmen.*] Thusco MSS. *Thusco cespite*, id est aggestione facta ex Ethrusca disciplina. Scholiastes ad Persium: *in usu fuit ut aruspices adducti ex Ethruria fulmina transfigurata in lapides infra terram absconderent. Venerantur*, cæsis bidentibus, unde bidental dictus locus. vide interpretem ad artem Horatii et quæ nos supra circa finem libri primi. Vide et Festum in voce Scribonianum puteal: ubi integi

Pulveris exigui sparget non longa vetustas
Congeriem, bustumque cadet, mortisque peribunt
Argumenta tuæ. veniet felicior ætas,
Qua sit nulla fides saxum monstrantibus istud:
Atque erit Ægyptus populis fortasse nepotum
Tam mendax Magni tumulo, quam Creta Tonantis.

dicit quod hic est includi. Sopiri dixit Varro, ubi de Curtio lacu agit. Grotius.

865. —— *Quod non mansura sepulcri Ardua marmoreo surrexit pondere moles.*] Manuscripti plerique omnes *Mansura futuris:* Recte. neque opus est voce *Sepulcri*, ut sepulcrum intelligamus.

870. —— *Saxum monstrantibus istud:*] *Illud* omnes fere codices.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER NONUS.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER NONUS.

AT non in Pharia manes jacuere favilla,
Nec cinis exiguus tantam compescuit umbram:
Prosiluit busto, semustaque membra relinquens,
Degeneremque rogum, sequitur convexa Tonantis.
Qua niger astriferis connectitur axibus aër;
Quodque patet terras inter, lunæque meatus
Semidei manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vitæ patientes ætheris imi
Fecit, et æternos animam collegit in orbes.
Non illuc auro positi, nec ture sepulti

5. *QUA niger astriferis connectitur axibus aër;*] Si *Niger aër*, ut codices habent, idcirco est, quia æther majore fruitur lumine; si *Piger*, ut fortasse reponendum, quia velociore motu pollet. Noster iv.74. *Congestumque aëris atri*, vi. 107. *Aëre non pigro.*

6. *Quodque patet terras inter, lunæque meatus*] Alii codices *Patens:* quod probat vir egregius Frid. Gronovius Observ. i. 13. *Quod inter terras*, ait, *et lunæ meatus patens habitant manes: inspice contextum, et verissimum hoc esse fatebere.* Non audio. Illud *Patet* cum prioribus connectitur, non cum sequentibus. *Sequitur convexa tonantis, Qua aër connectitur, Quodque patet.* Pone distinctionem post *Meatus:* et deinde ordine, *Semidei manes habitant.* Ita solent Poëtæ: Virgil. Æneid i. 16.

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni.

et *535.*

Terra antiqua, potens armis atque ubere glebæ:
Œnotri coluere viri.

iii. 104. et 106.

Creta Jovis magni medio jacet insula ponto:
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.

8. *Innocuos vitæ patientes ætheris imi*] Plerique omnes scripti *Vita;* et sic Priscianus p. 1123. et ad Statium Lactantius p. 202. Placet, tamen *Vitæ*, quia alter genitivus sequitur, *Ætheris imi.* Seneca Epist. 102. p. 508. *Nondum* (dum vivimus) *cœlum nisi ex intervallo* pati pos-

Perveniunt. illic postquam se lumine vero
Implevit, stellasque vagas miratur, et astra
Fixa polis, vidit quanta sub nocte jaceret
Nostra dies risitque sui ludibria trunci.
Hinc super Emathiæ campos, et signa cruenti
Cæsaris, ac sparsas volitavit in æquore classes;
Et scelerum vindex in sancto pectore Bruti
Sedit, et invicti posuit se mente Catonis.
Ille, ubi pendebat casus, dubiumque manebat,
Quem mundi dominum facerent civilia bella,
Oderat et Magnum, quamvis comes isset in arma
Auspiciis raptus patriæ, ductuque Senatus.
At post Thessalicas clades jam pectore toto
Pompeianus erat. patriam tutore carentem
Excepit, populi trepidantia membra refovit,
Ignavis manibus projectos reddidit enses:
Nec regnum cupiens gessit civilia bella,
Nec servire timens. nil causa fecit in armis
Ipse sua: totæ post Magni funera partes
Libertatis erant: quas ne per littora fusas
Colligeret rapido victoria Cæsaris actu,
Corcyræ secreta petit, ac mille carinis
Abstulit Emathiæ secum fragmenta ruinæ.
Quis ratibus tantis fugientia crederet ire
Agmina? quis pelagus victas arctasse carinas?

sumus. Nat. Quæst. p. 668. *Summa aëris pars tenuissima, propter viciniam æternorum ignium, illa pars vicina terris densa et caliginosa est.*

11. —— *Lumine vero*] Semel Servius citat, *Lumine vivo.*

12. —— *Stellasque vagas miratur, et astra*] Alii codices *Miratus. Miratus vidit:* Si enim *miratur,* oportet Et *vidit.*

28. *Nec servire timens.*] Quippe paratus mori: τίς ἐστι δοῦλος τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν. Grotius.

32. —— *Ac mille carinis*
Abstulit Emathiæ secum fragmenta ruinæ.] Versu abhinc tertio iterum habemus, *victas artasse carinas;* ac rursus quinto, *Boreaque urgente carinas.* ut evitemus hoc, fortasse legendum,

——— et mille *LIBURNIS.*

37. —— *Boreaque urgente carinas*] Occidit nos hæc crambe *Carinas:* quod altero abhinc versu est, nec ibi sollicitandum. Lege hic,

——— Boreaque urgente *Ceruchos.*

ut v. 418. de eodem vento,

Hic utinam summi curvet carchesia mali.

In summo malo et Ceruchi sunt, viii. 177.

—— et instabit summis minor Ursa *Ceruchis.*

40. —— *Ac sævas meritum Phycunta rapinas*] Oppidum est Cyrenaicæ, contra

Dorida tunc Malean, et apertam Tænaron umbris
Inde Cythera petit: Boreaque urgente carinas
Creta fugit: Dictæa legit, cedentibus undis,
Littora. tunc ausum classi præcludere portus
Impulit, ac sævas meritum Phycunta rapinas
Sparsit: et hinc placidis alto delabitur auris
In littus, Palinure, tuum: (neque enim æquore tantum
Ausonio monimenta tenes; portusque quietos
Testatur Libye Phrygio placuisse magistro.)
Cum procul ex alto tendentes vela carinæ
Ancipites tenuere animos, sociosne malorum,
An veherent hostes: præceps facit omne timendum
Victor, et in nulla non creditur esse carina.
Ast illæ puppes luctus, planctusque ferebant,
Et mala vel duri lacrymas motura Catonis.
Nam postquam frustra precibus Cornelia nautas
Privignique fugam tenuit, ne forte repulsus
Littoribus Phariis remearet in æquora truncus,
Ostenditque rogum non justi flamma sepulcri:
Ergo indigna fui, dixit, Fortuna, marito
Accendisse rogum, gelidos effusa per artus
Incubuisse viro, laceros exurere crines,
Membraque dispersi pelago componere Magni?
Vulneribus cunctis largos infundere fletus?
Ossibus, et tepida vestes implere favilla?

Tænarum. Meminere Strabo libro xvii. Plinius lib. iv. Solinus et Stephanus. Construitur autem cum masculino quia illa in ῦς contracta sunt ex όεις, ut ὀπῦς fuit ὀπόεις. κερασῦς κερασόεις, ῥαμνῦς ῥαμνόεις. et additum olim χῶρος. Sic φυκῦς, φυκόεις χῶρος. Pari constructione in quinto dixit *quas avias Hydrus* ὑδρῦς. Similia sunt πυξῦς, σιτῦς, πισσινῦς, σελινῦς, δαφνῦς. Grotius.

42. *In littus, Palinure, tuum: (neque enim æquore tantum*] Parenthesin necessario hic addimus. Grotius.

44. *Testatur Libye*] Ante fuit *Libyæ*, male. Non Italia sola, sed et Africa testatur tutos portus Palinuro placuisse, et ab ipso dictos. Grotius. Recte. nam *Phrygio magistro* est *Palinuro:* non ut quidam putant *Æneæ*.

45. *Cum procul ex alto tendentes vela carinæ*] Satis superque *Carinarum* habuimus, et ecce quarta vice *Carinæ:* et quintum mox insuper tertio mox versu, *Et in nulla non creditur esse carina.* Non expedio, nisi iterum legas, *Liburnæ.*

57. —— *Laceros exurere crines,*] Cujus quæso *crines?* non Pompeii, suos enim hic Cornelia intelligit. Seneca Troad. 409.

Quid mœsta, Phrygiæ, turba *laceratis comas?*

et 98.

Solvimus omnes
Lacerum multo funere crinem.

Quicquid ab extincto licuisset tollere busto,
In templis sparsura Deum. sine funeris ullo
Ardet honore rogus: manus hoc Ægyptia forsan
Obtulit officium grave manibus. o bene nudi
Crassorum cineres! Pompeio contigit ignis
Invidia majore Deum. similisne malorum
Sors mihi semper erit? nunquam dare busta licebit
Conjugibus: nunquam plenas plangemus ad urnas?
Quid porro tumulis opus est, aut ulla requiris
Instrumenta dolor? non toto pectore portas,
Impia, Pompeium? non imis hæret imago
Visceribus? quærat cineres victura superstes.
Nunc tamen hic, longe qui fulget luce maligna,
Ignis adhuc aliquid Phario de littore surgens,
Ostendit mihi, Magne, tui: jam flamma resedit,
Pompeiumque ferens vanescit Solis ad ortus
Fumus, et invisi tendunt mihi carbasa venti.
Non mihi nunc tellus Pompeio siqua triumphos
Victa dedit, non alta terens Capitolia currus
Gratior: elapsus felix de pectore Magnus:
Hunc volumus, quem Nilus habet, terræque nocenti
Non hærere queror: crimen commendat arenas.
Linquere, si qua fides, Pelusia littora nolo.
Tu pete bellorum casus, et signa per orbem,
Sexte, paterna move: namque hæc mandata reliquit
Pompeius vobis in nostra condita cura,
Me cum fatalis leto damnaverit hora,
Excipite, o nati, bellum civile, nec unquam,
Dum terris aliquis nostra de stirpe manebit,

70. —— *Non toto pectore portas,*] Plerique codices *Non toto in.*

73. *Nunc tamen hic, longe*] An legendum?

NUM tamen *HINC* longe qui fulget luce maligna,
Ignis, adhuc aliquid, Phario de litore surgens
Ostendit mihi, Magne, tui?

Manuscripti aliquot habent *Hinc.*

75. —— *Jam flamma resedit,*] Rectius MS. P. *residit,* sequitur enim *vanescit.* Grotius.

83. *Linquere, si qua fides, Pelusia littora nolo.*] Versus spurius. nullum certum locum habet in Manuscriptis; et a quibusdam abest. illud *Si qua fides* longe hic ineptissimum est.

85. —— *Namque hæc mandata reliquit*
Pompeius vobis in nostra condita

Cæsaribus regnare vacet. vel sceptra, vel urbes
Libertate sua validas impellite fama
Nominis: has vobis parteis, hæc arma relinquo.
Inveniet classes quisquis Pompeius in undas
Venerit: et noster nullis non gentibus hæres
Bella dabit: tantum indomitos, memoresque paterni
Juris habete animos. uni parere decebit,
Si faciet partes pro libertate, Catoni.
Exolvi tibi, Magne, fidem, mandata peregi.
Insidiæ valuere tuæ, deceptaque vixi,
Ne mihi commissas auferrem perfida voces.
Jam nunc te per inane chaos, per Tartara, conjux,
Si sunt ulla, sequar: quam longo tradita leto
Incertum est: pœnas animæ vivacis ab ipsa
Ante feram. potuit cernens tua vulnera, Magne,
Non fugere in mortem: planctu contusa peribit:
Effluet in lacrymas: nunquam veniemus ad enses,
Aut laqueos, aut præcipites per inania jactus.
Turpe mori post te solo non posse dolore.
Sic ubi fata, caput ferali obducit amictu,
Decrevitque pati tenebras, puppisque cavernis
Delituit: sævumque arcte complexa dolorem
Perfruitur lacrymis, et amat pro conjuge luctum.
Illam non fluctus, stridensque rudentibus Eurus
Movit, et exurgens ad summa pericula clamor:
Votaque sollicitis faciens contraria nautis,
Composita in mortem jacuit, favitque procellis.
Prima ratem Cypros spumantibus accipit undis:
Inde tenens pelagus, sed jam moderatior, Eurus

cura,] Codex Regius NOBIS et CREDITA: quem si sequimur, sic refingendus foret locus,

———————— reliquit
Pompeius *nobis* et *nostræ credita curæ*.

ut mox v. 100.

Ne mihi commissas auferrem perfida voces.

Sed bene habet recepta lectio *Condita*. Catullus De nuptiis Pelei,

Tum vero facito, ut memori tibi *condita* corde
Hæc vigeant *mandata* nec ulla obliteret ætas.

Phædrus iv. Præf.

Quod interiore *condidit* cura angulo.

Val. Flaccus iii.

———————— sed nostra requiret
Cura viam, memori jam pridem cognita vate.

Ubi Heinsius, *Cognita vittæ*, vel *Cognita fato*. Immo lege *Condita mente*.

109. —— *Caput ferali obducit, amictu,*

In Libycas egit sedes, et castra Catonis.
Tristis, ut in multo mens est præsaga timore,
Aspexit patrios comites a littore Magnus,
Et fratrem: medias præceps tunc fertur in undas.
Dic ubi sit, germane, parens: stat summa, caputque
Orbis? an occidimus, Romanaque Magnus ad umbras
Abstulit? hæc fatur: quem contra talia frater.
O felix, quem sors alias dispersit in oras,
Quique nefas audis: oculos, germane, nocenteis
Spectato genitore fero. non Cæsaris armis
Occubuit, dignoque perit auctore ruinæ.
Rege sub impuro Nilotica rura tenente,
Hospitii fretus Superis, et munere tanto
In proavos, cecidit donati victima regni.
Vidi ego magnanimi lacerantes pectora patris:
Nec credens Pharium tantum potuisse tyrannum,
Littore Niliaco socerum jam stare putavi.
Sed me nec sanguis, nec tantum vulnera nostri
Affecere senis, quantum gestata per urbes
Ora ducis, quæ transfixo sublimia pilo
Vidimus: hæc, fama est, oculis victoris iniqui
Servari, scelerisque fidem quæsisse tyrannum.
Nam corpus Pharisæne canes, avidæque volucres

Omnes fere libri *Obduxit*, ut mox *Decrevit*, *Delituit*.

121. *Aspexit patrios comites a littore Magnus*,] Qui hic *Magnus* vocatur, est Cnæus Pompeius Magni filius. Scio equidem vel in Caligulæ et Claudii ætate cognomen Magni in familia perseverasse. vix tamen crediderim Nostrum, cum alterum filium, vi. 420. et ix. 85. Sextum prænomine suo vocat, non et hunc itidem Cnæum appellasse, ne in ambigui vitium incideret. In libris scriptis fere semper *Gnæus* scribitur, non Cnæus, et nonnumquam in inscriptionibus: Græcis semper Γναῖος, ut Caius, Γάϊος: c enim litera tam ordine quam potestate, Græcorum Γ olim respondebat. Facile autem fuit Librariis *Gnæus* in *Magnus* commutare. Repone igitur,

Aspexit patrios comites a littore *Gnæus*.

et iterum v. 145.

——————— cum talia Gnæus,
Audisset.

Nec duas consonantes metuas; cum Horatius in medio verbo easdem corripuerit,

Donatura *cygni*, si libeat, sonum.

125. —— *Hæc fatur: quem contra talia frater.*] Duo ex nostris codices *Contra quem*. Repone,

—— hæc fatur: *contra CUI* talia frater.

Cui, non *Quem*: quippe *Contra* adverbium hic est, non præpositio. Noster viii. 186.

Nostra jubes? dubio contra cui pectore Magnus.

Silius ii. 493.

Hæc satus Alcmena: *contra cui* talia virgo.

126. *O felix, quem sors alias dispersit*

Distulerint, an furtivus, quem vidimus, ignis
Solverit, ignoro. quæcunque injuria fati
Abstulit hos artus, Superis hæc crimina dono:
Servata de parte queror. Cum talia Magnus
Audisset: non in gemitus, lacrymasque dolorem
Effudit? justaque furens pietate profatur:
Præcipitate rates e sicco littore, nautæ;
Classis in adversos erumpat remige ventos:
Ite, duces, mecum: nunquam civilibus armis
Tanta fuit merces, inhumatos condere manes,
Sanguine semiviri Magnum satiare tyranni.
Non ego Pellæas arces, adytisque retectum
Corpus Alexandri pigra Mareotide mergam?
Non mihi Pyramidum tumulis evulsus Amasis,
Atque alii reges Nilo torrente natabunt?
Omnia dent pœnas nudo tibi, Magne, sepulcra:
Evolvam busto jam numen gentibus Isin,
Et tectum lino spargam per vulgus Osirim,
Et sacer in Magni cineres mactabitur Apis,
Suppositisque Deis uram caput. has mihi pœnas
Terra dabit: linquam vacuos cultoribus agros;
Nec, Nilus cui crescat, erit: solusque tenebis
Ægyptum, genitor, populis superisque fugatis.

in oras,] Corrige *Fors* vel ob illud *Dispersit.* Noster ii. 12.

Sive nihil positum est, sed *Fors* incerta vagatur.

131. *Hospitii fretus Superis,*] Omnes fere codices *Hospitiis.* Perperam. *Hospitii Superis,* ut vii. 168. *Scelerum superos,* et ii. 80. *Terribilesque deos scelerum.* Ovid. Met. v. 45.

——————— testatus jusque fidemque
Hospitiique deos.

137. —— *Gestata per urbes*] *Per urbem* MSS. omnes: Alexandria scilicet. Grotius. Immo, sunt codices, qui *Urbes* habent, et placet. *Per urbes,* usque ad Alexandriam. neque enim Alexandriæ hoc actum est, sed Pelusi: quo appulit Pompeius.

140. —— *Scelerisque fidem quæsisse tyrannum.*] Corrige *Scelerique.* Hoc postulat *Quærere* et *Invenire.* Livius xxv. 16. *Eum decus eximium egregiumque solatium suæ morti inventurum.*

146. —— *Non in gemitus, lacrymasque dolorem Effudit?*] Melius Bersmanni codex *Effundit,* ut mox *Profatur.*

158. *Evolvam busto jam numen gentibus Isin, Et tectum lino spargam per vulgus Osirim,*] Minæ exorcistarum apud Ægyptios. Eusebius in præparatione sic ponit: *τὰ κρύπτα τῆς Ἴσιδος ἐκφανῶ. τὰ μέλη τῦ ὀσίριδος διασκιδάζω, τῷ τύφωνι,* Habet et Jamblichus vi. 5. Grotius.

161. —— *Has mihi pœnas Terra dabit:*] Repone, cum codice Regio,

Dixerat, et classem sævas rapiebat in undas.
Sed Cato laudatam juvenis compescuit iram.
   Interea totis audito funere Magni
Littoribus sonuit percussus planctibus æther:
Exemploque carens, et nulli cognitus ævo
Luctus erat, mortem populos deflere potentis.
Sed magis, ut visa est lachrymis exhausta, solutas
In vultus effusa comas, Cornelia puppe
Egrediens, rursus geminato verbere plangunt.
Ut primum in sociæ pervenit littora terræ,
Collegit vestes, miserique insignia Magni,
Armaque, et impressas auro, quas gesserat olim,
Exuvias, pictasque togas, velamina summo
Ter conspecta Jovi, funestoque intulit igni.
Ille fuit miseræ Magni cinis. accipit omnis
Exemplum pietas, et toto littore busta
Surgunt Thessalicis reddentia manibus ignem.
Sic, ubi depastis submittere gramina campis,
Et renovare parans hybernas Appulus herbas,
Igne fovet terras, simul et Garganus, et arva
Vulturis, et calidi lucent buceta Matini.
Non tamen ad Magni pervenit gratius umbram,
Omne quod in Superos audet convicia vulgus.
Pompeiumque Deis obicit, quam pauca Catonis
Verba, sed a pleno venientia pectore veri.
Civis obit (inquit) multo majoribus impar

———— has mihi pœnas
Terra *dabis*.

Nam et versu proximo, *Solusque tenebis Ægyptum, genitor*, plerique codices habent *Tenebit*.

165. *Dixerat, et classem sævas rapiebat in undas.*] Cur *sævas undas*, cum *Moderatior Eurus* v. 117. jam tum fraternam classem in portum egerat? Romanis, qui, cum cœlum servarent, in meridiem se verterent, Eurus sive Oriens a læva erat, a dextra Occidens. Repone igitur,

Dixerat et classem *LÆVAS* rapiebat in undas.

hoc est, Alexandriam versus, quod comminatus est.

185. —— *Buceta Matini.*] Sic legendum: non *buxeta*. Grotius.

192. *Cui non ulla fuit justi reverentia:*] *Ævo, cui non reverentia justi fuit?* utique si de *Ævo* hoc diceret, dicendum erat *Quo*.

196. *Quæque dari voluit, voluit sibi posse negari.*] Velleius de eodem hoc Pompeio: *potentiæ quæ honoris causa ad eum deferretur, non ut ab eo occuparetur, cupidissimus.* Et de eodem Dion: ὁ μὲν Πομπήϊος παρ' ἑκόντων τετιμῆσθαι καὶ ἐθ-

Nosse modum juris, sed in hoc tamen utilis ævo,
Cui non ulla fuit justi reverentia: salva
Libertate potens, et solus plebe parata
Privatus servire sibi, rectorque Senatus,
Sed regnantis, erat. nil belli jura poposcit:
Quæque dari voluit, voluit sibi posse negari.
Immodicas possedit opes: sed plura retentis
Intulit: invasit ferrum, sed ponere norat.
Prætulit arma togæ: sed pacem armatus amavit.
Juvit sumta ducem, juvit dimissa potestas.
Casta domus, luxuque carens, corruptaque nunquam
Fortuna domini. clarum, et venerabile nomen
Gentibus, et multum nostræ quod proderat urbi.
Olim vera fides Sylla Marioque receptis
Libertatis obit: Pompeio rebus ademto
Nunc et ficta perit. non jam regnare pudebit:
Nec color imperii, nec frons erit ulla Senatus.
O felix, cui summa dies fuit obvia victo,
Et cui quærendos Pharium scelus obtulit enses:
Forsitan in soceri potuisses vivere regno.
Scire mori, sors prima viris, sed proxima cogi.
Et mihi, si fatis aliena in jura venimus,
Da talem, Fortuna, Jubam: non deprecor hosti
Servari, dum me servet cervice recisa.
Vocibus his major, quam si Romana sonarent
Rostra ducis laudes, generosam venit ad umbram

λόντων προϛατεῖν, φιλεῖσθαι τε ἐσπούδαζε. τῷ δὲ (Cæsari) οὐδὲν ἔμελλεν ἂ καὶ ἀκόντων ἄρχοι καὶ μισοῦσιν ἐπιτάσσοι, τάς τε τιμὰς αὐτὸς ἑαυτῷ διδοίη. Cic. de Finibus ii. *Ut hodie est noster Pompeius, cui recte facienti gratia est hab3nda: esse enim, quamvis vellet justus, iniquus poterat impune.* Sic et epistola quæ Ciceronis nomine ad Octavium legitur, Antonium Octavio conferens: *Ille ea tamen exorabat, quæ volebat auferre: tu extorques.* Grotius.

197. —— *Sed plura retentis Intulit:*] Hoc verius puto quam quod nimis liberaliter de eo Velleius: *Pecunia Tygranis, sicut Pompeio moris erat, redacta in quæstoris potestatem, ac publicis descripta literis.* Grotius.

198. —— *Invasit ferrum, sed ponere norat.*] Consentit et in hac re Velleius: qui sic de Pompeio: *In appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus, ut qui eos, ut libentissime iniret, ita finiret æquo animo, et quod cupisset arbitrio suo sumere, alieno deponeret.* Grotius.

207. *Nec color imperii,*] Cic. l. iv. epist. 15. ad Atticum: *Amisimus, mi Pomponi, non omnem modo succum et sanguinem, sed etiam colorem et speciem pristinam civitatis.* Grotius.

Mortis honos. fremit interea discordia vulgi
Castrorum, bellique piget post funera Magni:
Cum Tarcho in motu linquendi signa Catonis
Sustulit; hunc rapta fugientem classe secutus
Littus in extremum, tali Cato voce notavit:
O nunquam pacate Cilix! iterumne rapinas
Vadis in æquoreas? Magnum Fortuna removit:
Jam pelago pirata redis. tunc respicit omneis
In cœtu, motuque viros: quorum unus aperta
Mente fugæ, tali compellat voce regentem:
Nos, Cato, da veniam, Pompeii duxit in arma
Non belli civilis amor, partesque favore
Fecimus. ille jacet, quem paci prætulit orbis,
Causaque nostra perit: patrios permitte penates,
Desertamque domum, dulcesque revisere natos.
Nam quis erit finis, si nec Pharsalia, pugnæ,
Nec Pompeius erit? perierunt tempora vitæ,
Mors eat in tutum: justas sibi nostra senectus
Prospiciat flammas. bellum civile sepulcra
Vix ducibus præstare potest. non barbara victos
Regna manent: non Armenium mihi sæva minatur,
Aut Scythicum Fortuna jugum: sub jura togati
Civis eo. quisquis Magno vivente secundus,
Hic mihi primus erit: sacris præstabitur umbris
Summus honor: dominum, quem clades cogit, habebo:
Nullum, Magne, ducem. te solum in bella secutus,

219. *Cum Tarcho in motu linquendi signa Catonis*] Fuerat *Tarchon motus* in vulgatis. At in MS. P. in margine ascriptum, *dimotus:* quod viam præit ad veram lectionem *Tarcondimotus.* ita enim nominatur hic Cilicum princeps Ciceroni ad Atticum lib. xv. epist. i. et Floro, ac Græce Dioni ταρκονδίμοτος. Corrupte apud Cæsarem, *Tarcundarius,* apud Strabonem Ταρκοδήμιντος apud Plutar. *Antonio* Ταρκόνδημος. Grotius. Codices nostri *Tarcon motus, Tarcon commotus.* Codex Pulmanni, *Tarcon dimotus.*

241. —— *Dominum, quem clades cogit, habebo:*] Codex Bersmanni concinnius, *Clades quem cogit.*

242. *Nullum, Magne, ducem. te solum in bella secutus,*
Post te, fata sequar:] Scribe et distingue, cum aliis codicibus:

Nullum, Magne, ducem, te solum in bella secutus,
Post *TUA* fata sequar.

Nullum alium ducem post fata tua sequar. Qui vulgo distinguunt, *Habebo dominum, nullum, Magne, ducem,* non vident apostrophen eam ad Magnum in illa

Post te, fata sequar: neque enim sperare secunda
Fas mihi, nec liceat. Fortuna cuncta tenentur
Cæsaris: Emathium sparsit victoria ferrum.
Clausa fides miseris, et toto solus in orbe est,
Qui velit, ac possit victis præstare salutem.
Pompeio, scelus est bellum civile, peremto,
Quo fuerat vivente, fides. si publica jura,
Si semper patriam sequeris, Cato, signa petamus
Romanus quæ Consul habet. sic ille profatus
Insiluit puppi, juvenum comitante tumultu.
Actum Romanis fuerat de rebus, et omnis
Indiga servitii fervebat littore plebes:
Erupere ducis sacro de pectore voces:
Ergo pari voto gessisti bella, juventus,
Tu quoque pro dominis, et Pompeiana fuisti,
Non Romana manus? quod non in regna laboras,
Quod tibi, non ducibus, vivis; moriensque quod orbem
Acquiris nulli, quod jam tibi vincere tutum est,
Bella fugis, quærisque jugum cervice vacante,
Et nescis sine rege pati. nunc causa pericli
Digna viris. vestro potuit Pompeius abuti
Sanguine: nunc patriæ jugulos ensesque negatis,
Cum prope libertas. unum Fortuna reliquit
Jam tribus e dominis. pudeat: plus regia Nili
Contulit in leges, et Parthi militis arcus.
Ite, o degeneres, Ptolemæi munus et arma

distinctione non belle poni, in nostra venuste.

252. *Insiluit puppi,*] Duo ex nostris, *Insiluit Puppim*, ut iii. 626.

Insiluit solo nociturus pondere, puppem.

Ovid. Met. viii. 142.

—— vix dixerat, *insilit undas.*

254. *Indiga servitii fervebat littore plebes:*] *Pubes*, repone; ut mox *Juventus*, et ante *Juvenum*. si modo retineas hunc et priorem versum: nam codicum bona pars non agnoscit.

256. *Ergo pari voto gessisti bella, juventus,*] Eodem voto quo Cæsariani, pro domino, non contra dominatum. Grotius. Non *eodem quo Cæsariani*, sed eodem inter vos: omnes pari voto, pari animo, eodem studio, omnes pariter.

259. *Quod tibi, non ducibus, vivis; moriensque quod orbem*
Acquiris nulli,] Plerique omnes codices recte habent,

Quod tibi, non ducibus, *VIVIS MORERISQUE;* quod orbem
Acquiris nulli.

et *Bella fugis*, per interrogationem effertur.

263. —— *Vestro potuit*] Codices com-

Spernite. quis vestras ulla putet esse nocenteis
Cæde manus? credet facileis sibi terga dedisse,
Credet ab Emathiis primos fugisse Philippis.
Vadite securi: meruistis judice vitam
Cæsare, non armis, non obsidione subacti.
O famuli turpes, domini post fata prioris
Itis ad hæredem. cur non majora mereri,
Quam vitam, veniamque libet? rapiatur in undas
Infelix Magni conjux, prolesque Metelli:
Ducite Pompeios: Ptolemæi vincite munus.
Nostra quoque inviso quisquis feret ora tyranno,
Non parva mercede dabit. sciat ista juventus
Cervicis precio bene se mea signa secutam.
Quin agite, et magna meritum cum cæde parate:
Ignavum scelus est tantum fuga. dixit: et omneis
Haud aliter medio revocavit ab æquore puppes,
Quam simul effetas linquunt examina ceras,
Atque oblita favi non miscent nexibus alas,
Sed sibi quæque volat, nec jam degustat amarum
Desidiosa thymum: tum si sonus increpat æris,
Attonitæ posuere fugam, studiumque laboris
Florigeri repetunt, et sparsi mellis amorem:

plures, *Potuit vestro:* quo pacto in Arsi, majore cum emphasi, erit *Potuit.*

268. *Ite, o degeneres, Ptolemæi munus et arma*

Spernite.] *Spernite,* aiunt Interpretes, *munus Ptolemæi.* hoc est, *libertatem* Pompeii nece vobis donatam. Immo ordo est, Ite, o degeneres, munus Ptolemæi; per Epexegesin. Nimirum Ptolemæus dederat Ægyptias naves, has ipsas quibus tum præerat Pompeius filius. Vide Cæsarem Civil. iii. 4. 5. Appianus Civil. ii. p. 773. Λέγονται καὶ ἐξ Αἰγύπτου νῆες ἑξήκοντα αὐτῷ παραγινέσθαι παρὰ τῶν Αἰγύπτου Βασιλίων Κλεοπάτρας τε καὶ τοῦ ἀδελφοῦ παιδὸς ἔτι ὄντος ἀλλ' αἵδε μὲν οὐ συνεμάχησαν, οὐδὲ γὰρ τὸ ἄλλο ναυτικὸν ἀλλ' ἐπ' ἀργίας ἐν Κερκύρᾳ κατέμεινε. Dicit, *Sexaginta naves a Cleopatra et Ptolemæo missas, Corcyræ subsedisse.* Has porro a Corcyra Cato in Libyam duxit. Sed Cæsar Civil. iii. 3. Naves longas, quarum erant auxilio quinquaginta missæ ad Pompeium, quæ prælio in Thessalia facto domum redierant.

280. —— *Sciat ista juventus*] Probo quod habent MSS. P. et T. *sciet,* ut congruat cum *dabit.* Grotius.

288. —— *Tum si sonus increpat æris,*] Bersmanni duo codices *Increpet.* acutissimus Heinsius ex codicibus quibusdam adsciscit,

Phrygii sonus *increpet* æris.

Satis quidem bene: sed tamen ut melius sit et præferendum, quod jam obtinet! Quippe illud *Tum si* in comparationibus et usum et dignitatem habet. Noster i. 209. de Leone:

———— vasto grave murmur hiatu

Gaudet in Hyblæo securus gramine pastor
Divitias servasse casæ: sic voce Catonis
Inculcata viris justi patientia martis.
Jamque actu belli non doctas ferre quietem
Constituit mentes, serieque agitare laborum.
Primum littoreis miles lassatur arenis.
Proximus in muros, et mœnia Cyrenarum
Est labor: exclusus nulla se vindicat ira:
Pœnaque de victis sola est, vicisse, Catoni.
Inde peti placuit Libyci contermina Mauris
Regna Jubæ, sed iter mediis Natura negabat
Syrtibus: has audax sperat sibi cedere virtus.
Syrtes vel primam mundo Natura figuram
Cum daret, in dubio pelagi terræque reliquit.
Nam neque subsedit penitus, quo stagna profundi
Acciperet, nec se defendit ab æquore tellus:
Ambigua sed lege loci jacet invia sedes:
Æquora fracta vadis, abruptaque terra profundo,
Et post multa sonant projecti littora fluctus.
Sic male deseruit, nullosque exegit in usus
Hanc partem Natura sui. vel plenior alto
Olim Syrtis erat pelago, penitusque natabat:

Infremuit: *tum* torta levis *si* lancea Mauri
Hæreat.

Virgil. Georg. iii. 83. de Equo,

——— color deterrimus albis
Et gilvo: *tum si* qua sonum procul arma dedere.

Porro vides, et *Increpat* et *Increpet* recte habere; illud ut *Dedere*, hoc ut *Hæreat*. sed par est; ut sibi potius quam aliis similis sit Noster.

289. —— *Studiumque laboris Florigeri repetunt,*] Quid, an totos flores portant? Repone *Florilegi;* quod occupavit Heinsius ad Silium. Ovid. Met. xv. 366.

——— de putri viscere passim
Florilegæ nascuntur apes.

299. *Pœnaque de victis sola est, vicisse, Catoni.*] Antea ubique fuit *devictis*. Catoni autem habent et MSS. Cato non aliam, inquit, pœnam sumsit de hostibus, præter ipsum vincere. contentus fuit sola victoria. id illi supplicii satis visum. Grotius.

302. —— *Has, audax sperat sibi cedere virtus.*] *Has*, id est, Syrtes. Quidni recte? Sed codex Caianus magis magnifice, HANC.

——— sed Iter mediis Natura *vetabat*
Syrtibus: *HANC* audax sperat sibi cedere virtus.

Major codicum pars *Vetabat*, quod fortius est quam *Negabat;* ut et *Hanc* fortiores viros indicat quam *Has*. Sperat virtus Naturam ipsam vincere, Hanc ipsam quæ vetat, non *has*, per quas vetat. Sallustius Bello Jug. i. 79. *Metellus qui omnia arma, tela, locos, tempora, denique* Naturam ipsam *cæteris imperitantem, industria vicerat.*

311. —— *Vel plenior alto*

Sed rapidus Titan ponto sua lumina pascens,
Æquora subduxit zonæ vicina perustæ:
Et nunc pontus adhuc Phœbo siccante repugnat.
Mox ubi damnosum radios admoverit ævum,
Tellus Syrtis erit: nam jam brevis unda superne
Innatat, et late periturum deficit æquor.
  Ut primum remis actum mare propulit omne
Classis onus, densis fremuit niger imbribus Auster
In sua regna furens: tentatum classibus æquor
Turbine defendit, longeque a Syrtibus undas
Egit, et illato confregit littore pontum.
Tum quarum recto deprendit carbasa malo
Eripuit nautis, frustraque rudentibus ausis
Vela negare Noto, spatium vicere carinæ,
Atque ultra proram tumuit sinus. omnia si quis
Providus antennæ suffixit lintea summæ,
Vincitur, et nudis avertitur armamentis.
Sors melior classi, quæ fluctibus incidit altis,
Et certo jactata mari. quæcunque levatæ
Arboribus cæsis flatum effudere prementem:
Abstulit has ventis liber contraria volvens
Æstus, et obnixum victor detrusit in Austrum.
Has vada destituunt, atque interrupta profundo
Terra ferit puppes: dubioque obnoxia fato
Pars sedet una ratis, pars altera pendent in undis.
Tunc magis impactum brevibus mare, terraque sævit
Obvia consurgens: quamvis elisus ab Austro,
Sæpe tamen cumulos fluctus non vincit arenæ.
Eminet in tergo pelagi procul omnibus arvis,

Olim Syrtis erat pelago,] Sententia est: Vel ab initio Syrtis hic illic extabat et eminebat; vel (quod nunc dicit) tota primum plana erat et aquis tecta; sed eas sol vicinus calore suo subduxit, et terram hic illic nudam reliquit. Quare lege cum Bersmanni codice

——— sed *planior* alto
Olim Syrtis erat pelago.

319. *Ut primum remis actum mare*] *Ictum mare* non male MS. P. Grotius. Recte *Ictum*. ipsa navis *acta* dicitur, mare *ictum*. Ovid. Heroid. xii.

Hei mihi, cur umquam juvenilibus *acta* lacertis
Phryxeam petiit Pelias arbor ovem.

Virgilius v. 198.

——— vastis tremit ictibus ærea puppis.

Ictibus scilicet remorum.

323. ——— *Et illato confregit littore pontum.*] Scholiastes manuscriptus videtur legisse *contraxit*. Sed et confringi,

Inviolatus aqua, sicci jam pulveris agger;
Stant miseri nautæ, terræque hærente carina
Littora nulla vident. sic partem intercipit æquo
Pars ratium major regimen, clavumque secuta est,
Tuta fuga, nautasque loci sortita peritos,
Torpentem Tritonos adit illæsa paludem.
Hanc, ut fama, Deus, quem toto littore pontus
Audit ventosa perflantem murmura concha,
Hanc et Pallas amat: patrio quæ vertice nata
Terrarum primam Libyen (nam proxima cœlo est,
Ut probat ipse calor) tetigit: stagnique quieta
Vultus vidit aqua, posuitque in margine plantas,
Et se dilecta Tritonida dixit ab unda.
Quam juxta Lethes tacitus prælabitur amnis
Infernis, ut fama, trahens oblivia venis:
Atque insopiti quondam tutela draconis,
Hesperidum pauper spoliatis frondibus hortus.
Invidus, annoso famam qui derogat ævo,
Qui vates ad vera vocat. fuit aurea silva,
Divitiisque graves, et fulvo germine rami,
Virgineusque chorus nitidi custodia luci,
Et nunquam somno damnatus lumina serpens,
Robora complexus rutilo curvata metallo.
Abstulit arboribus pretium, nemorique laborem
Alcides: passusque inopes sine pondere ramos
Rettulit Argolico fulgentia poma tyranno.
His igitur depulsa locis, ejectaque classis
Syrtibus, haud ultra Garamantidas attigit undas:

id est, interrumpi mare non male dicitur, illatis eo arenarum aggeribus, quos poëtice littus vocat, quia à littore veniebant. Grotius.

333. *Abstulit has ventis liber contraria volvens Æstus,*] MS. P. melius:

Abstulit has liber, ventis contraria volvens.

Grotius. Et sic codices nostri universi. Ovid. Metam. viii. 471.

——— utque carina,
Quam ventus ventoque rapit contrarius æstus,
Vim geminam sensit.

338. *Tunc magis impactum brevibus mare, terraque sævit*] Manuscriptus *Sæpe.* Forte legendum,

Tunc magis *INCERTUM BREVIUS* mare, terraque *LÆDAT*
Obvia consurgens.

Brevius mare, vadosius.

349. *Audit ventosa perflantem murmura concha,*] Nic. Heinsius corrigit *Marmora.* Non audio. Quale enim esset, *Pontus* audit perflantem *Marmora* id est *pontum?* Repone,

Sed duce Pompeio Libyes melioris in oris
Mansit. at impatiens virtus hærere Catonis
Audet in ignotas agmen committere gentes,
Armorum fidens, et terra cingere Syrtim.
Hæc eadem suadebat hyems, quæ clauserat æquor.
Et spes imber erat, nimios metuentibus ignes:
Ut neque sole viam, nec duro frigore sævam,
Inde polo Libyes, hinc bruma temperet annus:
Atque ingressurus steriles, sic fatur, arenas.
O quibus una salus placuit mea castra secutis
Indomita cervice mori, componite mentes
Ad magnum virtutis opus, summosque labores.
Vadimus in campos steriles, exustaque mundi,
Qua nimius Titan, et raræ in fontibus undæ,
Siccaque letiferis squalent serpentibus arva,
Durum iter. ad leges, patriæque ruentis amorem
Per mediam Libyen veniant, atque invia tentent,
Si quibus in nullo positum est evadere voto,
Si quibus ire sat est. neque enim mihi fallere quenquam
Est animus, tectoque metu perducere vulgus.
Hi mihi sint comites, quos ipsa pericula ducent,
Qui me teste, pati, vel quæ tristissima, pulchrum
Romanumque putant. at qui sponsore salutis
Miles eget, capiturque animæ dulcedine, vadat
Ad dominum meliore via. dum primus arenas
Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam,
Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat serpens; fatoque pericula vestra
Prætentate meo: sitiat, quicunque bibentem,
Viderit: aut umbras nemorum quicunque petentem,
Æstuet: aut equitem peditum præcedere turmas,
Deficiat; si quo fuerit discrimine notum

—— ventosa *PRO*flantem murmura concha. Murmura tubæ, *conchæ*, passim.

386. *Per mediam Libyen veniant,*] Concinnius codex Bersmanni. *Per mediam* veniant Libyen.

405. *Sola potest Libye turbam præstare malorum,*

Ut deceat fugisse viros.] Immo *Turba*, ut codices plurimi: et *Potes*, ut Bersmanni codex, et Academicus,

Sola *potes*, Libye *turba*, præstare malorum,
Ut deceat fugisse viros.

415. —— *Et littora flexu*

Dux, an miles eam. serpens, sitis, ardor, arenæ,
Dulcia virtuti: gaudet patientia duris.
Lætius est, quoties magno sibi constat, honestum.
Sola potest Libye turbam præstare malorum,
Ut deceat fugisse viros. Sic ille calentes
Incendit virtute animos, et amore laborum,
Irreducemque viam deserto limite carpit:
Et sacrum parvo nomen clausura sepulcro
Invasit Libye securi fata Catonis.

Tertia pars rerum Libye, si credere famæ
Cuncta velis: at si ventos cœlumque sequaris,
Pars erit Europæ. nec enim plus littora Nili,
Quam Scythicus Tanais primis a Gadibus absunt:
Unde Europa fugit Libyen, et littora flexu
Oceano fecere locum: sed major in unam
Orbis abit Asiam. nam cum communiter istæ
Effundant Zephyrum, Boreæ latus illa sinistrum
Contingens, dextrumque Noti, discedit in ortus,
Eurum sola tenens. Libycæ quod fertile terræ est,
Vergit in occasus: sed et hæc non fontibus ullis
Solvitur: Arctoos raris Aquilonibus imbres
Accipit, et nostris reficit sua rura serenis.
In nullas vitiatur opes; non ære, nec auro
Excoquitur, nullo glebarum crimine, pura,
Et penitus terra est. tantum Maurusia genti
Robora divitiæ, quarum non noverat usum:
Sed citri contenta comis vivebat, et umbra.
In nemus ignotum nostræ venere secures:
Extremoque epulas, mensasque petivimus orbe.
At quæcunque vagam Syrtim complectitur ora
Sub nimio projecta die, vicina perusti
Ætheris, exurit messes, et pulvere Bacchum

Oceano fecere locum:] Malim, *flexa.* Grotius.

421. —— *Sed et hæc non fontibus ullis Solvitur:*] Repone, *Sed et hoc. Quod fertile* terræ est, vergit in occasus; sed et *hoc* sine fontibus est.

422. —— *Arctoos raris Aquilonibus imbres Accipit,*] Hinc illud Papinii:

Cum Libyæ Boreas Italos niger attulit imbres.

Grotius.

427. *Robora divitiæ, quarum non no-*

Enecat, et nulla putris radice tenetur.
Temperies vitalis abest: et nulla sub illa
Cura Jovis terra est: Natura deside torpet
Orbis, et immotis annum non sentit arenis.
Hoc tam segne solum raras tamen exerit herbas,
Quas Nasamon gens dura legit, qui proxima ponto
Nudus rura tenet, quem mundi barbara damnis
Syrtis alit. nam littoreis populator arenis
Imminet, et nulla portus tangente carina,
Novit opes. sic cum toto commercia mundo
Naufragiis Nasamones habent. hac ire Catonem
Dura jubet virtus. illic secura juventus
Ventorum, nullasque timens tellure procellas,
Æquoreos est passa metus. nam littore sicco,
Quam pelago, Syrtis violentius excipit Austrum,
Et terræ magis ille nocet; non montibus ortum
Adversis frangit Libye, scopulisque repulsum
Dissipat, et liquidas e turbine solvit in auras:
Nec ruit in sylvas, annosaque robora torquens
Lassatur: patet omne solum, liberque meatu
Æoliam rabiem totis exercet arenis:
Et non imbriferam cum torto pulvere nubem
In flexum violentus agit: pars plurima terræ
Tollitur, et nunquam resoluto vertice pendet.
Regna videt pauper Nasamon errantia vento,
Discussasque domos: volitantque a culmine raptæ
Detecto Garamante casæ. non altius ignis

verat usum :] Corrige *Quorum*. *Quorum roborum*, non *Quarum divitiarum*.

451. —— *Et liquidas e turbine solvit in auras :*] Ita maluimus quam *se*. Grotius.

455. *Et non imbriferam*] Hic non imbriferam ὑφ' ἓν legi debet. Nubem enim non imbriferam vult intelligi eam quæ ex arenis constat. Grotius. Repone ex plerisque scriptis editisque,

Et non imbriferam *contorto* pulvere nubem.

456. —— *Pars plurima terræ Tollitur,*] Alii codices *Maxima*, quidam *Ultima*. Repone, *Pars* extima *terræ:* ut mox, 471.

——————— imaque tellus
Stat, quia summa fugit.

Ultra, citra, intra, extra, infra, ultimus, citimus, intimus, extimus, infimus. At in prosa oratione Librarii persæpe induxerunt *Extremus*, in ligata *Ultimus*. Silius vii. 590.

Rapta vehit: quantumque licet consurgere fumo,
Et violare diem, tantum tenet aëra pulvis.
Tum quoque Romanum solito violentior agmen
Aggreditur, nullusque potest consistere miles,
Instabilis raptis etiam, quas calcat, arenis.
Concuteret terras, orbemque a sede moveret,
Si solida Libye compage, et pondere duro
Clauderet excsis Austrum scopulosa cavernis:
Sed quia mobilibus facilis turbatur arenis,
Nusquam luctando stabilis manet: imaque tellus
Stat, quia summa fugit. galeas, et scuta virorum,
Pilaque contorsit violento spiritus actu,
Intentusque tulit magni per inania cœli.
Illud in externa forsan longeque remota
Prodigium tellure fuit: delapsaque cœlo
Arma timent gentes, hominumque erepta lacertis
A Superis demissa putant. sic illa profecto
Sacrifico cecidere Numæ, quæ lecta juventus
Patritia cervice movet: spoliaverat Auster
Aut Boreas populos ancilia nostra ferentes.
Sic orbem torquente Noto Romana juventus
Procubuit, metuensque rapi, constrinxit amictus
Inseruitque manus terræ: nec pondere solo,
Sed nixu jacuit, vix sic immobilis Austro,
Qui super ingenteis cumulos involvit arenæ,
Atque operit tellure viros. vix tollere miles
Membra valet, multo congestu pulveris hærens.

——— nunc *extima* cingens
Clausos ipse tenet.

Ovidius Met. i. 31.

Densior his tellus: elementaque grandia traxit,
Et pressa est gravitate sua: circumfluus humor
Extima possedit, solidumque coërcuit orbem.

Sic ibi lego, non ut libri, *Ultima.*

459. —— *Volitantque a culmine raptæ Detecto Garamante casæ.*] Redit hoc altero abhinc versu, *Non altius ipsis Rapta vehit.* Lege RUPTÆ. Seneca Nat. Quæst. p. 664. *Ventus* —— *ædificia tota corripiens in altum* frangit.

463. —— *Solito violentior*] At jam antea v. 448. de eodem Austro *Violentior* habuimus. Repone hic,

Tum quoque Romanum solito *TRUCULENTIOR* agmen
Aggreditur.

Claudianus Rapt. Proserp. ii. 308.

——— quantas *truculentior Auster*
Decutit arboribus frondes.

487. ——— *Vix tollere miles Membra valet, multo congestu pulveris hærens.*] Corrige,

Alligat et stantes affusæ magnus arenæ
Agger, et immoti terra surgente tenentur.
Saxa tulit penitus discussis proruta muris,
Effuditque procul miranda sorte malorum:
Qui nullas videre domos, videre ruinas.
Jamque iter omne latet: nec sunt discrimina terræ
Ulla, nisi ætheriæ medio velut æquore flammæ.
Sideribus novere vias: nec sidera tota
Ostendit Libycæ finitor circulus oræ,
Multaque devexo terrarum margine celat.
   Utque calor solvit, quem torserat aëra ventus,
Incensusque dies, manant sudoribus artus:
Arent ora siti: conspecta est parva maligna
Unda procul vena: quam vix e pulvere miles
Corripiens, patulum galea confudit in orbem,
Porrexitque duci. squalebant pulvere fauces
Cunctorum: minimumque tenens dux ipse liquoris
Invidiosus erat. mene, inquit, degener unum
Miles in hac turba vacuum virtute putasti?
Usque adeo mollis, primisque caloribus impar
Sum visus? quanto pœna tu dignior ista,
Qui populo sitiente bibas! sic concitus ira
Excussit galeam, suffecitque omnibus unda.

——— *multi* congestu pulveris hærens.

490. *Saxa tulit penitus*] Hic versus et duo sequentes videntur spurii esse: certe nullo modo huc pertinent. *Saxa tulit?* quis tulit? *Auster, Notus, Ventus, Spiritus?* Atqui tot alia intervenerunt, ut istud nomen exprimendum hic fuerit, non subaudiendum. *Saxa discussis muris proruta:* Qui muri? cum nihil hic esset præter *casas et mapalia culmo congesto,* quæ jam pridem ventus discusserat, v. 459.

Discussasque domos: volitantque a culmine raptæ
Detecto Garamante casæ.

Postremo de *arena* hic agitur, non de *saxis:* et hoc tristicho sublato, cætera longe aptius conjunguntur,

Alligat et stantes affusæ magnus *arenæ*
Agger: et immoti terra surgente tenentur.
Jamque iter omne latet.

Arena scilicet contectum et confusum.

496. —— *Libycæ finitor circulus oræ,*] Seneca Nat. Quæst. v. 17. *His sextus circulus accedit, qui superiorem partem mundi ab inferiore secernit. hanc lineam quæ inter aperta et occulta est, Græci* ὁρίζοντα *vocant, nostri* Finitorem *dixere, alii* Finientem.

499. *Incensusque dies,*] Versus hic aliquos omisimus inepte ex loco inferiore repetitos: qui et in MS. deerant. Grotius. Versus omissi, qui in prioribus Editionibus et nonnullis scriptis comparent, hi sunt,

Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent: stat corniger illic
Jupiter, ut memorant, sed non aut fulmina vibrans,
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon.
Non illic Libycæ posuerunt ditia gentes
Templa: nec Eois splendent donaria gemmis.
Quamvis Æthiopum populis, Arabumque beatis
Gentibus, atque Indis unus sit Jupiter Ammon,
Pauper adhuc Deus est, nullis violata per ævum
Divitiis delubra tenens; morumque priorum
Numen Romano templum defendit ab auro.
Esse locis Superos testatur silva per omnem
Sola virens Libyen. nam quicquid pulvere sicco
Separat ardentem tepida Berenicida Lepti,
Ignorat frondes: solus nemus extulit Ammon.
Silvarum fons causa loco, qui putria terræ
Alligat, et domitas unda connectit arenas.
Sic quoque nil obstat Phœbo, cum cardine summo
Stat librata dies: truncum vix protegit arbor:
Tam brevis in medium radiis compellitur umbra.
Deprensum est hunc esse locum, qua circulus alti
Solstitii medium signorum percutit orbem.
Non obliqua meant, nec Tauro Scorpius exit

Incensusque dies.] *Jam mundi spissior ignis,*
Jam plaga quam nullam superi mortalibus ultra
A medio fecere die, calcatur: et humor
In Noton omnis abit. manant sudoribus artus.

Vide infra v. 604. cæterum plures codices, non *Incensus* sed *Exarsitque dies.*

501. —— *Quam vix e pulvere miles Corripiens, patulum galea confudit in orbem,*] Pro *Corripiens,* nonnulli codices *Sustulit et:* alii, teste Heinsio ad Claudianum, *Convexæ.* Unus ex nostris pro varia lectione, *Contulit et;* unus, *In pulvere.* et *Galeæ* nostri universi. Legerim,

———— quam vix *CUM* pulvere miles
Corripiens, patulum *galeæ* confudit in orbem.

Cum pulvere, ut ostendat non liquidam, sed pulvere turbatam fuisse.

512. —— *Stat corniger illic Jupiter,*] Quomodo *Corniger,* cum mox addat, *Sed tortis cornibus Ammon?* Lege ex Isaaci Vossii codice,

———— stat *CERTIOR* illic
Jupiter, ut memorant.

Certior, ob summam ejus oraculi fidem et existimationem. Noster vi. 813.

———— tibi *certior* omina vates
Ipse canet Siculis genitor Pompeius in oris.

Vide ipsum Vossium ad Melam.

525. —— *Solus nemus extulit Ammon.*] Male libri *abstulit,* aut *attulit.* Sola Ammonitis arbores erigit. Grotius. Immo, pace magni viri, longe elegantius Scripti *Abstulit;* quam Correctores *Extulit.* *Abstulit,* quia solus habet, reliqua regio minime. Catullus,

Rectior, aut Aries donat sua tempora Libræ,
Aut Astræa jubet lentos descendere Pisces.
Par Geminis Chiron, et idem quod Carcinos ardens
Humidus Ægoceros: nec plus Leo tollitur Urna.
At tibi, quæcunque es Libyco gens igne diremta,
In Noton umbra cadit, quæ nobis exit in Arcton.
Te segnis Cynosura subit: tu sicca profundo
Mergi plaustra putas, nullumque in vertice semper
Sidus habes immune maris, procul axis uterque est,
Et fuga signorum medio rapit omnia cœlo.
  Stabant ante fores populi, quos miserat Eos,
Cornigerique Jovis monitu nova fata petebant:
Sed Latio cessere duci: comitesque Catonem
Orant, exploret Libycum memorata per orbem
Numina, de fama tam longi judicet ævi.
Maximus hortator scrutandi voce Deorum
Eventus Labienus erat. sors obtulit, inquit,

Omnibus una omnes *surripuit* veneres.

526. —— *Fons* —— *qui putria terræ Alligat,*] Seneca Epist. 55. *Longior tranquillitas solvit, cum arenis, quæ humore alligantur, succus abscessit,*

541. —— *Nullumque in vertice semper Sidus habes immune maris,*] Repone quod plures codices præferunt,

——— nullumque in vertice *SUMMO.*

Vertice summo, hoc est, Polo Arctico. at *Semper* prorsus otiosum est. Colurum intelligit per Cancrum et Capricornum transeuntem. et medium Signorum orbem, Eclipticam. Ergo ponit Ammonem sub Æquinoctiali, ut Silius iii. 654.

Ad finem cœli medio tenduntur ab orbe
Squalentes campi.

545. *Cornigerique Jovis monitu nova fata petebant:*] Ferri hæc possunt. Ovid. Met. xiii. 216.

Ecce *Jovis monitu*, deceptus imagine somni,
Rex jubet inceptam curam dimittere belli.

Heroid. xvi.

Namque ego *divino monitu*, ne nescia pecces,
Advehor.

Si igitur *Monitu* legas, hæc erit sententia; Ammonem eos domi per visum, per somnium monuisse, ut oracula sua consultum irent. Atqui hoc absurdum est. Sed credo a Poëta profectum esse,

Cornigerique Jovis *monitus*, nova fata, petebant.

Monitus, responsa. Virgil. vii. 92.

Hic et tum pater ipse *petens responsa* Latinus.

et 102.

Hæc *responsa* patris Fauni *monitusque* silenti
Nocte datos.

Silius i. 153.

—— *poscens responsa sacerdos.*

Certe *Monitus* potius, quam unum *Monitum*, cum tot populi præ foribus starent. *Nova fata* per Epexegesim. Ammonis responsa nova fata sunt; quasi, quod de Delphico deo dicit, v. 92.

Sive canit fatum, seu quod jubet ipsa canendo
Fit fatum.

Virgilius x. 35. de Jove,

——— cur nunc tua quisquam
Flectere jussa potest, aut cur nova condere fata?

Ovid. Metam. xi. 759. de Æsaco in mergum transformato,

Et fortuna viæ, tam magni numinis ora,
Consiliumque Dei: tanto duce possumus uti
Per Syrtes, bellique datos cognoscere casus.
Nam cui crediderim Superos arcana daturos,
Dicturosque magis, quam sancto vera Catoni?
Certe vita tibi semper directa supernas
Ad leges, sequerisque Deum. datur ecce loquendi
Cum Jove libertas: inquire in fata nefandi
Cæsaris, et patriæ venturos excute mores:
Jure suo populis uti, legumque licebit,
An bellum civile perit. tua pectora sacra
Voce reple: duræ saltem virtutis amator
Quære quid est virtus, et posce exemplar honesti.
  Ille deo plenus, tacita quem mente gerebat,
Effudit dignas adytis e pectore voces.
Quid quæri, Labiene, jubes? an liber in armis
Occubuisse velim potius, quam regna videre?

Qui nisi sensisset prima *nova fata* juventa.

553. —— *Bellique datos cognoscere casus.*] Codex ex nostris unus, *Bellisque* ut supra 84. *Tu pete bellorum casus:* si *Belli* mavis, tum lege,

—— bellique *ratos* cognoscere casus.

563. —— *Et posce exemplar honesti.*] Tacitus Annal. xvi. 32. *Egnatius Stoicus ad exprimendam imaginem honesti exercitus, cæterum animo perfidiosus.*

565. *Effudit dignas adytis e pectore voces.*] Seneca pater contr. l. i. *Erratis, nisi illam vocem non M. Catonis, sed Oraculi creditis. Quid enim est oraculum? Nempe voluntas divina hominis ore enunciata. Et quem tandem antistitem digniorem invenire sibi divinitas potuit, quam Catonem?* Grotius.

568. *An sit vita nihil, sed longam differat ætas?*] Vita nihil est, id est, ἀδιάφορον. Longam differt ætas, id est, producit. Aut potius, *longæ differat ætas.* Longæ vitæ ætas differt, non bonitas. Cicero de Finibus ii. latius explicat quod hic breviter ex Stoicorum scito dicitur: *qui bonum omne in virtute ponit, is potest dicere perfici beatam vitam perfectione virtutis. Negat enim summo bono afferre incrementum diem.* Et iii. *Stoicis non videtur optabilior nec magis expetenda beata vita, si sit longa, quam si brevis.* Chrysippus dixerat: καίπερ κατὰ τὸν πλείονα χρόνον οὐδὲν μᾶλλον εὐδαιμονούντων, οὐδὲ τῆς ἀϊδίου εὐδαιμονίας αἱρετοτέρας γινομένης τῆς ἡμεραίας. Alibi: ἀγαθὸν ὁ χρόνος οὐκ αὔξει προσγινόμενος. Libet illustrare hæc Senecæ verbis. Is libro de brevitate vitæ: *Quomodo fabula, sic vita, non quamdiu, sed quam bene acta sit, refert.* Idem Epistola lxxiii. *Non est virtus major quæ longior.* ubi et hoc nimis superbum, qualia Stoicorum non pauca: *Deus non vincit sapientem felicitate, etiamsi vincit ætate.* et epist. lxxiv. *Utcunque fortuna se gessit, sive illi senectus longa contigit, sive citra senectutem finitus est, eadem mensura summi boni est, quamvis ætatis diversa sit.* Et lxxviii. *Scit tempore honesta non crescere.* Et xciii. *Longa est vita si plena est. Impletur cum animus sibi bonum suum reddidit.* Unde hoc infert egregium: *hoc agamus, ut quemadmodum pretiosa rerum, sic vita nostra non pateat multum, sed mul-*

An sit vita nihil, sed longam differat ætas?
An noceat vis ulla bono? Fortunaque perdat
Opposita virtute minas? laudandaque velle
Sit satis, et nunquam successu crescat honestum?
Scimus, et hoc nobis non altius inseret Ammon.
Hæremus cuncti Superis, temploque tacente,
Nil facimus non sponte Dei: nec vocibus ullis
Numen eget: dixitque semel nascentibus auctor
Quicquid scire licet: sterileis nec legit arenas,
Ut caneret paucis, mersitque hoc pulvere verum:
Estne Dei sedes nisi terra, et pontus, et aër,
Et cœlum, et virtus? Superos quid quærimus ultra?
Juppiter est quodcunque vides, quocunque moveris.
Sortilegis egeant dubii, semperque futuris
Casibus ancipites: me non oracula certum,
Sed mors certa facit: pavido, fortique cadendum est.
Hoc satis est dixisse Jovem. Sic ille profatur:
Servataque fide templi discedit ab aris,
Non exploratum populis Ammona relinquens.
Ipse manu sua pila gerens, præcedit anheli
Militis ora pedes: monstrat tolerare labores,
Non jubet: et nulla vehitur cervice supinus,
Carpentove sedens. somni parcissimus ipse est,
Ultimus haustor aquæ. cum tandem fonte reperto
Indiga cogatur latices potare juventus,
Stat, dum lixa bibat. Si veris magna paratur

tum pendat. Apud Curtium Alexander: *Ea sum stirpe genitus, ut multam prius quam longam vitam debeam optare.* Grotius. Seneca Nat. Quæst. vi. sub finem. *Quæ omnia feres constanter, si cogitaveris nihil interesse inter exiguum tempus ac longum.* Epist. 70. *Præterea, quemadmodum non utique melior est longior vita, sic pejor utique mors longior.* De vita beata c. 21. *Ille philosophiæ studiosus — inter longius tempus et brevius nihil interesse judicat.*

571. —— *Successu crescat honestum?*] Seneca Epist. p. 313. *Scit tempore honesta non crescere.*

572. *Scimus, et hoc nobis non altius inseret Ammon.*] Conveniunt cum his illa quæ ad locum Epicteti, ὅταν μαντικῇ, ait Simplicius, περὶ γὰρ τῶν ἐφ' ὑμῖν οὐ χρεία μαντείας τίς. γὰρ μαντεύσεται εἰ χρὴ τὰ κατὰ φύσιν ὀρέγεσθαι, τὰ δὲ παρὰ φύσιν ἐκκλίνειν. Et mox: εἰ γὰρ ὀρθὸς λόγος ὑπαγορεύει δεῖν πράττεσθαι, ταῦτα δεῖ ποιεῖν καὶ μὴ ἐρωτᾷν. Arrianus ii. 7. οὐκ ἔχω τὸν μάντιν ἔσω, τὸν εἰρηκότα μοι τὴν οὐσίαν τοῦ ἀγαθοῦ καὶ τοῦ κακοῦ. Grotius.

578. *Estne Dei sedes nisi terra, et pontus, et aër,
Et cœlum, et virtus?*] Ita recte MS. non, *Estque.* Ullane alia dei sedes est, quam universum, et mens sapientis?

Fama bonis, et si successu nuda remoto
Inspicitur Virtus, quicquid laudamus in ullo
Majorum, fortuna fuit. quis marte secundo,
Quis tantum meruit populorum sanguine nomen?
Hunc ego per Syrtes, Libyæque extrema triumphum
Ducere maluerim, quam ter Capitolia curru
Scandere Pompeii, quam frangere colla Jugurthæ.
Ecce parens verus patriæ, dignissimus aris,
Roma, tuis; per quem nunquam jurare pudebit,
Et quem, si steteris unquam cervice soluta,
Tunc olim factura Deum. jam spissior ignis,
Et plaga, quam nullam Superi mortalibus ultra
A medio fecere die, calcatur, et unda
Rarior: inventus mediis fons unus arenis
Largus aquæ: sed quem serpentum turba tenebat
Vix capiente loco. stabant in margine siccæ
Aspides, in mediis sitiebant Dipsades undis.
Ductor, ut aspexit perituros fonte relicto,
Alloquitur: vana specie conterrite leti,
Ne dubita, miles, tutos haurire liquores:
Noxia serpentum est admisto sanguine pestis:
Morsu virus habent, et fatum dente minantur:
Pocula morte carent. dixit; dubiumque venenum
Hausit: et in tota Libyæ fons unus arena
Ille fuit, de quo primus sibi posceret undam.
Cur Libycus tantis exundet pestibus aër

Hierocles: *Ψυχῆς καθαρᾶς τόπον οἰκειότερον ἐπὶ γῆς θεὸς οὐκ ἔχει, ὡς καὶ ὁ Πύθιος συμφέρεται λέγων.*

Εὐσεβέσιν δὲ βροτοῖς γάνυμαι τόσον ὅσσον Ὀλύμπῳ.

Grotius.

580. *Juppiter est quodcunque vides,*] Seneca Nat. Quæst. p. 629. *Quid est deus? quod vides.*

584. *Hoc satis est dixisse Jovem.*] Arrianus l. 25. *τί σοι ἐντέλλωμαι; ὁ Ζεὺς σοι οὐκ ἐντέταλται.* Grotius.

588. —— *Tolerare labores,*] *Vapores* MSS. Grotius.

605. —— *Quam nullam Superi mortalibus ultra A medio fecere die,*] Lege ex manuscriptis *Qua*. *Ultra* id est ulteriorem. Sic v. 766.

—————— sed *qua* non ulla cruentæ
Tantum mortis habet.

Tantum, id est plus. Plin. xxx. 6. *Picturæ, quibus equidem nullas æque demiror tam longo ævo durantes.* æque, id est, magis.

615. *Morsu virus habent, et fatum dente minantur:*] Elegantiorem tibi præsto lectionem ex diversis codicibus hinc inde erutam,

Fertilis in mortes, aut quid secreta nocenti
Miscuerit Natura solo, non cura, laborque
Noster scire valet: nisi quod vulgata per orbem
Fabula pro vera decepit secula causa.
Finibus extremis Libyes, ubi fervida tellus
Accipit Oceanum demisso sole calentem,
Squalebant late Phorcynidos arva Medusæ,
Non nemorum protecta coma, non mollia sulco,
Sed dominæ vultu conspectis aspera saxis.
Hoc primum Natura nocens in corpore sævas
Eduxit pestes: illis e faucibus angues
Stridula fuderunt vibratis sibila linguis,
Femineæ qui more comæ per terga soluti,
Ipsa flagellabant gaudentis colla Medusæ,
Surgunt adversa subrectæ fronte colubræ,
Vipereumque fluit depexo crine venenum.
Hoc habet infelix, cunctis impune, Medusa,
Quod spectare licet. nam rictus, oraque monstri
Quis timuit? quem, qui recto se lumine vidit,
Passa Medusa mori est? rapuit dubitantia fata,
Prævenitque metus: anima periere retenta
Membra: nec emissæ riguere sub ossibus umbræ.
Eumenidum crines solos movere furores:
Cerberus Orpheo lenivit sibila cantu:
Amphitryoniades vidit, cum vinceret, Hydram:
Hoc monstrum timuit genitor, numenque secundum
Phorcus aquis, Cetosque parens, ipsæque sorores

Morsu virus habent, *FATUMQUE IN* dente *MINATUR.*

Codex Academicus *Fatumque*, omnes vero *Minatur*. *In dente minatur* autem codex Caianus et Collegii Trinitatis. Vides ut concinne omnia procedunt eodem casu recto, *Pestis*, *Fatum*, *Pocula*. Noster viii. 305.

Vulnera parva nocent, *fatumque* in sanguine summo est.

636. *Hoc habet infelix, cunctis impune, Medusa,*

Quod spectare licet.] Hoc unum est Medusæ, quod impune spectatur. Crinis scilicet. nam vultum nemo impune aspexerit. Grotius. Non cepit vir magnus sententiæ acumen. In eo infelix est Medusa, quod cuivis licet spectare eam impune. Qui vero *Impune?* nempe eodem ictu, eodem articulo, in saxum vertitur spectator, sine metu, sine dolore, sine ullo mortis sensu. Hoc poscunt et probant, quæ mox sequuntur. Seneca Nat. Quæst. iv. cap. ultimo, de homine fulguri-

Gorgones: hoc potuit cœlo pelagoque minari
Torporem insolitum, mundoque obducere terram.
E cœlo volucres subito cum pondere lapsæ:
In scopulis hæsere feræ: vicina colentes
Æthiopum totæ riguerunt marmore gentes.
Nullum animal visus patiens, ipsique retrorsum
Effusi faciem vitabant Gorgonis angues.
Illa sub Hesperiis stantem Titana columnis
In cautes Atlanta dedit: cœloque timente
Olim Phlegræo stantes serpente gigantes,
Erexit montes, bellumque immane Deorum
Pallados e medio confecit pectore Gorgon.
Quo postquam partu Danaës, et divite nimbo
Ortum Parrhasiæ vexerunt Persea pennæ
Arcados auctoris citharæ, liquidæque palæstræ,
Et subitus præpes Cyllenida sustulit Harpen,
Harpen alterius monstri jam cæde rubentem,
A Jove dilectæ fuso custode juvencæ:
Auxilium volucri Pallas tulit innuba fratri,
Pacta caput monstri: terræque in fine Libyssæ
Persea Phœbeos converti jussit ad ortus,
Gorgonis averso sulcantem regna volatu:
Et clypeum lævæ fulvo dedit ære nitentem,
In quo saxificam jussit spectare Medusam,
Quam sopor æternam tracturus morte quietem
Obruit haud totam. vigilat pars magna comarum,
Defenduntque caput protenticrinibus hydri:

to. *Sed non erit cogitationi locus. casus iste donat metum. nemo umquam fulmen timuit, nisi qui effugit.*

646. —— *Cetosque parens,*] Lege *Cetoque* cum MSS. Apollodorus lib. i. φόρκυ δὲ καὶ κητοῦς φορκύαδες γοργόνες: et lib. ii. κήτους δὲ καὶ φόρκυ γοργόνων ἀδελφαί. Hesiodus Theogonia:

φόρκυ δ' αὖ κητὼ γραίας τέκε.

Deinde:

Γοργούς θ' αἳ ναίουσι πέρην κλυτοῦ ὠκεανοῖο.

Unde et hoc apparet *genitor et numen secundum aquis*, utrunque de patre Phorco dici. Grotius.

653. —— *Gorgonis angues.*] Recte codex Academicus, *Gorgonos*. Atque ita infra v. 668.

655. —— *Cœloque timente*
Olim Phlegræo stantes serpente gigantes,] Male comma post *timente* ponebatur. cohærent hæc jam sequentibus. Quo tempore cœlum gigantes timuit, auxit ipsa montes, mutatis in saxa gigantibus. Grotius.

668. *Gorgonis averso sulcantem regna volatu:*] Ovidius Trist. iii. 8.

Pars jacet in medios vultus, oculique tenebras.
Ipsa regit trepidum Pallas, dextraque tremente
Perseos aversi Cyllenida dirigit Harpen,
Lata colubriferi rumpens confinia colli.
Quos habuit vultus lunati vulnere ferri
Cæsa caput Gorgon ! quanto spirasse veneno
Ora rear ! quantumque oculos effundere mortis!
Nec Pallas spectare potest: vultusque gelassent
Perseos adversi, si non Tritonia densos
Sparsisset crines, texissetque ora colubris.
Aliger in cœlum sic rapta Gorgone fugit.
Ille quidem pensabat iter, propiusque secabat
Æthera, si medias Europæ scinderet urbes;
Pallas frugiferas jussit non lædere terras,
Et parci populis. quis enim non præpete tanto
Æthera respiceret? Zephyro convertitur ales,
Itque super Libyen, quæ, nullo consita cultu,
Sideribus, Phœboque vacat: premit orbita solis,
Exuritque solum: nec terra celsior ulla
Nox cadit in cœlum, lunæque meatibus obstat,
Si flexus oblita vagi per recta concurrit
Signa, nec in Borean, aut in Noton effugit umbram.
Illa tamen sterilis tellus, fecundaque nulli
Arva bono, virus stillantis tabe Medusæ
Concipiunt, dirosque fero de sanguine rores,
Quos calor adjuvit, putrique incoxit arenæ.
  Hic, quæ prima caput movit de pulvere tabes,
Aspida somniferam tumida cervice levavit.
Plenior huic sanguis, et crassi gutta veneni
Decidit: in nulla plus est serpente coactum.
Ipsa caloris egens gelidum non transit in orbem

Ut tenera nostris cedente volatibus aura.

675. —— *Dextraque tremente Perseos aversi Cyllenida dirigit Harpen,*] Ovid. Met. v. 176.

Brachia tendentem Cyllenide confodit harpe.

et viii. 511.

—— dixit dextraque aversa trementi

Funereum torrem medios conjecit in ignes.

xii. 606. Apollo Paridis

Certaque letifera direxit spicula dextra.

677. *Lata colubriferi rumpens confinia colli.*] Ovid. Met. v. 240.

Torva colubriferi superavit lumina monstri.

678. —— *Lunati vulnere ferri*] Ita

Sponte sua, Niloque tenus metitur arenas.
Sed quis erit nobis lucri pudor? inde petuntur
Huc Libycæ mortes, et fecimus aspida mercem.
At non stare suum miseris passura cruorem,
Squamiferos ingens Hæmorrhois explicat orbes:
Natus et ambiguæ coleret qui Syrtidos arva
Chersydros, tractique via fumante Chelydri:
Et semper recto lapsurus limite Cenchris:
Pluribus ille notis variatam pingitur alvum
Quam parvis tinctus maculis Thebanus Ophites:
Concolor exustis, atque indiscretus arenis
Ammodyes: spinaque vagi torquente Cerastæ:
Et Scytale sparsis etiam nunc sola pruinis
Exuvias positura suas: et torrida Dipsas:
Et gravis in geminum surgens caput Amphisbæna:
Et Natrix violator aquæ, Jaculique volucres,
Et contentus iter cauda sulcare Pareas:
Oraque distendens avidus spumantia Prester:
Ossaque dissolvens cum corpore tabificus Seps.
Sibilaque effundens cunctas terrentia pestes,
Ante venena nocens, late sibi submovet omne
Vulgus, et in vacua regnat Basiliscus arena.
Vos quoque, qui cunctis innoxia numina terris
Serpitis, aurato nitidi fulgore Dracones,
Pestiferos ardens facit Africa, ducitis altum
Aëra cum pennis, armentaque tota secuti
Rumpitis ingentes amplexi verbere tauros.
Nec tutus spatio est Elephas: datis omnia leto:
Nec vobis opus est ad noxia fata veneno.
Has interpestes duro Cato milite siccum
Emetitur iter: tot tristia fata suorum

MSS. Harpes descriptio, quæ falcata. Grotius. Arripuit hoc, credo, vir magnus ex solo Bersmanni codice, qui *Lunati* habet. Alii magno numero *Hamati.* Ovid. de eadem Harpe,

——— dextroque frementis in armo
Inachides ferrum curvo tenus abdidit *hamo.*

mox ibidem,

——— falcato vulnerat ense.

686. —— *Si medias Europæ scinderet urbes:*] Ita MS. hoc est, transvolaret. Grotius.

713. *Pluribus ille notis variatam pingitur alvum*] περίστικτον φολίδεσσι dixit Nicander. Grotius.

716. *Ammodyes:*] MSS. recte *Ammodytes.* Grotius.

721. —— *Pareas:*] Variant MSS.

Insolitasque videns parvo cum vulnere mortes.
Signiferum juvenem Tyrrheni sanguinis Aulum
Torta caput retro Dipsas calcata momordit.
Vix dolor, aut sensus dentis fuit: ipsaque leti
Frons caret invidia: nec quicquam plaga minatur.
Ecce subit virus tacitum, carpitque medullas
Ignis edax, calidaque incendit viscera tabe.
Ebibit humorem circum vitalia fusum
Pestis, et in sicco linguam torrere palato
Cœpit. defessos iret qui sudor in artus
Non fuit, atque oculos lacrymarum vena refugit.
Non decus imperii, non mœsti jura Catonis
Ardentem tenuere virum, quin spargere signa
Auderet, totisque furens exquireret agris,
Quas poscebat aquas sitiens in corde venenum.
Ille vel in Tanain missus, Rhodanumque, Padumque
Arderet, Nilumque bibens per rura vagantem.
Accessit morti Libye, fatique minorem
Famam Dipsas habet terris adjuta perustis.
Scrutatur venas penitus squalentis arenæ:
Nunc redit ad Syrtes, et fluctus accipit ore:
Æquoreusque placet, sed non et sufficit, humor.
Nec sentit fatique genus, mortemque veneni:

sed vera hæc est lectio. Παρείας Aristophani, Hyperidæ et aliis. Grotius.

739. —— *Ipsaque leti*
Frons caret invidia:] Non construe *Frons leti*, sed *Invidia leti*. Vegetius i. 16. de Fundis, *Cum membris integris letale tamen vulnus importent; et* sine invidia sanguinis, *hostis lapidis ictu intereat.* Seneca Hippol. 281. de Amoris vulnere,

Non habet latam data *plaga frontem*,
Sed *vorat* tectas penitus *medullas*.

Singula in his verba Noster hic imitatus est. *Plagam, Frontem, Medullas.*

748. —— *Quin spargere signa*
Auderet,] MSS.

—————— ne spargere signa
Auderet.

Grotius.

761. —— *Discere nulli*
Permissum est hoc posse sitim.] Id melius putavimus quam *dicere*. Noluit quenquam hoc scire, ne sitim nimium timerent. Et sic ut emendavimus habent MSS. Grotius.

764. —— *Quem fixo dente tenacem*] Codices fere universi *Flexo*. Recte. Ideo *tenacem*, quia dente *flexo*. Ovid. Met. vii. 150. de Dracone,

—————————— et *uncis*
Dentibus horrendus.

xi. 775.

Ecce latens herba *coluber* fugientis *adunco*
Dente pedem stringit.

Statius de Serpente Theb. v. 519.

—— ter lingua vibrat, terna agmina *adunci*
Dentis.

Sed putat esse sitim : ferroque aperire tumentes
Sustinuit venas, atque os implere cruore.
Jussit signa rapi propere Cato: discere nulli
Permissum est hoc posse sitim. sed tristior illa
Mors erat ante oculos: miserique in crure Sabelli
Seps stetit exiguus, quem fixo dente tenacem
Avulsitque manu, piloque affixit arenis.
Parva modo serpens; sed qua non ulla cruentæ
Tantum mortis habet. nam plagæ proxima circum
Fugit rupta cutis, pallentiaque ossa retexit.
Jamque sinu laxo nudum est sine corpore vulnus.
Membra natant sanie: suræ fluxere: sine ullo
Tegmine poples erat: femorum quoque musculus omnis
Liquitur, et nigra distillant inguina tabe.
Dissiluit stringens uterum membrana, fluuntque
Viscera: nec, quantum toto de corpore debet,
Effluit in terras: sævum sed membra venenum
Decoquit: in minimum mors contrahit omnia virus.
Vincula nervorum, et laterum textura, cavumque
Pectus, et abstrusum fibris vitalibus, omne
Quidquid homo est, aperit pestis. natura profana
Morte patet: manant humeri, fortesque lacerti:
Colla, caputque fluunt. calido non ocyus Austro

766. *Parva modo serpens; sed qua non ulla cruentæ*
Tantum mortis habet.] Qualis hæc oratio? *Qua tantum, Qua majus, qua plus,* vix diceret qui prima sermonis elementa didicit. Corrige,

Parva modo serpens; sed *ENIM* non ulla cruentæ, &c.

Modo, non adverbium, sed mole, mensura. Virg. Æn. i. 23.

Progeniem *sed enim* Trojano a sanguine duci
Audierat.

et v. 95.

—— *sed enim* gelidus tardante senecta
Sanguis hebet.

776. —— *In minimum mors contrahit omnia virus.*] Hoc nullo sensu, nulla sententia fertur. Corrige,

——— sævum sed membra venenum
Decoquit: in minimum mors contrahit omnia
PONDUS.

hoc est, totum corpus absumebatur, et minimum quid ex eo restabat; ut mox,

Eripiunt omnes animam, tu sola cadaver.

Ovid. Met. xiv. 147. Sibylla,

Tempus erit, cum me de tanto corpore parvam
Longa dies faciat; consumta membra senecta
Ad *minimum* redigantur *onus.*

Certe *Ad minimum onus* est ipsum illud Nostri, *In minimum pondus.*

777. —— *Laterum textura,*] Pulmanni duo, et ex nostri tres, *Laterum* JUNCTURA. Virg. xii. 274.

——————— teritur qua sutilis alvo
Balteus, et *laterum juncturas* fibula mordet.

Sed et *Textura.* Ovid. Met. xvi.

Texitur et costis panda carina suis.

Nix resoluta cadet, nec solem cera sequetur.
Parva loquor; corpus sanie stillasse perustum:
Hoc et flamma potest. sed quis rogus abstulit ossa?
Hæc quoque discedunt, putresque secuta medullas
Nulla manere sinunt rapidi vestigia fati.
Cyniphias inter pestes tibi palma nocendi est:
Eripiunt omnes animam, tu sola cadaver.
Ecce subit facies leto diversa fluenti.
Nasidium Marsi cultorem torridus agri
Percussit Prester. illi rubor igneus ora
Succendit, tenditque cutem, pereunte figura,
Miscens cuncta tumor toto jam corpore major:
Humanumque egressa modum super omnia membra
Efflatur sanies, late tollente veneno,
Ipse latet penitus congesto corpore mersus:
Nec lorica tenet distenti corporis auctum.
Spumeus accenso non sic exundat aheno
Undarum cumulus: nec tantos carbasa Coro
Curvavere sinus. tumidos jam non capit artus
Informis globus, et confuso pondere truncus.

781. *Colla, caputque fluunt.*] Codex Bersmanni *Fluit.* Recte et ex Poëtæ more.

782. *Nix resoluta cadet,*] Melius quam *cadit,* ut cohæreat cum *sequetur.* Grotius. Codices universi *Cadit.* Nec ideo *Cadet,* quia mox, *nec solem cera sequetur.* Nix enim natura et sponte cadit, seu tu velis, sive non: at cera *sequetur,* non *sequitur;* quia te volente fit, cum soli vel igni admoveris.

795. *Efflatur sanies, late tollente veneno,*] Si *efflatur* sanies, decrescet corpus, non intumescet: Corrige,

Humanumque egressa modum super omnia membra
INFLATUR sanies, late *POLLENTE* veneno.

Pollente, codex Bersmanni. si *Tollente* mavis, tum lege *Alte.*

797. *Nec lorica tenet distenti corporis auctum.*] *Corpore mersus,* præcedente versu habuimus; et quarto abhinc *Corpore major.* Repone,

Nec lorica tenet distenti *PECTORIS* auctum.'

Lorica enim pectus circuit. Hæc duo *Corpus, Pectus* passim confunduntur. Quin in versu illo *Corpore major,* Codex Collegii Trinitatis, *Pectore major.*

798. *Spumeus accenso non sic exundat aheno*
Undarum cumulus:] Turpe mendum, *Undarum exundat.* Codex Bersmanni EXULTAT; quod vel sine codice in promtu erat. Virgil. de eadem re vii. 464. *Exultantque æstu latices.*

800. —— *Tumidos jam non capit artus*
Informis globus, et confuso pondere truncus.] Quid est, *non capit artus?* Corrigo,

Tumidos jam non *HABET* artus.

Globus fit et truncus, nullos artus inter se distinctos habens.

808. *Utque solet pariter totis se effundere signis*

Intactum volucrum rostris, epulasque daturum
Haud impune feris, non ausi tradere busto,
Nondum stante modo, crescens fugere cadaver.
Sed majora parant Libycæ spectacula pestes.
Impressit dentes Hæmorrhois aspera Tullo
Magnanimo juveni, miratorique Catonis.
Utque solet pariter totis se effundere signis
Corycii pressura croci: sic omnia membra
Emisere simul rutilum pro sanguine virus.
Sanguis erant lacrymæ: quæcunque foramina novit
Humor, ab his largus manat cruor: ora redundant,
Et patulæ nares: sudor rubet: omnia plenis
Membra fluunt venis: totum est pro vulnere corpus.
At tibi, Leve miser, fixus præcordia pressit
Niliaca serpente cruor: nulloque dolore
Testatus morsus subita caligine mortem
Accipis, et Stygias somno descendis ad umbras.
Non tam veloci corrumpunt pocula leto,
Stipite quæ diro virgas mentita Sabinas
Toxica fatilegi carpunt matura Sabæi.

Corycii pressura croci:] Ovid. Met. xii. 437.

——— Utve liquor rari sub pondere cribri
Manat, et exprimitur per densa foramina spissus.

Seneca Nat. Quæst. p. 666. *Sparsio illa quæ ex fundamentis mediæ arenæ crescens in summam altitudinem amphitheatri pervenit.* et Epist. 90. p. 405. *Quemadmodum in immensam altitudinem Crocum latentibus fistulis* exprimat.

813. —— *Omnia plenis*
Membra fluunt venis:] Atqui quarto abhinc versu habuimus, *Omnia membra Emisere rutilum virus.* Corrigo,

——— sudor rubet: omnia plenis
RUBRA fluunt *RIVIS*; totum est pro vulnere corpus.

Virgil. v. 200.

——— *sudor fluit undique rivis.*

815. *At tibi, Leve*] *Vele* habent MSS. Grotius.

820. *Stipite quæ diro virgas mentita Sabinas*
Toxica fatilegi carpunt matura Sabæi.] Scaligeri est emendatio. Ante fuit, *Sabæas*, inepte, cum versu altero sequatur vox *Sabæi.* Virgæ Sabinæ. herbæ Sabinæ Ovidio sæpe. Herbæ quanquam dicebantur, arbusculæ erant, quibus Græcum nomen *βράθυς* apud Plinium. Grotius. Vereor, ut viri maximi Scaliger ac Grotius recte ac feliciter rem hic gesserint. *Sabæas*, ait, *inepte, cum versu altero sequatur Sabæi.* Dicas eodem argumento, Inepte *Sabæi*, cum versu priore habeamus *Sabæas.* Quis dixit Virgas Sabinas? *Herbæ* sunt et dicuntur, non Virgæ, Plinio terque quaterque, et aliis, Virgil. Culice,

Herbaque turis opes priscis imitata Sabinis.

Ovid. Fast. iv. 741.

Ure mares oleas, tædamque, herbasque Sabinas.

Ecce procul sævus sterilis se robore trunci
Torsit, et immisit (Jaculum vocat Africa) serpens:
Perque caput Pauli transactaque tempora fugit.
Nil ibi virus agit: rapuit cum vulnere fatum.
Deprensum est, quæ funda rotat, quam lenta volaret,
Quam segnis Scythicæ strideret arundinis aër.
Quid prodest miseri Basiliscus cuspide Murri
Transactus? velox currit per tela venenum,
Invaditque manum: quam protinus ille retecto
Ense ferit, totoque simul demittit ab armo:
Exemplarque sui spectans miserabile leti
Stat tutus pereunte manu. quis fata putaret
Scorpion, aut vires maturæ mortis habere?
Ille minax nodis, et recto verbere sævus,
Teste tulit cœlo victi decus Orionis.
Quis calcare tuas metuat, Solpuga, latebras?
Et tibi dant Stygiæ jus in sua fila sorores.
Sic nec clara dies, nec nox dabat atra quietem,
Suspecta est miseris in qua tellure jacebant.
Nam neque congestæ struxere cubilia frondes,
Nec culmis crevere tori: sed corpora fatis
Expositi volvuntur humo, calidoque vapore
Alliciunt gelidas nocturno frigore pestes:
Innocuosque diu rictus torpente veneno
Inter membra fovent: nec, quæ mensura viarum,

At *Sabæa virga*, *Turea virga* recte. Virgil. Georg. ii. 117.

——————— sola India nigrum
Fert ebenum, solis est turea virga Sabæis.

Quid ergo? posterius vocabulum in mendo est, et, ni fallor, sic corrigendum:

Non tam veloci corrumpunt pocula leto,
Stipite quæ diro virgas mentita *Sabæas*
Toxica fatilegi carpunt matura *SUEVI*.

Ex patruo suo Seneca hoc hausit Lucanus. Is in Medea 710. de venenis agens,

Congerit in unum frugis infaustæ mala.
Et queis sagittas divites Arabes linunt,
Pharetraque pugnax Medus, aut Parthi leves:
Aut quos sub axe frigido *succos legunt*
Lucis *Suëvi* nobiles Hercyniis.

Vides hic *Succos legunt*, ut apud Nostrum, *Fatilegi* et *carpunt*. sic Sarmatæ, Bessi, et Getæ, sagittas veneno tingunt, ut sæpe Ovidius in Tristibus et Ponticis. Pont. iv. 7. 11.

Aspicis et mitti sub adunco *toxica* ferro.

Toxica ἀπὸ τῶν τόξων, ab arcubus nomen habent, quod iis sagittæ inficerentur.

827. *Quam segnis Scythicæ strideret arundinis aër.*] Quam segnis sit sagitta si jaculo serpenti comparetur. Grotius.

828. *Quid prodest miseri Basiliscus cuspide Murri Transactus?*] Julius Scaliger in Poëtica. *At vero quid dicemus de illa locutione, Quid prodest, &c. Latine aliter dicimus, Quid prodest Basiliscum transac-*

Quisve modus norunt, cœlo duce: sæpe querentes,
Reddite, Dii, clamant, miseris, quæ fugimus, arma:
Reddite Thessaliam. patimur cur segnia fata
In gladios jurata manus? pro Cæsare pugnant
Dipsades, et peragunt civilia bella Cerastæ.
Ire libet qua Zona rubens atque axis inustus
Solis equis: juvat ætheriis adscribere causis
Quod peream, cœloque mori. nil, Africa, de te,
Nec de te, Natura, queror: tot monstra ferentem,
Gentibus ablatum dederas serpentibus orbem:
Impatiensque solum Cereris, cultore negato
Damnasti, atque homines voluisti deesse venenis.
In loca serpentum nos venimus: accipe pœnas,
Tu quisquis Superum commercia nostra perosus,
Hinc torrente plaga, dubiis hinc Syrtibus orbem
Abrumpens, medio posuisti limite mortes.
Per secreta tui bellum civile recessus
Vadit; et arcani miles tibi conscius orbis
Claustra petit mundi. forsan majora supersunt
Ingressis. coëunt ignes stridentibus undis,
Et premitur natura poli. sed longius ista
Nulla jacet tellus, quam fama cognita nobis
Tristia regna Jubæ. quæremus forsitan istas
Serpentum terras: habet hoc solatia cœlum,
Vivit adhuc aliquid. patriæ non arva requiro,

tum cuspide fuisse: nam Basiliscus neque vivus neque mortuus prodest; sed factum ipsum, id est, totum hoc Basiliscum esse transfixum. Recte censuram agit vir summus. sed Librarii in culpa sunt, non Poëta. Corrige,

> Quid prodest *misero* Basiliscus cuspide *Murro*
> Transactus?

Ovid. Heroid. i.

> Sed *mihi* quid *prodest* vestris disjecta lacertis
> *Ilios*, et, murus quod fuit ante, solum?

Quid mihi prodest disjecta Ilios; hoc est, Ilion disjectam esse, vel quod Ilios disjecta sit. Quid prodest Murro Basiliscus transactus, sive, quod transactus sit Basiliscus. Idem Amor. ii. 2.

> Quid *mihi* profuerit velox *cantatus* Achilles?

837. *Quis calcare tuas metuat, Solpuga, latebras?*] Recte sic scribitur et ἀναλογικῶς à solo pungendo. Libri tamen quidam *Salpuga*, quomodo Bæticos pronunciasse ait Plinius lib. xxix. c. 4. Grotius.

840. *Suspecta est miseris*] MS. T. rectius connectit cum superioribus.

> Suspecta miseris in qua tellure jacebant.

Ut sit trajectio, Lucano frequens: suspecto miseris ipso illo solo cui incubabant. Grotius.

853. —— *Juvat ætheriis adscribere causis*] Eamus potius ad loca torridiora, ut cœlo, non serpentibus, mortem debeamus. Grotius.

865. *Claustra petit mundi.*] *Ferit* ha-

Europamque alios soles Asiamque videntem.
Qua te parte poli, qua te tellure reliqui,
Africa? Cyrenis etiam nunc bruma rigebat.
Exiguane via legem convertimus anni?
Imus in adversos axes: evolvimur orbe:
Terga damus ferienda Noto. nunc forsitan ipsa est
Sub pedibus jam Roma meis. solatia fati
Hæc petimus: veniant hostes, Cæsarque sequatur
Qua fugimus. sic dura suos patientia questus
Exonerat: cogit tantos tolerare labores
Summa ducis virtus, qui nuda fusus arena
Excubat, atque omni Fortunam provocat hora.
Omnibus unus adest fatis: quocunque vocatur
Advolat, atque ingens meritum, majusque salute
Contulit, in letum vires: puduitque gementem
Illo teste mori, quod jus habuisset in ipsum
Ulla lues? casus alieno in pectore vincit,
Spectatorque docet magnos nil posse dolores.
Vix miseris serum tanto lassata periclo
Auxilium Fortuna dedit. gens unica terras
Incolit a sævo serpentum innoxia morsu
Marmaridæ Psylli: par lingua potentibus herbis:
Ipse cruor tutus, nullumque admittere virus,
Vel cantu cessante, potest. natura locorum
Jussit ut immunes misti serpentibus essent.
Profuit in mediis sedem posuisse venenis.
Pax illis cum morte data est. fiducia tanta est
Sanguinis: in terram parvus cum decidit infans,

bent MSS. quod efficacius, ab oppugnatoribus urbium tracta similitudine. Grotius.

884. *Omnibus unus adest fatis: quocunque vocatur*] Codex Puteaneus cum aliquot aliis *Miseris*. Seneca Epist. 49. *Non est jocandi locus. ad* miseros *advocatus es. opem relaturum naufragis, captis, ægris, egentibus, intentæ securi subjectum præstantibus caput pollicitus es.*

888. —— *Casus alieno in pectore vincit,*] Ipse in militum cordibus vincit malum, dum constantiam ipsis aspirat. Grotius.

889. —— *Nil posse dolores.*] MS. P. *labores*. Grotius. At nostri omnes *Dolores*, quod rectius est.

903. *Implumes natos, solis convertit in ortus:*] Repone,

Implumes *NIDOS* solis convertit *AD* ortus.

AD complures codices habent. Alterum, immo utrumque, Claudianus præstabit, qui locum hunc præ oculis habuit, cum

Ne qua sit externæ Veneris mistura timentes,
Letifica dubios explorant aspide partus.
Utque Jovis volucer, calido cum protulit ovo
Implumes natos, solis convertit in ortus:
Qui potuere pati radios, et lumine recto
Sustinuere diem cœli, servantur in usus;
Qui Phœbo cessere, jacent: sic pignora gentis
Psyllus habet, si quis tactos non horruit angues,
Si quis donatis lusit serpentibus infans.
Nec solum gens illa sua contenta salute,
Excubat hospitibus, contraque nocentia monstra
Psyllus adest populis. qui tunc Romana secutus
Signa, simul jussit statui tentoria ductor,
Primum quas valli spatium comprendit arenas
Expurgat cantu, verbisque fugantibus angues.
Ultima castrorum medicatus circuit ignis.
Hic ebulum stridet, peregrinaque galbana sudant,
Et tamarix non læta comis, Eoaque costos,
Et panacea potens, et Thessala centaurea:
Peucedanumque sonat flammis, Erycinaque thapsos,
Et larices, fumoque gravem serpentibus urunt
Abrotanum, et longe nascentis cornua cervi.
Sic nox tuta viris. at si quis peste diurna
Fata trahit, tunc sunt magicæ miracula gentis,
Psyllorumque ingens et rapti pugna veneni.
Nam primum tacta designat membra saliva,
Quæ cohibet virus, retinetque in vulnere pestem.
Plurima tum volvit spumanti carmina lingua

xiv versibus eleganter hoc de Aquila dilatavit. Ex illis quæ ad rem præsentem faciunt pono,

Protinus *implumes convertit ad* æthera *nidos*,
Et recto flammas imperat ore pati.

Vides quot verba de Nostro accepit. Equidem *Natos* non repudio, sed quod oblatum est *Nidos*, ut ποιητικώτερον, præfero. Virg. Georg. iv. 17.

Ore ferunt dulcem nidis immitibus escam.

Cæterum suaves homines sunt, qui versum proximum sic interpungunt,

Sustinuere diem cœli servantur in usus.

Quid enim est *Dies cœli?* Codex Academicus in margine habet, *Servantur in usus, hoc est, ut volent per aëra.* Distingue,

Sustinuere diem, cœli servantur in usus.

In usus cœli, ut Jovi fulmina reportent: quod vidit et expressit Claudianus,

Exploratores oculis qui pertulit ignes,
Sustinuitque acie nobiliore *diem:*
Nutritur volucrumque potens et fulminis heres,
Gesturus summo tela trisulca Jovi.

Murmure continuo, nec dat suspiria cursus
Vulneris, aut minimum patiuntur fata tacere.
Saepe quidem pestis nigris inserta medullis
Excantata fugit: sed si quod tardius audit
Virus, et elicitum, jussumque exire repugnat;
Tunc superincumbens pallentia vulnera lambit,
Ore venena trahens, et siccat dentibus artus,
Extractamque tenens gelido de corpore mortem
Expuit: et cujus morsus superaverit anguis,
Jam promptum Psyllis vel gustu nosse veneni.
Hoc igitur levior tandem Romana juventus
Auxilio, late squalentibus errat in arvis.
Bis positis Phœbe flammis, bis luce recepta
Vidit arenivagum surgens fugiensque Catonem.
   Jamque illis magis, atque magis durescere pulvis
Cœpit, et in terram Libye spissata redire.
Jamque procul nemorum raræ se tollere frondes:
Surgere congesto non culta mapalia culmo.
Quanta dedit miseris melioris gaudia terræ,
Cum primum sævos contra videre leones!
Proxima Leptis erat, cujus statione quieta
Exegere hyemem nimbis flammisque carentem.
   Cæsar ut Emathia satiatus clade recessit,
Cætera curarum projecit pondera, soli
Intentus genero: cujus vestigia frustra
Terris sparsa legens, fama duce tendit in undas,
Threiciasque legit fauces, et amore notatum
Æquor, et Eroas lacrymoso littore turres,
Qua pelago nomen Nepheleias abstulit Helle.
Non Asiam brevioris aquæ disterminat usquam
Fluctus ab Europa, quamvis Byzantion arcto

925. *Nam primum tacta designat membra saliva,*] Lego *Præsignat.* Plin. xxviii. 7. *Incipientes furunculos ter* Præsignare *jejuna saliva.*

928. —— *Nec dat suspiria cursus Vulneris, aut minimum patiuntur fata tacere.*] Non ut ante *dant,* et *haud,* ne dari negetur cursus, cum sit sensus, celeritatem vulneris non permittere Psyllo ut respiret, aut tantillum taceat. Grotius.

935. *Extractamque*] Lege *exsuctam.* Plin. xxiii. 27. Neque altero, quam aceto, collinunt, venena *exsugentes.*

937. *Jam promtum Psyllis*] Lege *Psyllo.*

964. *Circuit exustæ nomen memorabile Trojæ,*] Alii codices *Venerabile.* Sed

Pontus, et ostriferam dirimat Chalcedona cursu,
Euxinumque ferens parvo ruat ore Propontis.
Sigæasque petit famæ mirator arenas,
Et Simoëntis aquas, et Graio nobile busto
Rhœtion, et multum debentes vatibus umbras.
Circuit exustæ nomen memorabile Trojæ,
Magnaque Phœbæi quærit vestigia muri.
Jam silvæ steriles, et putres robore trunci
Assaraci pressere domos, et templa deorum
Jam lassa radice tenent: ac tota teguntur
Pergama dumetis: etiam periere ruinæ.
Aspicit Hesiones scopulos, silvasque latentes
Anchisæ thalamos; quo judex sederit antro:
Unde puer raptus cœlo: quo vertice Nais
Luserit Œnone: nullum est sine nomine saxum.
Inscius in sicco serpentem pulvere rivum
Transierat, qui Xanthus erat: securus in alto
Gramine ponebat gressus; Phryx incola manes
Hectoreos calcare vetat. discussa jacebant
Saxa, nec ullius faciem servantia sacri;
Herceas, monstrator ait, non respicis aras?
O sacer, et magnus vatum labor, omnia fato
Eripis, et populis donas mortalibus ævum.
Invidia sacræ, Cæsar, ne tangere famæ:
Nam, si quid Latiis fas est promittere Musis,
Quantum Smyrnæi durabunt vatis honores,
Venturi me, teque legent; Pharsalia nostra
Vivet, et a nullo tenebris damnabitur ævo.
Ut ducis implevit visus veneranda vetustas,
Erexit subitas congestu cespitis aras,

cum dicit *Exustæ*, aliud requiritur Epitheton, quod πάθος exprimat. Id vero suppeditat codex Regius,

Circuit exustæ nomen *MISERABILE* Trojæ.

Ideo *Miserabile*, quia *Exustæ*. Noster vii. 120.

——— aut populis invisum hac clade peracta
Aut hodie Pompeius erit *miserabile nomen*.

980. *O sacer, et magnus vatum labor,*] Lege *Furor*, Instinctus divinus, afflatus.

994. *Pignus memorabile templo,*] Sic codices; sed paulo ante v. 964. habuimus *Nomen memorabile Trojæ*. Nonnulli tamen libri *Venerabile Trojæ:* quod non placet. Hic tamen libenter adscissimus *Venerabile pignus*, quod loco non suo posuerant Librarii.

Votaque thuricremos non irrita fudit in ignes.
Dii cinerum, Phrygias colitis quicunque ruinas,
Æneæque mei, quos nunc Lavinia sedes
Servat et Alba lares, et quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius, nullique aspecta virorum
Pallas, in abstruso pignus memorabile templo,
Gentis Juleæ vestris clarissimus aris
Dat pia thura nepos, et vos in sede priori
Rite vocat: date felices in cætera cursus:
Restituam populos. grata vice mœnia reddent
Ausonidæ Phrygibus, Romanaque Pergama surgent.
Sic fatus, repetit classes, et tota secundis
Vela dedit Coris, avidusque urgente procella
Iliacas pensare moras, Asiamque potentem
Prævehitur, pelagoque Rhodon spumante relinquit.
Septima nox, Zephyro nunquam laxante rudentes
Ostendit Phariis Ægyptia littora flammis.
Sed prius orta dies nocturnam lampada texit,
Quam tutas intraret aquas. ibi plena tumultu
Littora, et incerto turbatas murmure voces
Accipit: ac dubiis veritus se credere regnis
Abstinuit tellure ratis. sed dira satelles
Regis dona ferens, medium provectus in æquor,
Colla gerit Magni, Phario velamine tecta:
Ac prius infanda commendat crimina voce.
Terrarum domitor, Romanæ maxime gentis;
Et, quod adhuc nescis, genero secure peremto;
Rex tibi Pellæus terræ pelagique labores
Donat, et, Emathiis quod solum defuit armis,
Exhibet: absenti bellum civile peractum est.

1016. —— *Terræ pelagique labores*] Omnes fere codices *Belli pelagique*. Noster iii. 24.

Hæreat illa tuis *per bella*, *per æquora* signis.

Silius ii. 572.

—— post *belli* casus vastique pericula *ponti*.

Claudianus tamen in laude Serenæ v. 26. *Terræ pelagique labores*.

1033. —— *Jam languida morte Effigies habitum noti mutaverat oris.*] Nihil illo *Languida* languidius. An languor habitum oris mutaverit? Poteris *Lurida*. Ovid. Met. xiv. 747.

—— *luridaque* arsuro ponebat *membra* feretro.

Sed scripsit, opinor, Poëta.

Thessalicas Magnus quærens reparare ruinas,
Ense jacet nostro: tanto te pignore, Cæsar,
Emimus: hoc tecum percussum est sanguine fœdus.
Accipe regna Phari nullo quæsita cruore:
Accipe Niliaci jus gurgitis: accipe quicquid
Pro Magni cervice dares; dignumque clientem
Castris crede tuis, cui tantum fata licere
In generum voluere tuum. nec vile putaris
Hoc meritum, facili nobis quod cæde peractum est.
Hospes avitus erat: depulso sceptra parenti
Reddiderat. quid plura feram? tu nomina tanto
Invenies operi, vel famam consule mundi.
Si scelus est, plus te nobis debere fateris,
Quod scelus hoc non ipse facis. sic fatus, opertum
Detexit, tenuitque caput. jam languida morte
Effigies habitum noti mutaverat oris.
Non primo Cæsar damnavit munera visu,
Avertitque oculos: vultus, dum crederet, hæsit:
Utque fidem vidit sceleris, tutumque putavit
Jam bonus esse socer; lacrymas non sponte cadente
Effudit, gemitusque expressit pectore læto,
Non aliter manifesta putans abscondere mentis
Gaudia, quam lacrymis. meritumque immane tyranni
Destruit, et generi mavult lugere revulsum,
Quam debere caput. qui duro membra Senatus
Calcarat vultu, qui sicco lumine campos
Viderat Emathios, uni tibi, Magne, negare
Non audet gemitus. o sors durissima fati!
Hunccine tu, Cæsar, scelerato marte petisti,
Qui tibi flendus erat? non misti fœdera tangunt

——— Jam *TABIDA* morte
Effigies.
vi. 737.

—— Hecate, pallenti tabida forma.

1036. —— *Vultus, dum crederet, hæsit:*] Repone *Vultu.* Ovid. Met. x. 359.

—— patriisque in vultibus hærens.
Amor. i. 8.

Hæsit et in vultu constitit usque tuo.

1038. —— *Lacrymas non sponte cadentes*] De hoc fletu Cæsaris vide Dionis verba cum his Lucani valde consentientia. Nec dissimile quod post narratam Agricolæ mortem de Domitiano ait Tacitus: *Speciem tamen doloris animo vultuque præ se tulit, securus jam odii, et qui facilius*

Te generis? nec nata jubet mœrere, neposque?
Credis apud populos Pompeii nomen amantes
Hoc castris prodesse tuis? fortasse tyranni
Tangeris invidia, captique in viscera Magni
Hoc alii licuisse doles, quereris que perisse
Vindictam belli, raptumque e jure superbi
Victoris generum. quisquis te flere coëgit
Impetus, a vera longe pietate recessit.
Scilicet hoc animo terras, atque æquora lustras,
Necubi suppressus pereat gener. o bene rapta
Arbitrio mors ista tuo! quam magna remisit
Crimina Romano tristis Fortuna pudori,
Quod te non passa est misereri, perfide, Magni
Viventis! nec non his fallere vocibus audes,
Acquirisque fidem simulati fronte doloris.
Aufer ab aspectu nostro funesta, satelles,
Regis dona tui: pejus de Cæsare vestrum,
Quam de Pompeio meruit scelus, unica belli
Præmia civilis, victis donare salutem,
Perdidimus. quod si Phario germana tyranno
Non invisa foret, potuissem reddere regi,
Quod meruit; fratrique tuum pro munere tali
Misissem, Cleopatra, caput. secreta quid arma
Movit, et inseruit nostro sua tela labori?
Ergo in Thessalicis Pellæo fecimus arvis
Jus gladio? vestris quæsita licentia regnis?
Non tuleram Magnum mecum Romana regentem:
Te, Ptolemæe, feram? frustra civilibus armis
Miscuimus gentes, si qua est hoc orbe potestas
Altera, quam Cæsar: si tellus ulla duorum est.
Vertissem Latias a vestro littore proras:
Famæ cura vetat, ne non damnasse cruentam,
Sed videar timuisse Pharon. nec fallere vos me

dissimularet gaudium quam metum. Grotius.

1063. *Acquirisque fidem simulati fronte doloris.*] Persuades te serio dolere, cum id vultu tantum simules. Grotius.

1088. —— *Sciat hac pro cæde tyrannus Nil venia plus posse dari.*] Curt. l. viii. *Ille facto impunitatem dedit, honorem denegavit exemplo.* Grotius.

Credite victorem: nobis quoque tale paratum
Littoris hospitium: ne sic mea colla gerantur,
Thessaliæ fortuna facit. majore profecto,
Quam metui poterat, discrimine gessimus arma:
Exilium, generique minas, Romamque timebam:
Pœna fugæ Ptolemæus erat. sed parcimus annis,
Donamusque nefas. sciat hac pro cæde tyrannus
Nil venia plus posse dari. vos condite busto
Tanti colla ducis: sed non, ut crimina tantum
Vestra tegat tellus. justo date tura sepulcro,
Et placate caput, cineresque in littore fusos
Colligite, atque unam sparsis date manibus urnam.
Sentiat adventum soceri, vocesque querentis
Audiat umbra pias. dum nobis omnia præfert,
Dum vitam Phario mavult debere clienti,
Læta dies rapta est populis: concordia mundo
Nostra perit: caruere Deis mea vota secundis,
Ut te complexus positis felicibus armis
Affectus abs te veteres, vitamque rogarem,
Magne, tuam: dignaque satis mercede laborum
Contentus par esse tibi. tunc pace fideli
Fecissem, ut victus posses ignoscere divis,
Fecisses ut Roma mihi. nec talia fatus
Invenit fletus comitem, nec turba querenti
Credidit: abscondunt gemitus, et pectora læta
Fronte tegunt, hilaresque nefas spectare cruentum
(O bona libertas) cum Cæsar lugeat, audent.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER DECIMUS.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER DECIMUS.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIÆ

LIBER DECIMUS.

UT primum terras Pompeii colla sequutus,
Attigit, et diras calcavit Cæsar arenas:
Pugnavit fortuna ducis, fatumque nocentis
Ægypti, regnum Lagi Romana sub arma
Iret; an eriperet mundo Memphiticus ensis
Victoris, victique caput. tua profuit umbra,
Magne, tui socerum rapuere a sanguine manes,
Ne populus post te Nilum Romanus haberet.
Inde Paraetoniam fertur securus in urbem
Pignore tam sævi sceleris, sua signa sequutus.
Sed fremitu vulgi fasces, et jura querentis
Inferri Romana suis, discordia sensit
Pectora, et ancipites animos, Magnumque perisse
Non sibi. tum vultu semper celante timorem,

6. —— *TUA profuit umbra,*] Pompeii honori hoc dii dederunt, ne populi Romani esset Ægyptus post ipsius mortem. Populi autem Romani fuisset Ægyptus, nisi Cæsar populo Romano imperium omne cum libertate eripuisset. Grotius.

8. *Ne populus post te Nilum Romanus haberet.*] Male cessit interpretatio viro summo. Totus versus abest a codice Academico. Regius et Bersmanni unus, AMARET. Rectissime. Manes Pompeii eripuerunt a cæde Cæsarem; non ejus cura et causa, sed Ægyptiorum odio et ultione, ne ob Cæsaris occisi beneficium populus Romanus amaret Nilum, Pompeii cædem condonaret. Pothinus infra 387.

——— jugulus mihi Cæsaris haustus
Hoc præstare potest, Pompeii cæde nocentes
Ut populus Romanus *amet*.

10. —— *Sequutus.*] Scribe auctore MS. P. *secutam* et refer ad urbem. Alexandriam nimirum, quæ Cæsarianam se Pompeii cede probasse videri volebat. Grotius.

Intrepidus Superum sedes, et templa vetusti
Numinis, antiquas Macetum testantia vires,
Circuit: et nulla captus dulcedine rerum,
Non auro, cultuque deum, non mœnibus urbis,
Effossum tumulis cupide descendit in antrum.
Illic Pellæi proles vesana Philippi
Felix prædo jacet: terrarum vindice fato
Raptus: sacratis totum spargenda per orbem
Membra viri posuere adytis: Fortuna pepercit
Manibus, et regni duravit ad ultima fatum.
Nam sibi libertas unquam si redderet orbem,
Ludibrio servatus erat, non utile mundo
Editus exemplum, terras tot posse sub uno
Esse viro. Macetum fines, latebrasque suorum
Deseruit, victasque patri despexit Athenas:
Perque Asiæ populos fatis urgentibus actus
Humana cum strage ruit, gladiumque per omnes
Exegit gentes: ignotos miscuit amnes,
Persarum Euphraten, Indorum sanguine Gangen:
Terrarum fatale malum, fulmenque, quod omnes
Percuteret pariter populos, et sidus iniquum
Gentibus. Oceano classes inferre parabat
Exteriore mari. non illi flamma, nec undæ,

14. —— *Tum vultu semper celante timorem,*] Alii codices *Pavorem*, alii *Pavores*. Hoc placet. i. 321.

Danda tamen venia est, tantorum danda *pavorum*.

19. —— *Descendit in antrum.*] Σῶμα dictum, ut nos docent Strabo et Suetonius Augusto. Apud Dionem Severo perperam Σῆμα legitur. Grotius.

31. *Humana cum strage ruit,*] Scribe *Immani*, vel *Immensa*. Tacitus vi. 19. *Jacuit* immensa strages, *omnis sexus, omnis ætas.*

34. —— *Fulmenque, quod omnes Perculeret pariter populos,*] Plutarchus de hoc ipso Alexandro: ὥσπερ ἄστρου φερομένου καὶ διάττοντος ἐπὶ δυσμὰς ἐξ ἀνατολῶν. Et alibi: τίνι ἄν τις εἰκάσειεν, ἢ πυρὶ κεραυνίῳ ῥαγέντι; Appianus in Præfatione: ἐπὶ δὲ Ἀλεξάνδρου. μεγέθει τε, καὶ πλήθει, καὶ εὐτυχίᾳ, καὶ ταχυεργίᾳ διαλάμψασα ἡ ἀρχὴ, καὶ ὀλίγου δεῖν εἰς ἄπειρον καὶ ἀμίμητον ἐλθοῦσα, διὰ τὴν βραχύτητα τοῦ χρόνου προσέοικεν ἀστραπῇ λαμπρᾷ, ἧς γε καὶ διαλυθείσης εἰς πολλὰς σατραπείας, ἐπὶ πλεῖστον ἐξέλαμπε τὰ μέρη. idque præsignificatum Olympiadis somnio, quæ Plutarcho teste videre sibi visa ἐμπεσεῖν αὐτῆς τῇ γαστρὶ κεραυνόν. ἐκ δὲ τῆς πληγῆς πολὺ πῦρ ἀναφθὲν, εἶτα ῥηγνύμενον εἰς φλογὰς πάντη φερόμενον διαλυθῆναι: nec minus clare divino apud Danielem viso et oraculo viii. 5. et 21. ubi digna lectu quæ notat Hieronymus, Historiarum diligens lector. pares ferme notabilis processus et exitus in Attila et Temirlano. Grotius.

43. —— *Invidia, qua totum ceperat orbem,*] Alexander sicut se vivo alium quam

Nec sterilis Libye, nec Syrticus obstitit Ammon.
Isset in occasus, mundi devexa secutus,
Ambissetque polos, Nilumque a fonte bibisset:
Occurrit suprema dies, naturaque solum
Hunc potuit finem vesano ponere regi:
Qui secum invidia, qua totum ceperat orbem,
Abstulit imperium; nulloque hærede relicto,
Totius fati, lacerandas præbuit urbes.
Sed cecidit Babylone sua, Parthoque verendus.
Pro pudor! Eoi propius timuere sarissas,
Quam nunc pila timent populi. licet usque sub Arcton
Regnemus, Zephyrique domos, terrasque premamus
Flagrantis post terga Noti: cedemus in ortus
Arsacidum domino. non felix Parthia Crassis
Exiguæ secura fuit provincia Pellæ.
Jam Pelusiaco veniens a gurgite Nili
Rex puer, imbellis populi sedaverat iras,
Obside quo pacis Pellæa tutus in aula
Cæsar erat: cum se parva Cleopatra biremi,
Corrupto custode Phari laxare catenas,
Intulit Emathiis ignaro Cæsare tectis;
Dedecus Ægypti, Latio feralis Erinnys,
Romano non casta malo. quantum impulit Argos,

se orbi imperare passus non est; quo illud spectat, quod negaverat cœlum duos soles pati posse, ita moriens quoque uni non reliquit imperium, velut invidens alteri tantam magnitudinem. Grotius.

44. —— *Nulloque hærede relicto, Totius fati, lacerandas præbuit urbes.*] Curtius: *sine certo regis hærede, sine hærede regni, publicas vires ad se quemque tracturum.* Grotius. Adde Livium xlv. 9. *Maximum in terris Macedonum regnum nomenque, inde morte Alexandri distractum in multa regna, dum ad se quisque opes rapiunt lacerantes viribus:* ubi Gronovius *Laceratis.*

52. *Exiguæ secura fuit provincia Pellæ.*] Parthia, quæ de Crassis triumphavit, Macedonibus paruit, quorum oppidum Pella. Grotius.

56. —— *Cum se parva Cleopatra biremi, Corrupto custode Phari laxare catenas,*] Ex hoc loco Corippus Africanus iii. de gemmis loquens,

> Et quas Memphitica Cæsar perduxit ab aula,
> Quas supplex Cleopatra dedit, cum vincula fratris
> Frangeret et rupto pallens custode veniret.

An scripsit, *Cum vincula Phari Frangere corrupto?* Phari, prima longa. ut Memphitica secunda brevi.

58. *Intulit Emathiis ignaro Cæsare tectis;*] Alexandrinis. quia Alexandria à Macedone condita et dicta. Pari metalepsi mox Pellæi muri eandem urbem significant. Grotius.

60. *Romano non casta malo.*] Propertio dicitur

Iliacasque domos facie Spartana nocenti,
Hesperios auxit tantum Cleopatra furores.
Terruit illa suo, si fas, Capitolia sistro,
Et Romana petit imbelli signa Canopo,
Cæsare captivo Pharios ductura triumphos:
Leucadioque fuit dubius sub gurgite casus,
An mundum ne nostra quidem matrona teneret.
Hoc animi nox illa dedit, quæ prima cubili
Miscuit incestam ducibus Ptolemaida nostris.
Quis tibi vesani veniam non donet amoris,
Antoni? durum cum Cæsaris hauserit ignis
Pectus, et in media rabie, medioque furore,
Et Pompeianis habitata manibus aula,
Sanguine Thessalicæ cladis perfusus adulter
Admisit Venerem curis, et miscuit armis
Illicitosque toros, et non ex conjuge partus?
Pro pudor! oblitus Magni, tibi, Julia, fratres
Obscœna de matre dedit: partesque fugatas
Passus in extremis Libyes coalescere regnis,
Tempora Niliaco turpis dependit amori,
Dum donare Pharon, dum non sibi vincere mavult.

——— incesti meretrix regina Canopi.

In elegia, qua Mecænatis defletur obitus, est:

Hic modo miles erat, ne posset femina Romam
Dotalem stupri turpis habere sui. *Grotius.*

69. —— *Ptolemaida*] Lege Ptolemæida. Sidonius. Carm. v. Ptolemeide gasa.

71. —— *Durum cum Cæsaris hauserit ignis*
Pectus,] Recte alii codices *Ignes;* etiam qui *Ignis* habent, ex veteri more Accusativum pluralem indicant. Ovid. Met. x. 253.

————— miratur et haurit
Pectore Pygmalion simulati corporis ignes.

83. —— *Simulatum comta dolorem,*
Quem decuit,] Ita rectius. alii habent, *Quam.* Grotius. Quid vero est *Comta dolorem?* Codices fere universi *Quam:* unus ex nostris *Quod. Quem* ex Grotii conjectura est. Repone,

——————————— sine ullis
Tristis adit lacrimis; simulatum comta dolorem
QUA decuit; veluti laceros *DISPOSTA* capillos.

Nec sententiarum acumen, nec verborum constructionem deprehendit vir magnus. *Tristis vultu adit,* sed *sine ullis lacrimis;* ne formæ nocerent: *comta,* sed eatenus, *qua decuit simulatum dolorem,* ne procax impudensque videretur. *Disposta capillos,* sed *veluti laceros;* ut cura ipsa negligentiam simularet. Cæterum pro *Dispersa,* quod codices habent, reposui *Disposta. Dispersa* enim rem veram, non simulatam notaret; Claudianus Proserp. i. 55. *Incultas dispersa comas.* Sed Disposta artem et cultum indicat. Ovid. Amor. i. 14.

Quid male dispositos quereris periisse capillos?

Tibullus i. 9.

Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos,
Sæpeque mutatas *disposuisse* comas?

et 10.

Quem formæ confisa suæ Cleopatra sine ullis
Tristis adit lacrymis, simulatum comta dolorem,
Quem decuit, veluti laceros dispersa capillos,
Et sic orsa loqui: Si qua est, o maxime Cæsar,
Nobilitas, Pharii proles clarissima Lagi,
Exul in æternum sceptris depulsa paternis,
Si tua restituat veteri me dextera fato,
Complector regina pedes. tu gentibus æquum
Sidus ades nostris. non urbes prima tenebo
Femina Niliacas: nullo discrimine sexus
Reginam scit ferre Pharos. lege summa peremti
Verba patris, qui jura mihi communia regni,
Et thalami cum fratre dedit. puer ipse sororem,
Sit modo liber, amet: sed habet sub jure Pothini
Affectus, ensesque suos. nil ipsa paterni
Juris habere peto: culpa, tantoque pudore
Solve domum: remove funesta satellitis arma,
Et regem regnare jube. quantosnetumores
Mente gerit famulus, Magni cervice revulsa!
Jam tibi (sed procul hoc avertant fata) minatur.
Sat fuit indignum, Cæsar, mundoque tibique,

Tune putas illum pro te disponere crines,
Et tenues denso pectere dente comas?

Ovid Arte. iii. 153.

Et neglecta decet multas coma; sæpe jacere
Hesternam credas, illa repexa modo est.
Ars casum simulet.

88. *Si tua restituat veteri me dextera fato,*] Quid audio? In æternum exul, si restituatur fato veteri? Quam diu toleraverunt quam turpe mendum! facile erat reponere, NI *tua restituat:* et sic codex Bersmanni atque Academicus.

93. —— *Qui jura mihi communia regni, Et thalami cum fratre dedit.*] Codices nostri omnes, et plerique aliorum *Thalamos.* Rectissime, Nam *Thalami jura,* quæcumque sunt, non belle veniunt ex puellæ ore.

96. *Affectus, ensesque suos.*] Lego *Sensusque.* Plin. viii. 35. *Unus huic tam pestifero animali (aspidi) sensus seu potius affectus est.*

96. —— *Nil ipsa paterni Juris habere peto:*] INIRE habent tres Pulmanni, Bersmanni unus, et codex Collegii Trinitatis. Sed supersunt adhuc alia menda: *Ipsa nihil petit,* quæ jam nunc æquam imperii partem cum fratre petit? Repone,

—————— puer ipse sororem
Sit modo liber, amet: sed habet sub jure Pothini
Affectus *sensusque* suos; nihil *IPSE* paterni
Juris *INIRE PETIT.*

Postulat hoc quæ sequuntur, *Solve domum tanto pudore.* Quo pudore? quod ego exulo? immo, quod regni vim exercet, non rex, sed famulus: *Remove satellitis arma, et Regem regnare jube.* infra v. 352.

Et dederat ferrum, nullo sibi jure retento.

99. —— *Quantosne tumores Mente gerit famulus, Magni cer-*

Pompeium facinus meritumque fuisse Pothini.
Nequicquam duras tentasset Cæsaris aures:
Vultus adest precibus, faciesque incesta perorat.
Exigit infandam corrupto judice noctem.
Pax ubi parta duci, donisque ingentibus emta est;
Excepere epulæ tantarum gaudia rerum:
Explicuitque suos magno Cleopatra tumultu
Nondum translatos Romana in secula luxus.
Ipse locus templi, quod vix corruptior ætas
Extruat, instar erat: laqueataque tecta ferebant
Divitias, crassumque trabes absconderat aurum.
Nec summis crustata domus, sectisque nitebat
Marmoribus: stabatque sibi non segnis Achates,
Purpureusque lapis, totaque effusus in aula
Calcabatur Onyx: Hebenus Mareotica vastos
Non operit postes, sed stat pro robore vili
Auxilium, non forma domus. ebur atria vestit,
Et suffixa manu foribus testudinis Indæ
Terga sedent, crebro maculas distincta Smaragdo.
Fulget gemma toris, et Iaspide fulva supellex:
Strata micant: Tyrio quorum pars maxima succo
Cocta diu, virus non uno duxit aheno;

vice revulsa!] Vitiosa distinctio est. Tu sic interpunge,

——— quantosne tumores
Mente gerit famulus? Magni cervice revulsa,
Jam tibi —— minatur.

106. *Exigit infandam corrupto judice noctem.*] Quid hoc monstri est? Exigit, consumit noctem, stupro scilicet: at nondum cæna adornabatur, quod mox fit magno apparatu; et longis sermonibus producitur, versibus sequentibus usque ad 431. Quale vero illud. *Judice noctem?* Mœcho potius et adultero opus, quam judice. Quid autem, an prior Cleopatra et non rogata noctem Cæsaris petebat? Quanti emetur tam corrupti loci, satis certa emendatio? At hoc agamus. Venerat Cleopatra, partem regni dimidiam postulans, ex testamento patris: hac dote eam uxorem ducere Ptolemæus jubebatur a patre; sed famulorum suasu eam expulerat atque armis insectabatur. Illa totam rem Cæsari judicandam detulit. Jam Repone,

Exigit infandam corrupto judice *DOTEM.*

Exigit dotem, hoc est, poscit a Cæsare atque obtinet. *Infandam autem dotem*, quia Romanorum moribus incestæ erant nuptiæ, fratris cum germana sorore. *Corrupto judice*, quia (ut supra) frustra Cæsarem appellasset, nisi *Vultus et facies*, plusquam causa, judicem commovisset. *Exigere dotem*, passim apud Jurisconsultos habes. ut chartæ parcam, Brissonium consule, voce *Exigere.* Ovid. Fast. vi. 594.

Et caput et regnum facio dotale parentis;
Si vir es, i, dictas *exige dotis opes.*

107. *Pax ubi parta duci, donisque in-*

Pars auro plumata nitet; pars ignea cocco,
Ut mos est Phariis miscendi licia telis.
Tum famulæ numerus turbæ, populusque minister,
(Discolor hos sanguis, alios distinxerat ætas:)
Hæc Libycos, pars tam flavos gerit altera crines,
Ut nullas Cæsar Rheni se dicat in arvis
Tam rutilas vidisse comas. pars sanguinis usti
Torta caput, refugosque gerens a fronte capillos.
Nec non infelix ferro mollita juventus,
Atque execta virum. stat contra fortior ætas,
Vix ulla fuscante tamen lanugine malas.
  Discubuere toris reges, majorque potestas
Cæsar: et immodice formam fucata nocentem,
Nec sceptris contenta suis, nec fratre marito,
Plena maris rubri spoliis, colloque, comisque
Divitias Cleopatra gerit, cultuque laborat.
Candida Sidonio perlucent pectora filo,
Quod Nilotis acus compressum pectine Serum
Solvit, et extenso laxavit stamina velo.
Dentibus hic niveis, sectos Atlantide silva
Imposuere orbes; quales ad Cæsaris ora
Nec capto venere Juba. pro cæcus, et amens

gentibus emta est;] Rursus in monstrum incidimus. Quid enim *Duci* est? An Cæsar ingentibus donis emit et peperit sibi pacem? At si interpretem audis, *Duci* hic erit *Ptolemæo*. Quam facile, si sic agitur, curva omnia corriguntur! at tu repone,

Pax ubi parta *ducis*, donisque ingentibus emta est.

Pax ducis est *Gratia et favor Cæsaris*. Plautus Amphit.

Ut Jovis *supremi* multis hostiis *pacem* expetam.

112. —— *Laqueataque tecta ferebant Divitias,*] An *Gerebant?* ut v. 140. *Divitias Cleopatra gerit.*

117. —— *Hebenus Mareotica*] Atqui non à Mareotide, sed à Meroë ebenus, infra

—— nigris Meroë fœcunda colonis
Læta comis ebeni.

Idem testatur Plinius lib. xii. itaque *Meroëtica*, aut potius *Meroitica*, (est enim à Meroë μεροίτης, ab hoc μεροιτικος) legendum hic censet decus seculi Salmasius, quanquam, ut is ipse recte observat, jam Servii ætate hæc menda Lucani codices obsedit. Grotius.

121. —— *Crebro maculas distincta Smarogdo.*] Repone ex aliis codicibus *Crebra*.

136. *Discubuere toris reges, majorque potestas
Cæsar: et immodice formam fucata nocentem,*] *Reges* sunt *Ptolemæus et Cleopatra:* Lege igitur, AT *immodice;* ne Cleopatra non una e Regibus sit, sed quarta ex discumbentibus.

144. *Dentibus hic niveis,*] Lege *Indis*. Catullus nuptiis Pelei, Pulvinar

Ambitione furor, civilia bella gerenti
Divitias aperire suas, incendere mentem
Hospitis armati. non sit licet ille nefando
Marte paratus opes mundi quæsisse ruina:
Pone duces priscos, et nomina pauperis ævi
Fabricios, Curiosque graves: hic ille recumbat
Sordidus Hetruscis abductus Consul aratris,
Optabit patriæ talem duxisse triumphum.
   Infudere epulas auro, quod terra, quod aër,
Quod pelagus, Nilusque dedit, quod luxus inani
Ambitione furens toto quæsivit in orbe,
Non mandante fame. multas volucresque ferasque
Ægypti posuere Deos: manibusque ministrat
Niliacas crystallus aquas: gemmæque capaces
Excepere merum, sed non Mareotidos uvæ,
Nobile sed paucis senium cui contulit annis
Indomitum Meroë cogens spumare Falernum.
Accipiunt sertas nardo florente coronas,
Et nunquam fugiente rosa: multumque madenti
Infudere comæ, quod nondum evanuit aura
Cinnamon, externa nec perdidit aëra terra:
Advectumque recens vicinæ messis Amomum.
Discit opes Cæsar spoliati perdere mundi,
Et gessisse pudet genero cum paupere bellum,
Et causas martis Phariis cum gentibus optat.
Postquam epulis, Bacchoque modum lassata voluptas
Imposuit, longis Cæsar producere noctem
Inchoat alloquiis: summaque in sede jacentem
Linigerum placidis compellat Achorea dictis:
O sacris devote senex, quodque arguit ætas
Non neglecte Deis, Phariæ primordia gentis,
Terrarumque situs, vulgique edissere mores,

Indo quod dente politum.

Martialis, *Indicoque cornu*.

163. *Indomitum Meroë cogens spumare Falernum.*] Hoc dicit, tantum ibi calorem esse ut minimo tempore nobilissima vina decoquantur. Grotius.

187. *Nec meus Eudoxi vincetur Fastibus annus.*] Accusat hic Lucanum Servius mutatæ declinationis. At defendit eum Priscianus Varronis hoc adferens, *qui fastus correxit*. Quin idem me Priscianus ostendit suo tempore et in Horatio lectum:

Et ritus, formasque Deum: quodcunque vetustis
Insculptum est adytis profer, noscique volentes
Prode Deos. si Cecropium sua sacra Platonem
Majores docuere tui: quis dignior unquam
Hoc fuit auditu, mundique capacior hospes?
Fama quidem generi Pharias me duxit ad urbes,
Sed tamen et vestri: media inter prælia semper
Stellarum, cœlique plagis, Superisque vacavi,
Nec meus Eudoxi vincetur Fastibus annus.
Sed cum tanta meo vivat sub pectore virtus,
Tantus amor veri, nihil est quod noscere malim
Quam fluvii causas per secula tanta latentes,
Ignotumque caput: spes sit mihi certa videndi
Niliacos fontes; bellum civile relinquam.
Finierat, contraque sacer sic orsus Achoreus:
  Fas mihi magnorum, Cæsar, secreta parentum
Prodere, ad hoc ævi populis ignota profanis.
Sit pietas aliis, miracula tanta silere:
Ast ego cœlicolis gratum reor, ire per omnes
Hoc opus, et sacras populis notescere leges.
Sideribus, quæ sola fugam moderantur Olympi,
Occurruntque polo, diversa potentia prima
Mundi lege data est. Sol tempora dividit anni,
Mutat nocte diem, radiisque potentibus astra
Ire vetat, cursusque vagos statione moratur.
Luna suis vicibus Tethyn, terrenaque miscet.
Frigida Saturno glacies, et zona nivalis
Cessit. habet ventos, incertaque fulmina Mavors.
Sub Jove temperies, et nunquam turbidus aër.
At fecunda Venus cunctarum semina rerum
Possidet. immensæ Cyllenius arbiter undæ est.
Hunc ubi pars cœli tenuit, qua mista Leonis

Per memores genus omne fastus.

Sic et Columella: *antiquorumque fastus astrologorum*. Et in Claudiano habent MSS.

Inter Arinthæi fastus.

Hæc, ut multa alia reconditæ eruditionis, notavit de Analogia secundo, vir nescio summa bonitate ac fide, an exquisita rerum verborumque cognitione commendabilior Gerardus Joannis Vossius. Grotius.

206. —— *Habet ventos, incertaque fulmina Mavors.*] Lege *Flamina.*

Sidera sunt Cancro, rapidos qua Sirius ignes
Exerit, et varii mutator circulus anni
Ægoceron, Cancrumque tenet, cui subdita Nili
Ora latent: quæ cum dominus percussit aquarum
Igne superjecto, tunc Nilus fonte soluto
Exit, ut Oceanus lunaribus incrementis
Jussus adest: auctusque suos non ante coarctat,
Quam nox æstivas a Sole receperit horas.
Vana fides veterum, Nilo, quo crescat in arva,
Æthiopum prodesse nives. non Arctos in illis
Montibus, aut Boreas. testis tibi sole perusti
Ipse color populi, calidique vaporibus Austri.
Adde, quod omne caput fluvii, quodcunque soluta
Præcipitat glacies, ingresso vere tumescit
Prima tabe nivis: Nilus neque suscitat undas
Ante Canis radios, nec ripis alligat amnem
Ante parem nocti Libra sub judice Phœbum.
Inde etiam leges aliarum nescit aquarum:
Nec tumet hybernus, cum longe sole remoto
Officiis caret unda suis: dare jussus iniquo
Temperiem cœlo, mediis æstatibus exit.
Sub torrente plaga, ne terras dissipet ignis,
Nilus adest mundo, contraque incensa Leonis
Ora tumet: Cancroque suam torrente Syenen,
Imploratus adest: nec campos liberat undis,

213. *Ægoceron, Cancrumque tenet,*] Lege, *Ægoceron Cancrumque* ferit. Colurum intelligit, qui quattuor anni tempora signat.

214. —— *Quæ cum dominus percussit aquarum*] Mercurius, qui modo dictus

Immensæ Cyllenius arbiter undæ.

Avienus: *Cessit Mercurio locus imbrifer.* Grotius. *Cui*, id est, cui *Coluro*, non cui Cancro.

216. —— *Ut Oceanus lunaribus incrementis*
Jussus adest:] Sidonius Carm. xvii.

—— at cum summotus *lunaribus incrementis*
Ipse Garumna, &c.

219. —— *Nilo, quo crescat in arva,*
Æthiopum prodesse nives.] Hæc media lectio inter vulgatam, habentem *quod*, et manuscriptam, habentem, *quæ*. Veteres autem quos hic dicit sunt Anaxagoras et Anaxagoræ discipulus Euripides Archelao tragœdia. Hac sententia nihil verius, si modo pro nivibus ponas imbres Æthiopiæ. Cætera ingeniorum non inelegantium festiva commenta, de quibus videri possunt Herodotus, Strabo, Diodorus Siculus, Plutarchus, Liber incerti scriptoris de Nilo. Grotius.

230. *Officiis caret unda suis:*] Officium Nili est arva irrigare. hoc autem

Donec in autumnum declinet Phœbus, et umbras
Extendat Meroë. quis causas reddere posset?
Sic jussit Natura parens decurrere Nilum:
Sic opus est mundo. Zephyros quoque vana vetustas
His adscripsit aquis, quorum stata tempora flatus,
Continuique dies, et in aëre longa potestas:
Vel quod ab occiduo depellunt nubila cœlo
Trans Noton, et fluvio cogunt incumbere nimbos:
Vel quod aquas toties rumpentis littora Nili
Assidue feriunt, coguntque resistere flatus.
Ille mora cursus, adversique obice ponti
Æstuat in campos. sunt qui spiramina terris
Esse putent, magnosque cavæ compagis hiatus.
Commeat hac penitus tacitis discursibus unda
Frigore ab Arctoo medium revocata sub axem,
Cum Phœbus pressit Meroën, tellusque perusta
Illuc duxit aquas, trahitur Gangesque, Padusque,
Per tacitum mundi: tunc omnia flumina Nilus
Uno fonte vomens non uno gurgite perfert.
  Rumor, ab Oceano, qui terras alligat omnes,
Exundante procul violentum erumpere Nilum,
Æquoreosque sales longo mitescere tractu.
  Nec non Oceano pasci Phœbumque polumque
Credimus: hunc, calidi tetigit cum brachia Cancri,
Sol rapit, atque undæ plus, quam quod digerat aër

præstare non potest, nisi à Sole excitetur. ideo hyeme se ripis tenet. Grotius.

239. —— *Zephyros*] Etesias. Grotius.

242. *Vel quod ab occiduo depellunt nubila cœlo*] Democriti placitum. Grotius.

244. *Vel quod aquas toties rumpentis littora Nili*
Assidue feriunt.] Thaletis. Grotius.

245. —— *Coguntque resistere flatus.*] *Flatu* MS. P. Grotius.

249. *Commeat hac penitus tacitis discursibus unda*
Frigore ab Arctoo] Ita ferme tradebant Memphitici sacerdotes, quos secutus Diogenes Apolloniates. Grotius. Atqui versu abhinc quarto redit iterum, *Per tacitum mundi*, Repone,

Commeat hac penitus *TECTIS* discursibus unda.

Sic alibi de re eadem iv. 299.

Non tamen aut *tectis* sonuerunt cursibus amnes.

259. —— *Hunc, calidi tetigit cum brachia Cancri,*
Sol rapit,] Herodoti sententia. Grotius.

260. —— *Atque undæ plus, quam quod digerat aër*
Tollitur.] Citat Servius ad Æneid. i. 612. *Polus dum sidera pascet:* Sed apud hunc male legitur. *Disgregat aër.*

Tollitur. hoc noctes referunt, Niloque refundunt.
Ast ego, si tantam jus est mihi solvere litem,
Quasdam, Cæsar, aquas post mundi sera peracti
Secula, concussis terrarum erumpere venis,
Non id agente Deo; quasdam compage sub ipsa
Cum toto cœpisse reor, quas ille creator,
Atque opifex rerum certo sub jure coërcet.
Quæ tibi noscendi Nilum, Romane, cupido est,
Et Phariis, Persisque fuit, Macetumque tyrannis:
Nullaque non ætas voluit conferre futuris
Notitiam: sed vincit adhuc natura latendi.
Summus Alexander regum quos Memphis adorat,
Invidit Nilo, misitque per ultima terræ
Æthiopum, lectos: illos rubicunda perusti
Zona poli tenuit; Nilum videre calentem.
Venit ad occasum, mundique extrema Sesostris,
Et Pharios currus regum cervicibus egit:
Ante tamen vestros amnes Rhodanumque, Padumque,
Quam Nilum de fonte bibit. vesanus in ortus
Cambyses longi populos pervenit ad ævi,
Defectusque epulis, et pastus cæde suorum,
Ignoto te, Nile, redit. non fabula mendax
Ausa loqui de fonte tuo est, ubicunque videris,
Quæreris: et nulli contingit gloria genti,
Ut Nilo sit læta suo. tua flumina prodam,

Quamvis Physici pasci *aquis marinis sidera, id est, ignes cœlestes dicunt; secundum quod Lucanus ait. Atque undæ plus, quam quod* disgregat *aër.* Ubi ipsum *Pasci* satis ostendit, legisse Servium *Digerat.*

272. *Summus Alexander regum quos Memphis adorat,*] Codices fere omnes, *Quem*; et pro *Regum* codex Regius *Rerum.* Repone,

Summus Alexander *RERUM, QUEM* Memphis adorat.

Summus Rerum, ut *Dulcissime rerum, Pulcherrime rerum.* Ovid. Met. xiii. 509. Hecuba,

——— modo *maxima rerum*
Tot generis natisque potens nuribusque viroque.

Heroid. ix. de Hercule,

——— quanto te, *maxime rerum.*

276. *Venit ad occasum, mundique extrema Sesostris,*] Codices plerique omnes melius *Occasus.*

287. —— *Medio consurgis ab axe,*] Recte duo Bersmanni codices,

——— medio *CUM SURGIS* ab axe.

Cum surgis a medio axe, *is* rectus in Borean. Hiat oratio, et Conjunctione indiget, si vulgatam retines.

290. *Cursus in occasum flexu torquetur, et ortus,*] Scribe aut *Occasus* cum MS.

Qua Deus undarum celator, Nile, tuarum
Te mihi nosse dedit. medio consurgis ab axe,
Ausus in ardentem ripas attollere Cancrum:
In Borean is rectus aquis, mediumque Booten:
Cursus in occasum flexu torquetur, et ortus,
Nunc Arabum populis, Libycis nunc æquus arenis:
Teque vident primi, quærunt tamen hi quoque, Seres,
Æthiopumque feris alieno gurgite campos:
Et te terrarum nescit cui debeat orbis.
Arcanum Natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis parvum te, Nile, videre,
Amovitque sinus, et gentes maluit ortus
Mirari, quam nosse tuos. consurgere in ipsis
Jus tibi solstitiis, aliena crescere bruma,
Atque hyemes adferre tuas: solique vagari
Concessum per utrosque polos. hic quæritur ortus,
Illic finis aquæ. late tibi gurgite rupto
Ambitur nigris Meroë fecunda colonis,
Læta comis hebeni: quæ, quamvis arbore multa
Frondeat, æstatem nulla sibi mitigat umbra:
Linea tam rectum mundi ferit illa Leonem.
Inde plagas Phœbi, damnum non passus aquarum,
Præveheris, sterilesque diu metiris arenas,
Nunc omnes unum vires collectus in amnem,
Nunc vagus, et spargens facilem tibi cedere ripam.

R. A. et T. aut *Ortum* cum MS. P. Grotius. Totum versum sic restitue,

> *RURSUS* in *OCCASUS* flexu *TORQUERIS* et ortus,
> Nunc Arabum populis, Libycis nunc æquus arenis.

Primo *rectus is in Borean*; Rursus sive Contra, nunc in ortus nunc in occasus flecteris, nunc Arabiam amplians, nunc Libyam; ut iii. 276. de Tanai,

> Nunc hunc, nunc illum, qua flectitur, ampliat orbem.

296. *Nec licuit populis parvum te, Nile, videre,*

Amovitque sinus,] Nempe *Natura amovit:* at iste versus *Nec licuit,* &c. plane intercipit et intercidit sententiam. Sed egregiam hic opem præstat codex Regius, luxatos fuisse versus clare indicans; hoc enim ordine ponit, *Æthiopumque feris, Nec licuit populis, Et te terrarum, Arcanum natura.* Nos leviore brachio rem conficimus, duobus tantum proximis transmutatis,

> Nec licuit populis parvum te, Nile, videre,
> Arcanum Natura caput non prodidit ulli,
> Amovitque sinus.

306. *Linea tam rectum mundi ferit illa Leonem.*] Præferam quod Salmasio placuit, *fert illa.* Grotius.

307. *Inde plagas Phœbi,*] *Plagam* repone. Virgil. Æneid. vii. 226.

Rursus multifidas revocat piger alveus undas,
Qua dirimunt Arabum populis Ægyptia rura
Regni claustra Philæ. mox te deserta secantem,
Qua dirimunt nostrum rubro commercia Pontum,
Mollis lapsus agit. quis te tam lene fluentem
Moturum tantas violenti gurgitis iras,
Nile, putet? sed cum lapsus abrupta viarum
Excepere tuos, et præcipites cataractæ,
Ac nusquam vetitis ullas obsistere cautes
Indignaris aquis: spuma tunc astra lacessis:
Cuncta fremunt undis: ac multo murmure montis
Spumeus invictis canescit fluctibus amnis.
Hinc, Abaton quam nostra vocat veneranda vetustas,
Terra potens, primos sentit percussa tumultus,
Et scopuli, placuit fluvii quos dicere venas,
Quod manifesta novi primum dant signa tumoris.
Hinc montes Natura vagis circumdedit undis,
Qui Libyæ te, Nile, negant: quos inter ut alta
In convalle jacens stat maribus unda receptis.
Prima tibi campos permittit, apertaque Memphis
Rura, modumque vetat crescendi ponere ripas.
Sic velut in tuta securi pace trahebant
Noctis iter mediæ: sed non vesana Pothini
Mens imbuta semel tam sacra cæde, vacabat
A scelerum motu. Magno nihil ille peremto
Jam putat esse nefas: habitant sub pectore manes,
Ultricesque Deæ dant in nova monstra furorem.

——— et si quem extenta plagarum
Quattuor in medio dirimit *plaga solis iniqui*.

313. *Regni claustra Philæ.*] Sumtum ex Senecæ libro de situ, et sacris Ægyptiorum, unde haud dubie et alia multa huc transtulit Lucanus. Locum Senecæ de Philis apud Servium ad vi. Æneid. Vide eundem Senecam Naturalium quæstionum lib. iv. cap. 2. ubi itidem Philarum mentio, multaque alia ad illustranda quæ de Nilo Lucanus dixit pertinentia. Grotius. Philæ φίλαι insula. Diodorus p. 19.

324. *Terra potens,*] Non displicet quod idem reponit Salmasius, *Petra patens*. *Petra dividitur*, ait Seneca. Grotius. Diodorus, p. 19. Insulam hanc vocari ἱερὸν πεδίον, et ἄβατον πλὴν ἱερεῦσι: ibi Osirim sepultum. Ergo an pro *Nostra* legendum SACRA?

Hinc Abatos, quam *SACRA* vocat veneranda vetustas.

Vide et Diodorum p. 146.

327. *Hinc montes*] Immo, ut idem vir in his rebus exercitatissimus, *Hos montes*. Pergit enim de scopulis illis loqui. Grotius.

328. —— *Quos inter ut alta*

Dignatur viles isto quoque sanguine dextras,
Quo Fortuna parat victos perfundere Patres;
Pœnaque civilis belli, et vindicta Senatus
Pene data est famulo. procul hoc avertite Fata
Crimen, ut hæc Bruto cervix absente secetur.
In scelus it Pharium Romani pœna tyranni,
Exemplumque perit. struit audax irrita fatis,
Nec parat occultæ cædem committere fraudi:
Invictumque ducem detecto marte lacessit.
Tantum animi delicta dabant, ut colla ferire
Cæsaris, et socerum jungi tibi, Magne, juberet:
Atque hæc dicta monet famulos perferre fideles
Ad Pompeianæ socium sibi cædis Achillam,
Quem puer imbellis cunctis præfecerat armis,
Et dederat ferrum, nullo sibi jure retento,
In cunctos, in seque simul. tu mollibus, inquit,
Nunc incumbe toris, et pingues exige somnos:
Invasit Cleopatra domum. nec prodita tantum est,
Sed donata Pharos. cessas accurrere solus
Ad dominæ thalamos? nubet soror impia fratri:
Nam Latio jam nupta duci est: interque maritos
Discurrens Ægypton habet, Romamque meretur.
Expugnare senem potuit Cleopatra venenis.
Crede, miser, puero: quem nox si junxerit una,
Et semel amplexus incesto pectore passus
Hauserit obscœnum titulo pietatis amorem,
Meque, tuumque caput, per singula forsitan illi

In convalle jacens stat maribus unda receptis.] MSS. rectius

——————— quos inter in alta
It convalle tacens jam moribus unda receptis.

Non jam cum tumultu ruit, sed silentii et modestiæ retinens labitur. Eadem tralatio apud Plinium xxxvi. *quid ferri duritia pugnacius? sed cedit et patitur mores.* Papinius:

Ut leo materno cum raptus ab ubere mores
Accepit.

Grotius.

339. —— *Victos perfundere Patres;*] Burmannus ad Val. Flac. p. 25. *Heinsius malebat Victas partes.* male, nam Senatum intelligit. forte *Sanctos.*

357. —— *Nubet soror impia fratri:*] Ita feci ex MSS. in quibus *nubit.* Vulgati pejus *nupsit.* Non est dubium quin Cleopatra nuptura sit Ptolemæo. Efficiet hoc Cæsar cui illa jam vice uxoris est. Grotius.

361. *Crede, miser, puero:*] MS. *puerum.* Crede jam Cleopatræ Ptolemæum,

Oscula donabit. crucibus, flammisque luemus
Si fuerit formosa soror. nil undique restat
Auxilii: rex hinc conjunx, hinc Cæsar adulter:
Et sumus, ut fatear, tam sæva judice sontes.
Quem non e nobis credet Cleopatra nocentem
A quo casta fuit? per te, quod fecimus una,
Perdidimusque nefas, perque ictum sanguine Magni
Fœdus, ades: subito bellum molire tumultu:
Irrue: nocturnas rumpamus funere tedas,
Crudelemque toris dominam mactemus in ipsis
Cum quocunque viro. nec nos deterreat ausis
Hesperii Fortuna ducis. quæ sustulit illum,
Imposuitque orbi, communis gloria nobis:
Nos quoque sublimes Magnus facit. aspice littus,
Spem nostri sceleris: pollutos consule fluctus
Quid liceat nobis: tumulumque e pulvere parvo
Aspice Pompeii non omnia membra tegentem.
Quem metuis, par hujus erat. non sanguine clari:
Quid refert? nec opes populorum, ac regna movemus.
Ad scelus ingentis fati sumus. adtrahit illos
In nostras Fortuna manus. en altera venit
Victima nobilior. placemus cæde secunda
Hesperias gentes. jugulus mihi Cæsaris haustus
Hoc præstare potest, Pompeii cæde nocentes
Ut populus Romanus amet. quid nomina tanta
Horremus, viresque ducis, quibus ille relictis
Miles erit? nox hæc peraget civilia bella,
Inferiasque dabit populis, et mittet ad umbras,
Quod debetur adhuc mundo, caput. ite feroces
Cæsaris in jugulum: præstet Lagea juventus
Hoc regi, Romana sibi. tu parce morari:
Plenum epulis, madidumque mero, Venerique paratum
Invenies: aude: Superi tot vota Catonum,

illi, inquam, quæ senem Cæsarem potuit in amorem sui pellicere. Grotius.

384. *Ad scelus ingentis fati sumus.*] Ita MS. Magnum est fatum nostrum et potens ad scelera. Grotius.

389. —— *Quid nomina tanta Horremus,*] Repone *Nomina* VANA. i. 313.

——— et nomina *vana* Catones.

Ovid. Heroid. iv.

Brutorumque tibi tribuent. non lentus Achillas
Suadenti parere nefas. haud clara movendis,
Ut mos, signa dedit castris, nec prodidit arma
Ullius clangore tubæ : temere omnia sævi
Instrumenta rapit belli. pars maxima turbæ
Plebis erat Latiæ: sed tanta oblivio mentes,
Cepit, in externos corrupto milite mores,
Ut duce sub famulo, jussuque satellitis irent,
Quos erat indignum Phario parere tyranno.
Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur,
Venalesque manus: ibi fas, ubi maxima merces:
Ære merent parvo: jugulumque in Cæsaris ire
Non sibi dant. pro fas! ubi non civilia bella
Invenit imperii fatum miserabile nostri?
Thessaliæ subducta acies in littore Nili
More furit patrio. quid plus te, Magne, recepto
Ausa foret Lagea domus? dat scilicet omnis
Dextera, quod debet Superis: nullique vacare
Fas est Romano. Latium sic scindere corpus
Diis placitum: non in generi, socerique favorem
Discedunt populi. civilia bella satelles
Movit, et in partem Romanam venit Achillas.
Et nisi fata manus a sanguine Cæsaris arcent,
Hæ vincent partes. aderat maturus uterque:
Et districta epulis ad cunctas aula patebat
Insidias: poteratque cruor per regia fundi
Pocula Cæsareus, mensæque incumbere cervix.
Sed metuunt belli trepidos in nocte tumultus,
Ne cædes confusa manu, permissaque fatis
Te, Ptolemæe, trahat. tanta est fiducia ferri.
Non rapuere nefas: summi contemta facultas
Est operis: visum famulis reparabile damnum,
Illam mactandi dimittere Cæsaris horam.

Terruerint animos *nomina vana* suos.

397. —— *Superi tot vota Catonum, Brutorumque tibi tribuent.*] Repone ex aliis codicibus, *Superos.* Vota Catonum et Brutorum tribuent tibi superos. Ovid.

———— vota suos habuere deos.

Noster iii. 125.

Servatur pœnas in aperta luce daturus.
Donata est nox una duci, vixitque Pothini
Munere Phœbeos Cæsar dilatus in ortus.
   Lucifer a Casia prospexit rupe, diemque
Misit in Ægyptum primo quoque sole calentem:
Cum procul a muris acies non sparsa maniplis,
Nec vaga conspicitur, sed justos qualis ad hostes
Recta fronte venit. passuri comminus arma,
Laturique ruunt. at Cæsar mœnibus urbis
Diffisus, foribus clausæ se protegit aulæ,
Degeneres passus latebras. nec tota vacabat
Regia compresso: minima collegeret arma
Parte domus: tangunt animos iræque, metusque:
Et timet incursus, indignaturque timere.
Sic fremit in parvis fera nobilis abdita claustris,
Et frangit rabidos præmorso carcere dentes.
Non secus in Siculis fureret tua flamma cavernis,
Obstrueret summam si quis tibi, Mulciber, Ætnam.
Audax Thessalici qui nuper rupe sub Æmi,
Hesperiæ cunctos proceres, aciemque Senatus,
Pompeiumque ducem, causa sperare vetante,
Non timuit, fatumque sibi promisit iniquum,
Expavit servile nefas, intraque penates
Obruitur telis; quem non violasset Alanus,
Non Scytha, non fixo qui ludit in hospite Maurus.
Hic, cui Romani spatium non sufficit orbis,
Parvaque regna putat Tyriis cum Gadibus Indos,
Ceu puer imbellis, ceu captis femina muris
Quærit tuta domus: spem vitæ in limine clauso
Ponit, et incerto lustrat vagus atria cursu:
Non sine rege tamen; quem ducit in omnia secum,
Sumturus pœnas et grata piacula morti;
Missurusque tuum, si non sint tela, nec ignes,
In famulos, Ptolemææ, caput. sic barbara Colchis
Creditur ultorem metuens regnique, fugæque,

——— certe violata potestas
Invenit ista deos.

472. —— *Orator regis, pacisque sequester,*
Æstimat in numero scelerum ponenda tuorum,
Tot monstris Ægypte nocens.] Aut aliquid deest, aut sequenda nostra con-

Ense suo, fratrisque simul cervice parata
Expectasse patrem. cogunt tamen ultima rerum
Spem pacis tentare ducem: missusque satelles
Regius, ut sævos absentis voce tyranni
Corriperet famulos, quo bellum auctore moverent.
Sed neque jus mundi valuit, neque fœdera sancta
Gentibus: orator regis, pacisque sequester,
Æstimat in numero scelerum ponenda tuorum,
Tot monstris Ægypte nocens. non Thessala tellus,
Vastaque regna Jubæ, non Pontus, et impia signa
Pharnacis et gelido circumfluus orbis Ibero
Tantum ausus scelerum, non Syrtis barbara, quantum
Delitiæ fecere tuæ. premit undique bellum,
Inque domum jam tela cadunt, quassantque penates.
Non aries uno moturus limina pulsu,
Fracturusque domum; non ulla est machina belli:
Nec flammis mandatur opus: sed cæca juventus
Consilii, vastos ambit divisa penates,
Et nusquam totis incursat viribus agmen.
Fata vetant, murique vicem fortuna tuetur.
Necnon et ratibus tentatur regia, qua se
Protulit in medios audaci margine fluctus
Luxuriosa domus. sed adest defensor ubique
Cæsar, et hos aditus gladiis, hos ignibus arcet:
Obsessusque gerit (tanta est constantia mentis)
Expugnantis opus. piceo jubet unguine tinctas
Lampadas immitti junctis in bella carinis.
Nec piger ignis erat per stuppea vincula, perque
Manantes cera tabulas: et tempore eodem
Transtraque nautarum summique arsere ceruchi.
Jam prope semustæ merguntur in æquore classes,
Jamque hostes, et tela natant. nec puppibus ignis
Incubuit solis: sed quæ vicina fuere
Tecta mari longis rapuere vaporibus ignem:
Et cladem favere Noti, percussaque flamma

jectura, *Res minima*, aut *Res ima*. Et sic quoque aliquid subaudiendum est, ut sensus sit, Legatus, occisus apud alias gentes maximum est scelus: sed inter Ægypti scelera minimum. Exstat historia in libro de bello Alexandrino, ubi et

Turbine, non alio motu per tecta cucurrit,
Quam solet ætherio lampas decurrere sulco,
Materiaque carens, atque ardens aëre solo.
Illa luces clausa paulum revocavit ab aula
Urbis in auxilium populos. nec tempora cladis
Perdidit in somnos, sed cæca nocte carinis
Insiluit Cæsar, semper feliciter usus
Præcipiti cursu bellorum, et tempore rapto.
Tunc claustrum pelagi cepit Pharon. insula quondam
In medio stetit illa mari, sub tempore vatis
Proteos: at nunc est Pellæis proxima muris,
Illa duci geminos bellorum præstitit usus:
Abstulit excursus et fauces æquoris hosti;
Cæsaris auxiliis aditus et libera ponti
Ostia permisit. nec pœnas inde Pothini
Distulit ulterius: sed non qua debuit ira,
Non cruce, non flammis, rabido non dente ferarum:
Heu facinus, cervix gladio male cæsa pependit:
Magni morte perit. necnon subrepta paratis
A famulo Ganymede dolis pervenit ad hostes
Cæsaris Arsinoë: quæ castra carentia rege
Ut proles Lagea tenet, famulumque Tyranni
Terribilem justo transegit Achillea ferro.
Altera, Magne, tuis jam victima mittitur umbris.
Nec satis hoc Fortuna putat. procul absit, ut ista
Vindictæ sit summa tuæ. non ipse tyrannus
Sufficit in pœnas, non omnis regia Lagi.
Dum patrii veniant in viscera Cæsaris enses,
Magnus inultus erit. sed non auctore furoris
Sublato cecidit rabies: nam rursus in arma
Auspiciis Ganymedis eunt: ac multa secundo
Prælia marte gerunt. potuit discrimine summo
Cæsaris una dies in famam, et secula mitti.
Molis in exiguæ spatio stipantibus armis,
Dum parat in vacuas martem transferre carinas

nomina legatorum ponuntur Dioscorides et Serapio, quæ et ex Livio hic posuit Scholiastes MS. Grotius.

512. *Illa duci geminos bellorum præstitit usus:*] Explicando hoc loco serviunt quæ sunt apud Strabonem de Pharo. Grotius.

Dux Latius, tota subiti formidine belli
Cingitur: hinc densæ prætexunt littora classes,
Hinc tergo insultant pedites: via nulla salutis:
Non fuga, non virtus, vix spes quoque mortis honestæ,
Non acie fusa, nec magnæ stragis acervo
Vincendus tunc Cæsar erat, sed sanguine nullo.
Captus sorte loci pendet, dubiusne timeret,
Optaretne mori; respexit in agmine denso
Scævam perpetuæ meritum jam nomine famæ
Ad campos, Epidamne, tuos: ubi solus apertis
Obsedit muris calcantem mœnia Magnum.

534. *Molis in exiguæ spatio stipantibus armis,*] Molem dicit quæ ad insulam pertinebat. Vide lib. de bello Alexandrino. χῶμα vocat Plut. quæ vera Latinæ illius vocis significatio. Grotius.

Excudebant Andreas et Jacobus Duncan,
Academiæ Glasguensis Typographi.